FRANCKESCHE STIFTUNGEN

Franckesche Stiftungen zu Halle

Oeconomia Temporum Novi Testamenti, Exhibens Gubernationem Dei In Ecclesia

Majus, Johann Heinrich

Francofurti ad Moenum, MDCCXXI.

VD18 11274050

Caput XII. De Oeconomia Gratiae Dei Inter Gentes Manifestata.

Nutzungsbedingungen
Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.
Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.
Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use
All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downladed and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.
Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.
For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:gbv:ha33-1-199398

Visual Library

Actor. IX. Quam traditionem non tantum *Baronius*, sed etiam *Casaubonus*, *Pearson*, *Huetius*, aliique admittunt & defendunt; eam vero in dubium nuper vocavit *Basnagius* Exercit. anti-Bar. ad A. 35. n. 29. variis argumentis, quæ tamen omnia haud firmo talo stare videntur. Utcunque sit, divinæ profecto tribuendum est bonitati & providentiæ, quod, post persecutionum nubem, grata pacis lucem suis largitus sit, ut & recreare se & crescere Ecclesia potuerit. Nam, ut Lucas ait, *ædificatæ sunt Ecclesiæ, & progressum faciebant in timore Domini, & solatio Spiritus Sancti implebantur*, Act. IX. 31. Non rapiebant eam pacem in ventris commodum ac voluptatum studium, ut plerumque fit.

VI.

Petrus Ecclesias visitat, multosque convertit.

Per id tempus Petrus plantatas Ecclesias visitat, in fide confirmat, & plures allicit miraculis, quæ in visitatione illa subinde patravit. Posteaquam enim Lyddæ *Æneam*, octo annis captum membris, subito ita restituit, ut ipse surgere & sibi ipsi substernere e vestigio potuerit, omnes *Lyddæ* & *Saronis* incolæ, id videntes, ad Dominum se converterunt. Similiter *Joppæ* Tabitham, mulierem piam defunctam, eo accersitus, vitæ restituit. Quod ubi per totam Joppem innotuit, multi in Dominum crediderunt. 31. - 43.

CAPUT XII.

De OECONOMIA GRATIÆ DEI INTER GENTES MANIFESTATA.

I

Ecclesia inter gentes propagata.

HUnc in modum inter Judæos Evangelium prædicatum & à multis acceptum est. Jam etiam Oeconomia gratiæ DEI inter gentes aperienda erat, quæ illustribus revelationibus com-

pro-

probata & feliciſſime inchoata fuit in Centurione gentili, *Cornelio*, qui, per Angelum monitus, Petrum Joppead ſe Cæſaream accerſivit, ut ab eo de ſalutis ratione inſtrueretur. Petrus itidem viſione & voce cœleſti edocetur, ſemel iterumque, quod non immundos debeat cenſere, quos DEUS ipſe Verbo Evangelii & Baptismo ſanctificaturus eſſet, & ad Cornelium ſine hæſitatione ire jubetur, cum nunciis ab eo miſſis. Quod dum facit, quærit à Centurione cauſam, propter quam vocatus ſit. Ille latius omnia explicare & deſiderium ſalutis vehemens exprimere; Petrus autem univerſalem DEI gratiam & pacem per JESUM CHRISTUM, omnium, cum Judæorum tum Gentilium, Dominum, (conf. Epheſ. II. 17.) aliaque ejus & plurima & maxima beneficia, ac nominatim remiſſionem peccatorum, paſſione, morte & reſurrectione victorioſa parta, laudare, Prophetarum omnium, Baptiſtæ & Apoſtolorum teſtimoniis probare. Talia Petro adhuc loquente, Spiritus S. delapſus eſt ſuper omnes eam orationem audientes, æque ac ſuper Judæos quondam in feſto Pentecoſtes; quod cum admirarentur Judæi credentes, Petrum à Joppe comitati, tum Petrus affirmat, DEUM evidentiſſime hoc Spiritus baptismo oſtendiſſe, eos etiam aqua baptizari poſſe, & ſine mora tingi jubet. Ita ſacris initiatæ Gentilium primitiæ, Petrum rogarunt, ut ſecum aliquot dies maneret, quo myſteria regni DEI plenius cognoſcerent. Act. X. Verum id male habuit myſterii ignaros, & patriorum rituum nimis rigidos obſervatores, licet Chriſtianam religionem amplexati fuerint, eoque Petrum, Hieroſolymam redeuntem, reprehendunt, quos ille adductis viſis mandatisque cœleſtibus, ſibi ac Cornelio factis, & ipſius Spiritus Sancti donis, Gentilibus collatis, egregie convincit, adeoque jure divino ſe tuerur, plenitudinem autem poteſtatis cujusdam Papalis prorſus reticet. Quibus auditis acquieverunt, Deoque pro tanta gratia, exteris etiam conceſſa, gratias egerunt. Actor. XI. 1.-- 19. *Actor. X.*

II.

Antiochiæ Jesus prædicatur feliciter Græcis.

Contigit vero mox, ut, cum dispersi ob exortam sub Stephano afflictionem, hactenus solis Judæis in *Phœnicia, Cypro & Antiochia* doctrinam salutarem Evangelii exposuissent, nunc quidã viri *Cyprii* & *Cyrenenses*, Hierosolymis & aliis quibusdam locis Judææ, educati, (*Ligtf.* Coment. p. 844.) divinitus haud dubie excitati, etiam *Græcis* s. Gentilibus *Antiochiæ* Dominum JEsum felici successu prædicaverint. Quod postquam Ecclesia Hierosolymitana auditione accepit, *Barnabam* eo misit, qui non tantum credentes ad constantiam cohortatus est, multosque Domino adjunxit; sed etiam *Saulum* e Tarso accersit, cum quo per annum integrum opus Domini strenue ursit, ac magnam hominum multitudinem docuit, adeo ut jam integer populus colligeretur Christo, ac nomine etiam distincto a profanis separaretur; tum enim primum *Christianorum* nomen in seculum introivit, &, qui *discipuli* hactenus dicti fuêre, nunc à Rege Christo nomen honorificum acceperunt, quod, ceu *Ligtfootus* l. c. p. 856. conjicit, ab ipso Servatore & Domino nostro olim (Jes. 65, 15.) inditum fuit, eo quidem fine, quod Judæorum & Gentium invisis appellationibus, futura desuetudine exolescentibus, consopitæ exhinc jacerent pristinæ simultates, atque in hac suavissima denominatione, utrisque communi, per omnia secula felicissime absorberentur, Actor. XI. 19. - 27. Insigne hoc Ecclesiæ decus & augmentum allexit quoque alios, ut passim Antiochiam confluerent. Sic evenit, ut ea tempestate Vates Hierosolymis eo discederent, & Gentilium illam Ecclesiam donis suis ornarent atque illustrarent. E quibus *Agabus* gravem fore toto orbe famem significavit, quæ sub *Claudio* Cæsare accidit; discipuli igitur statim decreverunt fratribus in Judæa habitantibus, præ reliquis indigis & rapinam bonorum passis, Ebr. X. 34. subsidium mittere; quod & fecerunt Sauli & Barnabæ opera, 27. - 30.

III. Post

III.

Act. XII. *Herodes Jacobum occidit. Petrus vinctus ab Angelo liberatur. Herodes miſere perit.*

Poſt aliquam Eccleſiæ tranquillitatem rurſus exoritur Eccleſiæ perſecutio, autore *Herode Agrippa*, qui abuſus edicto *Claudii* Cæſaris in gratiam Judæorum promulgato, & regia poteſtate, manus admovit vexandis quibusdam de Eccleſia, interque hos *Jacobum* majorem, Zebedæi filium & Johannis Evangel. fratrem, ferro ſuſtulit, indicta cauſa, animi quodam impetu, ex avitæ religionis amore & zelo: quem Chriſtiani Hieroſol. ſepeliverunt: ut fabula ſit, quod de translatis ejus Compoſtellam oſſibus garriunt Pontificii. Quam crudelitatem ubi gratam Judæis eſſe vidit, *Petrum* quoque comprehendit; ſed quo minus eo ſtatim occideret, tum quidem obſtitit dies azymorum, ob lætitiam ſuppliciis exemtus. Captum igitur vinctumque in cuſtodiam, & quatuor quaternionibus militum cuſtodiendum tradidit, ne, ceu antea factum noverat, elaberetur, ut poſt ferias exactas eum populo ſiſteret, & de hæreſi accuſatum pleno judicio mortis ſupplicio adjudicaret. Verum ad ſupplicationem Eccleſiæ continuam pro eo ad DEUM factam, miraculoſe ab Angelo Domini per cuſtodiam & portam ferream eductus, evaſit ſalvus, & inopinato ad cœtum complurium ſupplicantem in ædibus Mariæ venit, iisque narravit, quo pacto Dominus è carcere ſe eduxiſſet: juſſitque, ut Jacobo & cæteris fratribus ea renunciarent; ipſe vero conceſſit alio, forte *Antiochiam*, certe non Romam, ut Pontificii contendunt. (Vid. *Ligtf.* Comment. h. l. p. 868. b.) Hæc liberatio prodigioſa fuit ſane ampliſſima concio proteſtatioque DEI ad populum de ſuo filio JESU ejusque Evangelio; ſed apud Herodem parum valuit, quippe qui, habita de cuſtodibus quæſtione, eos duci vel ad ſupplicium vel carcerem juſſit: paulo poſt tamen crudelitatis pœnam luit, quando, poſt Tyriorum atque Sidoniorum pacem petentium ſubjectionem, elatus, ludos & ſpectacula

Act. XIII. tacula in honorem Cæsaris *Claudii* exhibuit, & die quodam statuto, verba ad populum fecit, regali veste indutus ita splendida, ut argenti claritas, primis radiis Sole oriente demissis, repercussa, fulgorem ediderit inspicientibus venerabilem, DEum se ab adulatoribus salutari passus est. Nam confestim à Domini angelo ictus, & à vermibus erosus exspiravit. Actor. XIII. 1.-24. Vid. *Joseph.* Antiq. L. XIX. Cap. VII. p. m. 679.

IV.

Ecclesia crescit, emissis ad prædicandum Barnaba & Saulo, plurimis in locis, Paphi, Antiochia &c.

Sublato hunc in modum tyranno divinitus, & terrore aliis persecutoribus incusso, Verbum Evangelicum, seminis vel germinis instar boni, crescebat & amplificabatur Ecclesia, latissimeque propagabatur; ut nullam contra unctum Domini vim quidquam valere Judæi pariter ac Gentiles cernere potuerint clarissime, nisi animos oculosque excœcatos habuissent. Act. XIII. 24. Propagatio autem amplificatioque Ecclesiæ inter Gentiles per idoneos homines, divinitus eò destinatos & vocatos, *Barnabam* nimirum atque *Saulum*, suscepta fuit feliciter, quos Ecclesia Antiochena Doctores, jussu Spiritus Sancti, ad opus Domini segregavit, & præviis precibus atque jejuniis denuo vel confirmavit manuum impositione, vel bona quæque nuncupavit vota. Illi ita emissi à Spiritu S. assumto *Johanne* cognominato *Marco*, ad *Seleuciam* descenderunt, indeque in *Cyprum* navigarunt, Asiatici Maris maximam insulam, ac ubi *Salaminem* pervenerunt, Judæis quoque Evangelium prædicarunt, & ad *Paphum*, urbem Veneris templo nobilitatam, progressi, & à Proconsule *Sergio Paulo* vocati, inciderunt in magum quendam, qui Proconsulem avertere à fide studebat. At Paulus eum graviter objurgat & subitam excœcationis pœnam ipsi denunciat. Ea re visa Proconsul credidit. Hinc *Pergam Pamphyliæ* & inde *Antiochiam Pisidiæ* venerunt, ubi Paulus invitatus in Synagoga, prolixam de JESU orationem habuit, qua

comme-

commemorat, quomodo DEUS populum Judaicum elegerit, peregrinantem in Ægypto evexerit, ex eaq; potentissime eduxerit, parvos ejus mores patienter in deserto tulerit, terram Cananæam ei possidendam, postea Judices & Reges dederit, ac tandem Messiam, Davidi cumprimis luculenter promissum, miserit, JESUM, à Johanne insigni testimonio ornatum & commendatum, quem Hierosolymitani innocentem damnaverint & crucidaverint, DEUS tamen resuscitaverit, secundum Vatum prædictiones, ac nominatim Davidis Psal. II. 7. XVI. 10. Atque per hunc solum remissionem peccatorum nunciari omnibus, qui in eum crediderint, perspicientes, non posse se per legem Mosis justificari. Quibus peroratis monet, ne oblatam per JESUM gratiam contemnant. Act. XIII. 1. -- 42. Fructu non caruit adhortatio, magis tamen gentiles quam Judæos permovit; quare illi Apostolum orarunt, ut proximo Sabbatho apud se iis de rebus loqueretur. Quod dum facit, tota fere civitas ad audiendum verbum DEI convenit. Id Judæi videntes, ex perverso zelo contradicebant aperte à Paulo dictis, reclamantes ac conviciantes. Quibus proinde Paulus libere dixit, hosthac ex justo DEI judicio se ipsis Evangelium haud amplius prædicaturos, sed ad gentes ituros, prout Dominus præceperit Es. 49, 10. Hæc exteri audientes cum gaudio exceperunt Evangelium, crediderunteque quotquot ordinem salutis & vitæ æternæ, à DEO institutum, recte observarunt, & à contradictione blasphemiisque Judæorum alieni fuerunt, 42. -- 49. *Actor. XIII.*

V.

Hunc in modum divulgata fuit salutaris doctrina per totam illam regionem *Pisidiæ* & vicinæ *Ciliciæ*: &, tametsi propter concitatas persecutiones inde discedere coacti fuerint, alibi tamen, & *Iconii* primum, magno cum successu, licet non sine omni Judæorum motu, horum pariter ac Gentilium ingentem multitudi- *Iconii, Lystra, Derbe.*

Act. XIV. titudinem ad fidem perduxerunt, Domino testimonium perhibente verbo gratiæ suæ, etiam per miracula stupenda: deinde insidiantium manus effugientes, in urbes *Lycaoniæ, Lystram & Derbam,* finitimamque regionem se receperunt, & ibi Evangelium prædicarunt. Lystræ autem Paulus perspecta fide claudi hominis ab utero materno, eum magna voce excitavit ad surgendum, & e vestigio sanavit. Populus id videns, divinos illis honores tribuere & coronatos tauros sacrificare volebat: quem cum sacrificulis Apostoli vix prohibere & a se atque idolis ad veri & vivi DEI conversionem & cultum deducere potuerunt, propositis effectis divinæ providentiæ clarissimis, ex quibus colligi queat, esse unam quandam omnipotentem & omnisapientem causam, quam omnes cognoscere & venerari debeant, præsertim eo tempore, quo Evangelium ubique terrarum prædicatur, Act. XIV. 1. -- 19. Sufflaminarunt felices progressus Judæi supervenientes Antiochia & Iconio, & Satanæ instinctu populum concitarunt, ut Paulum lapidarent, & tanquam mortuum extra urbem traherent; sed DEUS eum miraculose subito restituit vitæ, ut urbem ingressus sit. Postero tamen die *Derbam* profectus, ibidemque compluribus factis discipulis, Lystram, Iconium & Antiochiam repetiit, cum Barnaba, ubi ad constantiam & patientiam in cruce fideles cohortati sunt, & seniores in singulas Ecclesias crearunt. Hinc in *Pisidiam* & *Pamphiliam* venerunt, indeque *Pergam* & *Attaliam,* tandem, peragratis docendo regionibus maritimis Asiæ minoris, redierunt *Antiochiam,* unde erant ad hoc ipsum munus obeundum ablegati, & renunciarunt, quomodo DEUS gentibus aperuerit januam fidei, per suum ministerium, renitente licet Satana & persecutorum turba. 19. -- 28.

VI.

Turbata Ecclesia a Ecclesiam hunc in modum bene etiam inter gentes constitutam Satanas turbare nititur, illato errore per quosdam Judæos

dæos (*Cerinthum* cum sectatoribus Epiphanius fuisse putat, satius tamen est, teste Evangelista ℣. 5. è Pharisæorum secta conversos, sed Judaismum cum Christianismo miscentes, intelligere,) Hierosolyma venientes & velut ab Apostolis traditum jactitantes, necessariam esse ad salutem observationem operum legis ceremonialium & moralium, cujus observationis symbolum & obligatio erat circumcisio, Gal. V. 3. Cui errori cum se opponerent mascule *Paulus* & *Barnabas*, visum Ecclesiæ fuit, eosdem cum aliis quibusdam Hierosolymam mittere ad Apostolos & seniores, ut rescirent, quæ illorum mens esset circa quæstionem motam. Illi igitur, ubi, confirmatis, per quos ibant, Phœnicibus & Samaritanis, Hierosolymam pervenerunt, & retulerunt, quæ DEUS secum fecisset, & quomodo turbassent nonnulli fideles, præsertim e Gentibus, legalis jugi impositione, Apostoli ac Presbyteri *Synodum* cogunt, in qua controversia disceptaretur. Cumque utraque pars suis argumentis in medium allatis niteretur, *Petrus*, oratione habita, probat, nec DEum tentandum, nec conscientias discipulorum onerandas esse jugo intolerabili legis, cum ipse DEUS jampridem sibi monstraverit, exemplo Cornelii aliorumq; è Gentibus conversorum, (Act. X.) *fide purificari corda* per sanguinem CHRISTI, ejusque Spiritum, non lotionibus vel aspersionibus Leviticis, aut observatione legis, quam nemo vel Patrum sanctissimorum implere potuerit. Firmam igitur manere sententiam, per gratiam Domini J. C. tantum salvari, quotquot salvantur, Act. XV. 1. - 11. Ad quæ siluit universa multitudo, & Barnabam ac Paulum, idem quod Petrus asseruit, confirmantes enarrantesque, quæ DEUS in Gentibus per eos designaverit, & quomodo illæ receptæ sint in gremium Ecclesiæ, absq; ullo legis onere impositio, audivit, 12. Quæ Jacobus, Concilii præses, probavit, Vatumq; oraculis, ac nominatim Amosi testimonio, congruere ostendit, Cap. IX. 11. de vocatione gentium per Evangelium, ut una cum Judæis Mes-

Act. XV. quibusdam legis observationem ad salut. urgentibus in Concilio Hierosol. controversia deciditur.

XX. siæ se addicentibus & fide adhærentibus, spiritualem cultum præstent, remoto intergerino pariete legis, communionem impediente. Hæc gratiæ opera DEO ab æterno nota & decreta, atque impleta nunc esse, in assumtis præputiatis per donum fidei, effusione Spiritus S. obsignatum, prout Petrus retulerit. Se igitur, collatis omnibus & subductis rationibus, censere, non turbandos nec molestia haud necessaria afficiendos esse è gentibus ad DEum conversos, ne sic multis aditus ad Christianismum præcludatur; interea tamen præcipiendum illis esse, ut aliquid etiam Judæis dent, parumque oneris ferant, donec Christiana libertas plenius pateſcat, ac ab idolothytis, scortatione, sanguine & suffocato abstineant; Mosen enim, cui arcte adhuc adhæreant, & quem omnibus Sabbatis legant, talia prohibuisse, 13.--22. His ita solide discussis, visum fuit Apostolis & Presbyteris, una cum tota Ecclesia, quæ Concilio interfuit, Epistolam mittere per primarios ac fide dignos viros, Judam & Silam, ad Antiochenam vicinasq; Ecclesias, communi consensu approbatam, qua significaretur, sub prætextu Apostolicarum traditionum exteras illas Ecclesias turbatas esse, sparso dogmate de necessaria legis ad salutem observatione, & Spiritus Sancti, concilio præsidentis & invisibiliter assistentis, inq; omnem veritatem suos fideles ducentis, autoritate & judicio, omnium credentium applausu recepto & comprobato, decretum esse, nullum aliud imponendum onus esse, quam illud facile portabile, & ad tempus quoque necessarium, ad tollendum scandalum, communionem inter Judæos & gentes impediens, 22.--30. Hanc Epistolam Synodicam, primam omnium monumentorum avthenticorum Scripturæ N. T. ablegati Antiochiam detulerunt, & Ecclesiæ tradiderunt, quæ multum gavisa & confirmata est in Gratia & libertate Evangelica, de qua etiam, ut & aliis capitibus, Judas & Silas, donis Propheticis instructi viri, plenius fratres instruxerunt, eosque ad constantiam cohortati & con-

& consolati, hisque peractis bona cum pace ad Apostolos remissi sunt, 30. -- 34. *Act. XVI.*

VII.

Paulus, compositis Antiochiæ rebus, pia solicitudine instinctuque Spiritus S. incitatus, *Barnabam* monuit, ut fratres suos per omnes urbes, in quibus Evangelium prædicassent, in *Syria*, *Pamphilia*, *Lycaonia* &c. revisserent, & æque ac *Antiochenos* confirmarent. Qua in re Barnabas se quidem difficilem haud præbuit, sed quia *Marcum* consobrinum suum (Col. IV. 10.) assumere volebat, quem, ceu parum constantem in ferendis laboribus atque periculis, Paulus recusabat, litigio exorto diremti sunt à se invicem, & DEO in bonum vertente factum est, ut Barnabas assumto Marco in *Cyprum* navigaret; Paulus autem, electo *Sila*, Syriam Ciliciamque obiret, & Ecclesias confirmaret: atque adeo pluribus in locis utriusque ministerio, eodem tempore, plures Ecclesiæ visitarentur ac confirmarentur, 35. -- 41. Paulus, cujus causa justior quam Barnabæ erat, à fratribus gratiæ DEI singulariter commendatus, incidit mox in *Timotheum*, juvenem pium ac bonorum omnium, qui *Lystris* & *Iconii* erant, testimonio ornatum, eumque idoneum ministerio judicavit, & propter imbecillitatem Judæorum ibi agentium, circumcisum assumsit. Obeundis autem urbibus, eadem, quæ alibi docuerant, tradebant, &, quæ in Synodo Hierosolymitana decreta fuerant, inculcabant, ut unitas & communio Ecclesiarum ubique servaretur. Nec absque fructu fuit ista visitatio & institutio. Siquidem Ecclesiæ & fide confirmabantur, & numero quotidie augebantur, Act. XVI. 1. -- 6. Hoc successu læti, peragrata Phrygia & Galatica regione, in *Asia* & *Mysia* quoque Evangelium propagare volebant; verum à Spiritu S. ductore & directore tunc quidem id facere prohibiti, *Troada*, ex oppositio Macedoniæ iis in locis, ubi olim Troja sita fuit, pervenerunt. Ibi Paulus viso monitus, ut in Macedoniam

Paulus, assumto Sila & Timotheo, varia loca visitat.

Act. XVI. Philippus prædicat, Pythone ancillam liberat, inque carcerem conjectus liberatur miraculose, & custos carceris convertitur.

doniam iret, eo statim contendit, & *Philippos*, primariam Macedoniæ urbem, & coloniam Romanorum, migravit, ac dies aliquot ibidem egit, Gentilibusque doctrinam cœlestem nunciavit; Sabbato autem extra urbem ad fluvium exiit, ubi convenire Judæi solebant, & fœminis, quæ maturius aderant, loquebatur, inter quas *Lydia*, purpuræ venditrix, Spiritus S. gratia conversa & cum familia baptizata, Paulum sociosque hospitio excepit, multosque procul dubio illexit ad fidem Evangelio præbendam. 6. -- 16. Hunc Evangelii cursum Satanas sistere cupiens, excitavit ancillam quandam, *Pythonis* spiritu præditam, ut Paulum & socios, ad preces in consuetum locum euntes, per complures dies subsecuta, vocaret summi DEI servos, qui viam salutis nunciarent. Quod cum ægre ferret Paulus, satis gnarus, Diabolum hac ratione salutarem doctrinam suspectam reddere velle, quasi probe sibi cum Apostolis conveniret, & Judæos calumniandi occasionem capere hinc posse, coëgit spiritum è vestigio ex puella migrare. Tum ejus Domini spem quæstus, quem ex consulentibus pythonissam habebant, periisse videntes, Paulum & Silam in forum obtorto collo ad Magistratum trahunt, eosque velut turbatores civitatis & Judaicorum rituum doctores, contra latam legem Romanisq; receptam, mendacissime accusant, tantumque efficiunt, ut indicta causa, jussu duumvirorum non tantum nudatis corporibus virgis cæderentur, sed etiam in carcerem conjicerentur munitissimum. At Christus ipse testimonium servis suis fidelibus eorumque doctrinæ redditurus, terræ motu, apertione carceris & solutione vinculorum terruit carceris custodem, ut continuo Christianam religionem amplecteretur, & cum omnibus suis baptizaretur, & prætores, ut clam eos dimitti præciperent. At Paulus Evangelii pariter & ejus ministerii honorem vindicaturus, indignitatem facti Magistratibus exprobrat, eosque læsi in se civium Romanorum juris accusat, qui magis perterriti, cum hæc

hæc audiviſſent, factum violentum deprecantur, & rogant Apoſtolos, ut & carcere & urbe honorifice dimiſſi exirent, ne quid amplius a concitata plebe paterentur; quod & fecerunt, poſteaquam Lydiam adierunt, & fratres ad conſtantiam in fide hortati ſunt, nemine prohibere auſo, 16.-- 40. *Act. XVII.*

VIII.

Ita Philippis diſcedens Apoſtolus cum ſociis *Theſſalonicam*, nobilem quoque Macedoniæ urbem, venit, ibique pro more primum ingreſſus Collegium Judæorum, per tria Sabbatha diſſeruit ex Scripturis, easque luculenter explicando adaperuit & quaſi ob oculos poſuit, JESUM eſſe verum Meſſiam, eumque pati & reſurgere glorioſe exaltarique debuiſſe: deinde etiam *Gentilibus* eandem doctrinam ſalutarem inſtillavit, & ex iis nonnullos, ex his vero permultos adduxit Chriſto: adeo ut felix Evangelii hoc in loco progreſſus Satanam & obſtinatos æq; offenderit ac Philippis, eoque Judæos incitaverunt, ut, aſſumtis circumforaneis quibusdam hominibus, tumultum per urbem excitarent: hinc *Jaſonem*, qui hoſpitio Paulum exceperat, hoc non reperto, ad civitatis rectores cum fratribus aliquot trahunt, & abſentes accuſant, quod terrarum orbem ad ſeditionem concitent, contra Cæſaris decreta faciant, Regem catholicum prædicantes JESUM. His commoti & populus & Magiſtratus non parum metuerunt, ne quid Imperio Romano noxium fieret; DEO tamen fortunante, præſtita à Jaſone fidejuſſione vel ſatisdatione, de fidelitate erga Rom. Imperatorem, eos dimiſerunt, Act. XVII. 1.- 10. & Paulus atque Silas ſtatim noctu *Berroeam* ſe receperunt, ibique Judæos multo generoſiores animo Theſſalonicenſibus deprehenderunt, in accipiendo Evangelio promte eoque cum Scripturis V. T. examinando. Quod ut cognoverunt Theſſalonicenſes, illuc etiam venerunt, plebem concitaturi; ſed fratres Paulum in tuto conſtituere conantes, eum confeſtim emiſerunt, & *Athenas* deduxerunt, ubi non ſine dolore

Theſſalonicæque Chriſtum annunciat.

Berroea, Athenis non ſine fructu.

Act. XVII. dolore conspexit urbem idolis refertam & deditam, &, prout consueverat, primo Judæis, deinde etiam Gentibus quibusvis obviis in foro quotidie cœlestem Philosophiam nunciavit, & in duplex eruditorum genus incidit, Epicureos, omnium religionum contemtores, & Stoicos hypocritas, summum bonum in virtute collocantes, sed veram virtutum originem & finem ignorantes; quibus omnibus vel nugator, vel peregrinorum Numinum nunciator habebatur, quando multa de resurrectione, JESU Θεανθρώπῳ, ejusque beneficiis disseminavit. Quare eum in vicum Martium s. curiam deduxerunt, & exponi sibi novam doctrinam uberius petierunt. Tum Paulus, latis gnarus, urbis incolas vanos & curiosos magis quam veritatis studio deditos esse, potestate dicendi facta, artificiose juxta ac solide auditores aggressus, eos sibi per omnia superstitiosos videri, ait, & mox inde probat, quod Numen aliquod, juxta alia Numina bene multa, colant, ignotum, eidemque aram erexerint, præferentem inscriptionem Ἀγνώστῳ Θεῷ, & sic contra principia ipsa Naturæ insita turpissime peccent, aliis deferentes simul cultum uni soli debitum, quem ipse una cum cultus veri ratione, data sic occasione, monstrare velit. 1. Docet verum DEum esse creatorem cœli & terræ, eum propterea 2. supremum omnium Dominum, immensum & omnipræsentem, debita veneratione excipiendum. Hinc 3. tacite infert, tot Numina, quæ colant, nec esse DEOS, nec 4. DEUM verum in templis manufactis habitare, aut a manibus hominum servitium accipere per sacrificia & externos ritus, tanquam indigum illius rei, cum 5. ipse sit אל שדי DEUS sufficiens, & dederit omnibus vitam, & respirationem & omnia, ut a creaturis indigentibus accipere quidquam haud opus habeat. 6. Hunc igitur cœlitus benefacientem (Actor. 14, 7.) facile deprehendi posse, præsertim ex beneficiis in homines collatis, utpote qui 7. fecerit ex uno sanguine & semine totum genus humanum, idque 8. in tot populos auctum

ctum divisumque conservet & gubernet providentissime, in toto terrarum orbe, definiens præstituta tempora, terminos & habitationes. (Deut. 32, 8.) 9. Eum autem in finem DEUM, cum in Macrocosmo, tum in Microcosmo, tot luculentis documentis se patefeciſſe, ut homines iis excitati studioſe quærerent Numen verum, unice colendum, nec prius desistant quærere, quam invenerint, quemadmodum etiam cum palpare, & vel confusa notitia, ex lumine naturæ residuo, sicque quodammodo invenire possint; præsertim cum 10. non longe absit ab unoquoque nostrûm, sed vel maxime intimeque præsens, quia in eo movemur, vivimus & sumus, quod 11. *Arati* Astronomici testimonio comprobat, dicentis, nos Jovis s. summi DEI genus esse, quem Jovam Hebræi appellant, ortum ex eo trahere, vitam spiritum & omnia ei accepta ferre debere. Unde 12. valide infert Apostolus, DEUM rite cognoscendum ex nobis ipsis, tanquam mentem summam excellentissimamque, quæ nec sculpi nec fingi, aut assimilari ulli rei & sub illa figura coli, sed pura mente honorari debeat, ea ratione, quam ipse DEus in Evangelio revelaverit, cujus præcones voluerit esse Apostolos. Se igitur testari, quod DEus tempora ignorantiæ, quoad Gentiles in V. T. dissimulando toleraverit magna longanimitate, & exspectaverit tempora Novi Test. quibus omnibus hominibus ubique locorum pœnitentiam denunciet ac mandet; fidem, & per eam omnia bona cœlestia, per Christum mortuum quidem sed gloriose resuscitatum, parta, offerat conferatque, quo in futuro judicio universali consistere & coronam vitæ justitiæque reportare queant. Hanc Apostoli orationem alii risu excipiebant; quia tanquam homines ψυχικοὶ non capiebant spiritualia, sed pro stultitia habebant: alii vero animis compuncti de isto argumento iterum differentem aliás & amplius se Paulum audituros testabantur. Ita igitur fructu non caruit, cum nonnulli, interq; hos *Dionysius Areopagita*, Senator & Assessor Dicasterii nobilis- *Act. XVII.*

Act. XVIII. 10.--34.

simi, Paulo adhærerent, fidemque publice testarentur.

IX.

Mox Corinthi, ibique coram Pro-Cons. accusatur, sed frustra.

Paulus, Athenis relictis, *Corinthum*, Oratoribus & Philosophos non minus abundantem ac urbem *Athenas*, profectus est, ut ibi etiam Evangelium inter Judæos & Gentiles disseminaret. Cujus rei commodam occasionem nactus est, & ne gravis cuiquam esset, cuidam *Aquilæ Ponticо*, ab eo distincto, qui sub Adriano Imperatore Vetus Test. ex Ebræo in Græcum transtulit, se adjunxit, tentoriisque conficiendis victum sibi paravit, 1. Cor. IV. 12. IX. 4. ff. 1. Thes. II. 9. & primum *Ecclesiam domesticam* fundavit, 1. Cor. XVI. 19. deinde & in Synagoga publice per omnia Sabbata docuit, multisque Judæis ac Græcis persuadebat, illos tamen duriores & pertinaciores deprehendit, ac proinde advenientibus ex Macedonia *Sila* & *Timotheo*, Athenis eo missis, zelo ardente Spiritus concitatus constrictusque, JESUM esse CHRISTUM valide testificabatur, & malitiose istis resistentibus atque blasphemantibus, ritu consueto pulverem excutiens (Matth. X. 14. Act. XIII. 51.) protestatus est contra eos, & aperte pronunciavit, eos, cum a se salutis verbum repellant, sibi ipsis exitium accersere, ac facere, ut deinceps indigni habeantur, quibus Evangelici thesauri offerantur, 1.--7. Migravit etiam statim in aliam domum hominis gentilis, quo tanto commodius cum gentilibus agere posset. Archisynagogus tamen *Crispus*, confinis hospiti Pauli, permotus cum tota domo sua credidit, & Corinthiorum plurimi, postquam audiverant, credebant ac baptizabantur. Qui felix successus majus odium Apostolo conciliavit, eoque vel ad discessum induci, vel in metum conjici potuit. Cum vero Dominus per visum nocturnum ipsum confirmasset, ut in prædicando pergeret, quia ipsum sit defensurus, & plures adhuc cœtui fidelium adducturus, commoratus ibi diutius & expertus est promissorum divinorum veritatem. Nam postquam Judæi, Luc. Annæo Seneca, qui

frater

frater Senecæ, Neronis præceptoris, cum junior esset, Novatus dictus & postea a Junio *Gallione* adoptatus, hoc nomine vulgo notus fuit,) Achajæ Proconsule, unanimiter in eum insurrexerunt, & ad tribunal perduxerunt, graviterque accusarunt; *Gallio* audiens de lege, verbis & nominibus quæstionem esse, horum judex esse noluit, & accusatores à tribunali abegit, & licet Græci importunius insistentem *Sosthenem* Archisynagogum, *Crispo* ob Christianismum deposito surrogatum, (quem deinceps conversum esse, & Paulo sese adjunxisse, ex 1. Cor. I 1. liquet) ante tribunal percuterent, id minime curavit; ut vel Paulo favisse, vel nullam controversiam religionis rationem habuisse videatur. Itaque ibi adhuc dies aliquot transegit, 7.--18. & Silam dimisit, qui priorem *Petri* Epistolam, ad dispersos hinc inde Judæos, partim hujus Apostoli sermone efficaci, antehac in festo Pentecostes habito, (Actor. II. 9. ff.) conversos, partim per captivitates & bella, patriis sedibus ejectos, aut sponte varias in regiones profugos (vid. *Estius* ad 1. Pet. I. 1.) detulit. Ad nullum sane tempus, quam hoc ipsum, referri commodius potest Catholica & primum scripta dicta Epistola. Quod enim nonnullis placet, tum per Silvanum, qui idem est cum Sila, ad advenas Judæos ἐν τῇ διασπορᾷ Apostolum, perinde ac Jacobum I. 1. dedisse priorem Epistolam, cum Silas prima vice in Asiam minorem commigrasset, ut est Actor. XVI. non satis quadrare videtur; quia non perspecta fides Silvani probe advenis esse aliunde, nec eam Petrus commendare iis ante potuit, quam ipsi ex conversatione & prædicatione Evangelii ita cognitum illum judicarunt, 1. Pet. V. 12. Conf. *Sandhagen.* p. m. 167. Voluit enim D. Petrus, ut debuit, fideliter pascere oves Christi, præcipue ex circumcisione s. Judæis, & confirmare fratres suos, idque divino instinctu præsenti Epistola fecit, qua testatus est palam, veram eam & salutarem esse gratiam DEI per Christum, quam & ipse, & Paulus, aliiq; viva

Act. XVIII.

ibi Silam dimittit, qui 1. Petri Epistolam dispersis per Pontum, Asiam &c. adfert.

1. Pet. 1. voce prædicaverant, ac illi per fidem amplexi erant; ideoque eos monuit serio graviterque, ut in istam gratiam spem fiduciamque perfecte & finaliter (τελείως) ponerent, & in ea perseverarent, vitamque professione Christiana dignam agerent, si hæreditatis cœlestis, ad quam vocati essent, participes fieri vellent. 1. Pet. I. 13. V. 12.

X.

Ejus summa CAP. I. Summam Epistolæ ejusque Capitum dabimus. In CAPITE primo Apostolus in inscriptione ℣. 1. & 2. *primo* advenas *electos* ad vitam æternam vocavit, eosq; hoc titulo in misera peregrinatione excitavit ad spem & patientiam; quia Electio omnium divinorum beneficiorum maximum eorumq; compendium est (conf. Ephes. I. 3. ff.) ideoque omne studium adhibere Christiani debent, ut eam firmam faciant, (2. Pet. I. 10.) media salutis recte usurpando & sancte vivendo. *Deinde* specialia beneficia non sine gratiarum actione commemorat, ac nominatim *Regenerationem*, cujus omnes causas indicat, & finem cumprimis exaggerat amplificatque, sc. hæreditatem cœlestem, ut illius præstantia & certitudine freti, etiam in tentationibus variis, ad explorationem fidei eis obvenientibus, læti respiciant finem fidei, nempe salutem animarum, quam plene perfecteque reportaturi sint in revelatione gloriosa JESU CHRISTI, 3. - 10. Conf. Rom. VIII. 16. seqq. Ne vero doctrina hæc nova novellis Christianis videri queat, Apostolus ad Vates Vet. Testam. provocat, eosque Spiritu Christi inspiratos, de hac ipsa gratia & salute, per Christum in nos ventura, eadem prædixisse testatur, ac Apostoli per Spiritum S. cœlitus missum superque eos effusum hucusque una voce & mente annunciaverint: quæ tanta sint mysteria & beneficia, ut etiam Angeli desiderent ea penitius introspicere, ℣. 10. -- 13. Hinc igitur merito advenas ad perseverantiam in fide, & constantiam in spe, ad filialem timorem & obedientiam, atque ad sanctitatem vitæ adhortatur; desumtis

desumtis argumentis ab exemplo Patris cœlestis, cujus filii facti 1. Pet. II.
sint, a mandato vocantis, ab æquitate judicantis, ỳ. 13. -- 18.) conf.
Rom. II. 6. seqq.) a debito redemtorum pretiosissimo CHRISTI
sanguine officio, & viribus una acquisitis & donatis credentibus
in ipsum, ut, purificatis animabus in obedientia veritatis per
Spiritum, Redemtori servire in sanctitate & justitia, atque fra-
tres vere impense amare possint, accepta ex regeneratione
per verbum DEI vivum, efficax & æternum, in Evangelio præ-
dicatum, facultate, ỳ. 13. -- 25. Conf. Luc. I. 24. s. Rom. VI. 4. ss.
Jac. I. 21. ss.

CAPITE II. ex eadem regenerationis gratia deducit re- CAP. II.
natorum officia erga DEUM, proximum, & semetipsos, ac
vult generatim eos *deponere* omnia vitia, quæ incrementum no-
vi hominis impediunt, & usurpare media, quæ ejus augmentum
promovent. Vitia vero exui abjicique jubet non tantum ex-
teriora, sed *omnem* quoque occultam cordis *malitiam*, *dolum*,
hypocrisin, omne genus *invidiæ*, & hinc exorientes *obtrecta-
tiones*, ỳ. 1. Media promoventia augmentum sunt insatiabile
desiderium lactis rationalis Evangelii, in quo suavitas Domini
gustetur, & per quod crescant in virum perfectum, ad mensu-
ram staturæ plenæ Christi, ỳ. 2. 3. conf. Eph. IV. 13. & arctior ad
Christum accessus & conjunctio cum illo, quum sit lapis ille vi-
vus, & pretiosus, super quo exstrui magis magisque debent fi-
deles, tanquam lapides vivi, per eum vivificati, ut fiant *domus
spiritualis* & templum, in quo habitet, ambulet, quodque im-
pleas donis supracœlestibus, (1. Cor. III. 16. 2. Cor. VI. 16. Eph. II.
20. ss.) & *sacerdotium sacrum*, ad offerenda sacrificia spiritualia,
DEO per J. C. accepta, ỳ. 4. 5. quorum utrumq; in Vet. Testam.
insinuatum sit, ac *prius* quidem de lapide vivo CHRISTO, Es.
XXVIII. 16. cui qui fide innitantur & superstruantur, non fru-
strentur, ỳ. 6. contra incredulis & reprobantibus illum, propria
ipsorum culpa fiat lapis offendiculi & petra scandali, ỳ. 7. 8. juxta

1. Pet. II. Es. VIII. 14. *posterius* autem de sacerdotio regali Exod. XIX. 6. Hoc igitur officio advenas fideles recte defungi vult omni ex parte, utpote consecratum DEO populum, sacrificia non tantum offerendo, sed etiam aliis annunciando beneficia & virtutes gratiose & efficaciter eos vocantis, ℣. 9. & 10. ut illi etiam, qui adhuc in tenebris ignorantiæ & peccatorum oberrant, ad Christum adducantur, ejusque domus, sacerdotium & *populus* fiant. Hancque ob causam eos cohortatur & obtestatur denuo, ut erga DEUM pie segerant, abstinendo a carnalibus desideriis, contra salutem animæ pugnantibus, easque mortificando, ℣. 11. & bonam habeant conversationem inter gentes, ut hæ illam intuentes desinant obtrectare, incipiantque, DEO benigne eas visitante, & doctrina exemploque Christianorum severorum convertente, glorificare Dominum, ℣. 12. Nec satis habuit Apostolus generatim tantum indicasse officia; sed speciatim etiam infert ex dictis, debere advenas fideles subjectos esse obedientiamque præstare in omnibus, quæ non sint contra DEUM, omni isti ordinationi, quæ inter homines in his terris agentes, eorumque bono, ex divina institutione locum habeat & creetur, etiamsi infidelis & superior vel inferior sit, propter Dominum, utilitatem inde redundantem, & ut ora calumniantibus ac ignorantibus obturentur inter gentiles, ac si Christiani nullum ferre Magistratum possent Ethnicum & peregrinum, prætexentes libertatem, in quam per Christum assertos se glorientur; cui non obstet sive honor & timor DEO ac Magistratui debitus, sive amor societati sanctæ & fraternæ exhibendus, quum hæc una consistere queant & subordinari debeant, ℣. 13. -- 18. A *Politia* ad *Oeconomiam* descendit Apostolus, & *servis* etiam præcipit, ut heris suis pareant, æquis juxta atque duris, quia gratiæ opus sit divinæ, si bene sibi conscii sustineant injurias & injuste patiantur. Ostendit etiam, eos ad hoc ipsum vocatos, per verbum, quod est prædicatio crucis (1. Cor. I. 18.) & in

& in baptismo cruce signatos, sicque quasi inauguratos ad crucem esse: adhæc patientiæ exemplum sistit Christum, qui non tantum pro nobis innocens tot atque tanta maledicta & malefacta perpessus sit, verum etiam reliquerit nobis præscriptum formamque delineatam (ὑπογεγραμμὸν eine Vorschrifft) ut ipsius vestigiis insistamus, in innocentia & patientia, qui servi instar portaverit omnia nostra peccata in corpore suo, plagas & vibices exceperit, & in crucem ratione culpæ ac pœnæ sustulerit, & simul vulneribus suis nos sanaverit, viresque vivas acquisiverit & donaverit, ut a malis abstinere & bona facere ipsumque imitari possimus, ceu debemus, sicut oves, ad eum, tanquam oecumenicum pastorem animarum nostrarum, conversæ, ℣. 18.--25. Hinc colligere servos volebat Petrus, Dominum, qui ipsos convertit, etiam eorum Dominos convertere posse, vel per servos, si hi doctrinam CHRISTI salutarem sancta innocentique vita ornent, & supremum Dominum imitentur. 1. Pet. II. & III.

CAP. III. A servis ad *uxores* progreditur Petrus, easque docet breviter, quomodo erga maritos, alios & semetipsas gerere se debeant. *Primo* illas hortatur, ut subjectæ sint maritis suis propriis, etiamsi infideles, sive Judæi, sive Gentiles fuerint, ut, si verbum Evangelii vel non audiverint, vel auditum non admiserint, sine eo, per conversationem illarum castam & sanctam in timore DEI, Christo ejusve Ecclesiæ lucrifiant, ℣. 1. 2. Deinde eas dehortatur a nimio & vitioso externi ornatus cultu, qui levitatem indicare & adulterinis amoribus viam sternere solet, & commendat illis interioris hominis cultum, propositio sanctarum fœminarum, & nominatim Saræ, exemplo, 2.--7. Hinc *maritis* similiter præcipit, ut cohabitent prudenter uxoribus, honorem iis tribuant conjugibus convenientem, non ancillarum loco illas habeant, ac cogitent, eas cohæredes esse gratiæ salutaris & vitæ æternæ, conjunctis precibus & fidelibus exorandæ, quæ duro viri imperio & dissidiis impediantur, CAP. III.

1. Pet. III. tur, ℣. 7. Denique communia omnium Christianorum officia summatim colligit Apostolus, ℣. 8. hortaturque eos (1) ad ὁμοφρόνειαν, ut idem omnes velint ac sentiant in fide, vita, verbis &c. vid. Rom. XV. 5. 6. 1. Cor. I. 10. Phil. I. 10. (2) συμπάθειαν, ut aliorum miseria & malis afficiantur, tanquam suis, Rom. XII. 15. s. 1. Cor. XII. 26. ff. (3) ad φιλαδελφίαν, ut inprimis fratres & domesticos fidei amore prosequantur intensiori. Rom. XII. 10. 1. Thes. IV. 9. 1. Pet. I. 22. (4) ad εὐσπλαγχνίαν, ut commoveantur facile ad misericordiam, eamque ipso opere præstent. conf. Eph. IV. 32. Phil. II. 1. Colos. III. 12. (5) ad φιλοφρόνησιν, ut verbis & moribus suaves & affabiles, modesti & humiles sint. (6) ad patientiam & tolerantiam injuriarum, cum verbalium, tum realium, a veritatis hostibus illatarum, atque εὐλογίαν & εὐεργεσίαν potius iis impertiendam, Matth. V. 44. Luc. VI. 27. s. Rom. XII. 14. argumento petito a DEI voluntate & vocationis, ad benedictionem omnem (Eph. I. 3.) hæreditandam, v. 9. quod confirmat testimonio Davidico Ps. XXXIV. 13. ff. & simul in genere ad justitiæ sanctitatisque studium excitat, ℣. 10. -- 13. ac certos reddit strenuos boni sectatores, quod nemo iis nocere possit, sed etiam nihilominus vere beati sint, si patiantur propter justitiam, Matth. V. 10. nihil habentes, quod metuant, aut turbentur; quare paratos semper & imperterritos eos esse vult in reddenda fidei & spei suæ ratione, & demonstrare corde, ore & opere, quod nomen DEI sanctificent; sic enim futurum, ut obtrectatores confundant, ℣. 13. -- 17. ac licet adversa ab iis, si ita DEI voluntas ferat, patiantur, præstare, ut in causa DEI id fiat, quam in mala, ℣. 17. Atque ut patienter cuncta sustineant, exemplum Christi eis denuo (ut Cap. superiore ℣. 21. ff. fecerat) respiciendum & imitandum proponit, & lætum finem adjicit, quod exantlatis perpessionibus in vitam revocatus triumpha verit, in inferno spiritibus malis, & credere olim respiscereque nolentibus, victorem se ostenderit, ac

ac tandem in cœleſtem gloriam intraverit, quo tacite innuit, ſi- 1. Pet. IV.
milem fore noſtrarum afflictionum ἐκβασιν, (Rom. VIII. 17.) cum CHRISTUS paſſiones noſtras ſanctificaverit, & in baptiſmo ſtipulationem fecerimus, quod ei velimus conformari in morte & reſurrectione, (Rom. VI. 5. ſſ.) viresque id præſtandi acquiſitæ a Salvatore, collatæ & donatæ nobis ſint. v. 18. -- 22.

CAP. IV. Pergit Apoſtolus ex eodem fonte ſalutis in- CAP. IV.
exhauſto, JESU CHRISTO, deducere exhortationem ad mortificationem carnis & vivificationem Spiritus; oſtendit enim Chriſtianos Chriſti mentem induere debere, velut ſpiritualem quandam armaturam, ut, quemadmodum ille in ſua paſſione & morte & ſingularem patientiam & omnimodam innocentiam demonſtravit: ſic quoque ipſi eadem cogitatione & propoſito firmo inſtructi ſint, non tantum ad perpeſſiones quasvis ſuſtinendas, ſed etiam ad vitæ innocentiam & ſanctitatem ſectandam; memores, quod in & cum CHRISTO in Baptismo mortui ſint peccatis, a quibus proinde ceſſare, nec amplius per reliquum vitæ tempus concupiſcentiis hominum, ſed voluntati DEI vivere eos oporteat, Rom. VI. 3. ſſ. XII. 2. 1. Theſ. IV. 3. ſſ. quum ſatis ſit, præterito tempore vixiſſe gentilium more in variis vitiorum generibus, v. 1. 2. 3. Chriſtianismum alios mores poſtulare, nec morari fideles debere, quod extranei abnegata prorſus priſtina vita offendantur, & religionem novamque vivendi rationem blasphement, qui reddituri rationem ſint CHRISTO, vivos & mortuos judicaturo; ideo enim & ſpiritualiter mortuis in peccatis (Epheſ. II. 1. ſſ.) atque adeo illis ipſis gentibus, religionem Chriſtianam blaſphemantibus, prædicatum eſſe Evangelium, & olim, & nunc, ut judicentur ſecundum homines a ſemetipſis carne, (Rom. VIII. 3. 10. 12. ſ. 1. Cor. XI. 31. ſ.) per mortificationem veteris Adami, vivant autem ſecundum DEUM ejusque voluntatem ſpiritu, ſ. vita ſpirituali, quæ ex DEO eſt regenerante per Verbum Evangelii, (1. Pet. I. 22, 23.) & lavacrum regenerationis & reno-

1. Pet. IV. vationis, (quemadmodum primis commatibus 1. 2. 3. idem jam indicavit Apostolus.) ℣. 4. -- 7. Ne vero fideles remissiores in pietatis studio essent, existimantes diem futuri judicii longe adhuc abesse, finem omnium rerum appropinquare dicit, eoq; secutus Magistri exemplum, (Luc. XXI. 34.) exhortatur illos ad mentis & corporis sobrietatem, vigilantiam ad preces perpetuo fundendas (Luc. XVIII. 1.) ad dilectionem mutuam intensam extensamque, quæ peccata proximi multa atque varia tegat, ferat, condonet (Prov. X. 12. 1. Cor. XIII. 7.) ad hospitalitatem, ad διακονίαν & κοινωνίαν donorum spiritualium promtam, pro concessa cuique gratia, ad fidelitatem in muneris sacri administratione, ℣. 7. -- 12. Quibus in partibus rite obeundis, ne, odiis mundi & persecutionibus gravibus sustinendis, offendantur, aut perturbentur, tanquam re nova aut insolita, cavet Apostolus, dicitque, iis fidem ipsorum explorari, (1. Pet. I. 6. 7.) adeoque utilitatem, communionem cum CHRISTO, & eventum glorioſum respicientes, & nunc lætari debere, & perpetuo posthac exultaturos, imo jam in mediis probris & afflictionibus, ob CHRISTI nomen exantlatis, eos beatos & glorioſos esse, ac gloriari posse, quod Spiritus gloriæ in iis requiescat, eos sustentet & exhilaret (Rom. V. 2. ſſ. VIII. 28.) cum non patiantur tanquam malefici, (quod procul absit ab iis qui CHRISTUM profitentur) sed ut Christiani, ac propterea non habeant, quod eos pudeat, sed potius de quo gaudeant, Deoque gratias agant, exemplo Apostolorum, Actor. V. 41. Hanc quippe esse communem piorum sortem, hancq; DEI voluntatem, ut judicium probationis a domo familiaque DEI, sive veris veræ Ecclesiæ membris, incipiat, Hebr. XII. 6. sed in persecutoribus impiis, & hypocritis, probationem non sustinentibus, judicium condemnationis consumatur, (Pſ. I. 5. Prov. XXXI. 31. 2. Thes. I. 5. ſſ.) Unde concludit Apostolus, pios, cum DEI voluntate adversa patiantur, posse ac debere conditori fideli animas suas commendare

mendare in vera humilitate ac patientia, & in ſtudio bonorum operum ſtrenue pergere, ℣. 12.--19. 1. Pet. V.

CAP. V. Poſt generales admonitiones tranſit Petrus ſpeciatim ad eos, qui docendi officio fungebantur apud diſperſas variis in regionibus, ad quas ſcribebat, Eccleſias, ac, præmiſſis exhortationis argumentis efficacibus, a ſua perſona deſumtis, hortatur illos, *ut paſcant gregem DEI*, ſibi a Spiritu S. commiſſum, (Actor. XX. 28.) ſolicite *attendentes*, quid cuique ætati, ſexui, conditioni & ſtatui conveniat, providaque curæ caventes, ne Satanas per hæreticos & mercenarios, vel noxia doctrina, vel impia vita oves inficiat; & omnia agant *non coacte*, inopia compulſi, ut habeant, unde vivant, adeoque vel perfunctorie, vel externe tantum partes adminiſtrando, ſed *ſpontanee* ἐξ ἑκόυσιος ἀυτῦ (ut dixerat Cap. IV. 11.) coram DEO, 2. Cor. II. 17. *neque turpis lucri gratia*, (1. Tim. III. 3. Tit. I. 7. 11.) ut divitias corradant & ſplendide vivant, *ſed promto* lætoq; *animo*, quærentes tantum τὰ τῦ Χριϛῦ, (Phil. II. 21.) *neque ut dominantes in greges*, qui ſorte ipſis obtigerunt paſcendi & regendi, more Principum hujus ſeculi, cum oſtentatione poteſtatis in publicum non ſine famulitio magno & ſatellitio prodeuntium, ut terrorem ſubditis incutiant; ſed ſervientes omnibus, tanquam diaconi, ſervi DEI & miniſtri Eccleſiarum, qui typos præbeant ſeipſos fidelibus in verbo, in converſatione &c. 1. Tim. IV. 12. Tit. II. 7. Talibus paſtoribus promittit immarceſſibilem cœleſtis gloriæ coronam, a Paſtorum Principe & ſupremo Epiſcopo, JESU CHRISTO, partam & conferendam, ℣. 1.--5. Atque hujusmodi Presbyteris, imo omnibus etiam Senioribus, ſive officii dignitate, ſive ætate tales ſint, ſubditos eſſe vult juniores, eos verbis, geſtibus & opere ipſo honorare, eis morem gerere, modeſtiam, reverentiam & humilitatem teſtari. Qua occaſione aliis omnibus præcipit, ut ſibi invicem ſubjecti ſint, & ſerviant, Phil. II. 3. induentes & arcte quaſi no-

CAP. V.

1. Thes. 1. dis obligatam tenentes *humilitatem*, ceu vestimentum & ornamentum pretiosissimum: eamque in rem argumenta profert valida, a DEI potentia, benevolentia, & providentia, v. 5. 6. 7. Ad extremum hortatur Christianos ad *sobrietatem* & *vigilantiam*, Magistri insistens vestigiis, Luc. XXI. 34. 36. petita ratione a periculo, in quo versentur omnes fideles, quamdiu in his terris agunt, nempe ab insidiis diaboli, robore & astu valentissimi & crudelissimi, cui tamen resistere queant fide firma & constante, (Ephes. VI. 12. ff.) DEO ipsos gratiose confirmante, corroborante & fundante; idque eum facturum certo polliceatur, cui propterea laudes dicit, & δοξολογίαν, Sylvani commendatione, salutatione & voto claudit, v. 8. - 14.

XI.

Paulus ad Thessal. scribit.

Cum interea Paulus aliquam multos adhuc dies Corinthi transegisset, ac resciviſſet a Timotheo, quomodo se res nuper conversorum Thessalonicensium haberent, (1. Thes. III. 6.) inde, vel hinc rursus Athenas profectus, ex hoc loco, ut subscriptio habet, ad Thessalonicenses primam Epistolam dedit, qua eos confirmavit & monuit, ut opus fidei, charitatis, ac spei, laudabiliter cœptum, strenue exsequantur, Cap. I. 3. IV. 1. 10.

Summa I. Epist. ad Thessal.

Epistola igitur tota est exhortatoria, tum ad constantiam & profectum in fide, in tribus prioribus Capitibus, tum ad vitæ sanctitatem, in duobus posterioribus. Cap. I. Præmissa salutationis Apostolicæ formulâ, testatur Paulus, se cum *συνεργοῖς, Sylvano & Timotheo*, eorum omnium indesinenter memores gratias agere DEO, in precibus suis pro ipsorum fide efficaci & operosa, pro charitate laboriosa, proque spe tolerante, quæ in CHRISTO solide fundata ac sincera sit coram DEO Patre, atque hinc merito se colligere, quod DEO dilecti & ab eo electi sint; quum Evangelium inter eos prædicatum non constiterit solum in nuda annunciatione & sono verborum inani, sed potens efficaxque

CAP. I.

caxque in iis fuerit ad conversionem & salutem, (Rom. I. 16.) 1. Thes. I.
idque in Spiritu S. intus operante per verbum, & certa plenaque fiducia convincente ipsos, confirmante & consolante in omnibus afflictionibus; ac adeo experti sint ipsimet, quam intrepide & confidenter egerint docentes inter illos, seque non tantum sed Dominum etiam imitati sint in recipiendo cum gaudio, à Spiritu S. proficiscente, salutis verbo, eoque constanter retinendo inter multas adversitates, Jasoni ejusque sociis & postea subinde obortas; adeo ut typum præbuerint cunctis per Macedoniam & Achajam credentibus, & ab ipsis tubæ instar personuerit verbum receptum, ubique locorum fides vera latissime divagata sit, ut alii passim collaudent eorum conversionem ab idolis ad verum DEUM, charitatem & spem vivam, qua exspectent adventum filii DEI, liberantis a futura ira electos suos.

CAP. II. Ut eo magis excitet Thessalonicenses ad constantiam & profectum in fide, iis in memoriam revocat, (1) qualem introitum apud eos habuerit, nempe non vanum, ex affectu carnali, dolo, vel gloriæ studio susceptum, sed DEO animi inspirante alacritatem, cum ante Philippis multa mala propter Evangelium sustinuisset: quomodo ceu divinitus probatus fideliter & sincere inter eos purum DEI verbum prædicaverit, procul assentatione & avaritia, tenerrimo cum amore & labore, sine cujusquam onere, v. 1. ad 10. (2) quomodo sancte, juste & inculpate se erga fideles gesserit in conversatione, ut nemini scandalum sed contra potius typum exemplumque præberet vitæ Christianæ: (3) quomodo denique sedulo ac solicite eos Patris instar hortatus, consolatus & obtestatus fuerit etiam singulos (Actor. 20, 31.) ut ambularent in via veritatis & justitiæ, coram DEO & hominibus, constanter, non tantum sicut dignum sit ipsis: tanquam conversis à tenebris ad lucem, sed etiam DEO, qui vocaverit illos ex gratia, & vocare pergat a peccato ad sanctitatem, a regno Satanæ ad regnum suum & gloriam in- CAP. III.

1. Thes. II. & III. effabilem, 11. 12. Hinc (4) eos propria ipsorum confessione & experientia in se ipsis convincit & ad constantiam impellit, cum agnoverint suam doctrinam esse verbum DEI, eamque promte ac reverenter exceperint, & divinam ejus efficaciam senserint, & adhuc sentiant, in gaudio spiritus, pace & solatio in cruce perferenda, qua in re laudabiliter imitentur Ecclesias DEI primas in Judæa, plurima passas a contribulibus propriis, qui tamen furore suo in ipsum JESUM, Prophetas & Apostolos exercito & durante, tandem mensuram peccatorum suorum implerant, sibique ipsis maxime noceant, iram DEI pœnamque æternam accelerent, 13. -- 17. Postremo (5) desiderium suum indigens eos revisendi ac confirmandi coram exprimit, sed impeditum se dolet, animo tamen semper illis se præsentem esse, ac optimam de illorum perseverantia spem concepisse merito, & gloriari, gloriaturumque coram Domino J. C. in die adventus ejus glorioſi, testatur, 17. -- 20.

Cap. III. CAP. III. Paterni affectus desideriique testem indicat, quod miserit Timotheum, tantopere sibi charum & utilem συνεργὸν in Evangelio CHRISTI, cum ad eos confirmandos monendosque, ne calamitatibus dimoverentur, utpote communi omnium Christianorum sorte, CHRISTO & se prædicta; tum ut ipse illorum fidem constantiamque cognitam recte haberet, de qua ubi certior factus a reduce Timotheo fuerit, lætetur vehementer, DEO gratias agat & oret, ut DEUS suum ad eos iter secundet, quo ea, quæ fidei illorum desint, suppleat, Interea ut id DEUS faciat, ac ipse corda illorum confirmet, ardentissimis precibus vovet, & ita ipsos simul fortiter impellit, ad idem tum precandum suppliciter, tum præstandum divina ope.

Cap. IV. CAP. IV. Hortatur ad vitæ sanctitatem constantem ejusque incrementum, ac revocat iis in memoriam præcepta eo nomine per CHRISTUM inculcata, additque nunc non tantum DEI

DEI esse seriam voluntatem, ut credentes sanctimoniæ magis 1. Thes. IV.
magisque studeant, quo ei placant, sed & quomodo illa excoli queat, ostendit, fugiendo (1) scortationem omnemque libidinem, & sectando castitatem, etiam corporis, ne in gentilismum & atheismum recidant, 1. -- 6. (2) *injustitiam*, transcendendo regulas justitiæ ex avaritia, invidia &c. quia DEUS ultor sit severus; justitiam contra colendo, 6. Huecque tendere vocationem DEI sanctam monet, 7. conf. Tit. II. 11. 12. quam qui negligat, DEUM ipsum aspernetur per Spiritum S. in Doctoribus loquentem, 8. Luc. X. 16. Ad superiora pietatis vel sanctitatis officia exercenda cumprimis facit φιλαδελφία, quam Θεοδίδακτοι Thessalonicenses non ignorent, & ipso opere præstent, abundare tamen in ea illos vult Apostolus, 9. 10. Mox alia subjicit commode monita necessaria, ad sanctificationem pertinentia, & φιλαδελφίαν conservantia. 1. ambitiosos eos esse vult in fugienda ambitione, & 2. studiosos tranquillitatis, ut ab aliorum rebus quiescant, iis se non immiscean: 3. laboribus deditos, suaque sedulo curare & agere, ut professionem Christianam ornent & nemini graves sint, 11. 12. conf. 2. Thess. III. 10. seqq. Tandem de beate defunctis monet, eos non esse impatienter lugendos, more Gentilium, nullam firmam spem resurrectionis & vitæ æternæ habentium, 13. & hanc ob causam (1) beatam fidelium resurrectionem adstruit e resurrectione CHRISTI, cujus merito, vigore & efficacia in eo fide obdormientes adducendi sint ad gloriam similem, ℣. 14. conf. Rom. IV. 25. 1. Cor. XV. 20. Apoc. XIV. 13. Col. III. 4. (2) adductionis ordinem & mysterium a CHRISTO sibi revelatum explicat, cum negative, 15. tum affirmative, quod Dominus ipse in vel cum *clamore* quasi militari descensurus sit ad debellandos hostes, 2. Thes. II. 8. & liberandos pios, Luc. 21, 28. & in voce Archangeli, & tuba DEI, tum resurrecturos in Domino mortuos, deinde raptum iri vivos in occursum Domini, semperque cum eo in gloria futu-

ros,

1. Thes. V. ros, 16. 17. Tandem hanc doctrinam ad usum applicat consolatorium, 18.

CAP. V. CAP. V. Tempora autem, quibus resurrectio piorum, & quæ connexa sunt cum ea, futura sint, non vult curiose indagari, sed de digna potius præparatione quoslibet debere esse solicitos, ob improvisum diei adventum, securis terribilem, fidelibus autem lætum futurum, si modo vigilent & sobrii sint, 1.--5. atque ut id faciant, graviter eos monet, variisque argumentis impellit, ut, quod filii lucis sint, adeoque in luce veritatis cœlestis & pietatis veræ incedant, separantes se a profanis gentibus, in tenebris ignorantiæ & malitiæ adhuc versantibus & secure viventibus, (conf. Rom. XIII. 11. ff. Ephes. V. 8. ff.) & excubent pugnentque armati fide, charitate & spe, contra Satanam, mundum & carnem, (Ephes. VI. 12. ff.) 5.--9. quodq; nos Pater vocaverit posueritque ad salutem per CHRISTUM, ut ei constanti fide adhæreamus, & in justitia sanctitateque serviamus per totam vitam, (Luc. I. 74. 75. 2. Cor. V. 15.) 9. 10. Hac meditatione novissimi diei alios etiam vult ad vitæ sanctimoniam sectandam excitari, ut singuli singulos ædificent, & cumprimis Doctores, talia monentes & alia salutaria publice privatimque instillantes, in summo honore habendos præcipit, 12. 13. Hinc alia officia præscribit & strictim quidem, sed nervose tangit, ne nimia prolixitate eos oneret, cum præcepta brevia usus autem exercitiumque perpetuum esse debeant. Ostendit enim quomodo se gerere debeant erga inordinatos s. irregulares, pusillamines, infirmos adversarios, ỳ. 14. 15. in cruce semper gaudentes, in precibus ad DEUM & gratiarum actione assiduos, 16. 17. 18. ut magis excitetur non extinguatur Spiritus cum donis suis, in nobis ac aliis, judicium tamen spirituale adhibeatur, nec cuivis spiritui credatur, 19. 20. 21. Tandem coronidis loco totius pietatis velut summarium subjicit, & abstinendum dicit non tantum ab omni malo, sed etiam ab omni specie mali, in

doctrina

doctrina & vita, 22. Monita claudit voto & precatione pro sanctificatione, quam integram simul describit per partes hominis, eamque effecturum DEUM pollicetur, 23. 24. Preces etiam pro se fieri, & omnes charitate sincera se invicem complecti, legique hanc Epistolam ab aliis omnibus postulat, & Thessalonicenses gratiæ DEI commendat, 25. - 28. *2. Thes. 2.*

XII.

Cum resciviſſet Apostolus utilitatem, quam ex priori Epistola Thessalonicenses ceperant, &, quod graviter pro fide oppugnati, animo forti ferrent adversariorum impetus, qui etiam ex illa ipsa Epistola, quod in duobus ultimis Capitibus de die Domini scripserat, persuadere aliis volebant, illam diem adventus Dominici jam instare, idque se ex Pauli aliorumque Apostolorum sermonibus & Epistolis perspectum habere, dictitarent, Apostolus illos hac secunda, & non diu post priorem scripta Epistola, ad constantiam excitare & consolari, erroremque fanaticorum profligare voluit. Hinc Cap. I. post epigraphem & salutationem, gratias agit DEO pro incremento fidei, charitatis & patientiæ in adversis, in qua ut magis eos confirmet, præmia in die judicii & adventus Domini glorioſi, contra autem supplicia oppressores manentia, breviter enumerat, ac tandem orare se pro iis testatur, ut ipsos dignetur DEUS insigni glorificatione promissa constantibus fidei professoribus. *II. Epist. ad Thess.* *Cap. I.*

CAP. II. De adventu Domini eos plenius informat, ne a vera sententia dimoveantur, vel seducantur, sub specioso prætextu jactati cujusdam spiritus s. revelationis, traditionis, aut epistolæ ab Apostolis profectæ, quasi jam instet iste dies. Prædicit igitur ante illius adventum 1. propagandum esse Evangelium per orbem terrarum: 2. deinde venturam insignem, publicam & generalem defectionem à veritate & sinceritate doctrinæ Evangel. sub Antichristo occidentali, qui 3. ante sit revelandus, & propalam orbi universo patefaciendus per fidos ve- *Cap. II.*

2. Thes. II. ritatis testes, interque eos etiam præcipue per Lutherum. Falsum hunc Prophetam Paulus propterea vivis coloribus depingit, ut agnosci & caveri ab omnibus possit. Vocat enim illum (α) *hominem peccati*, non tantum, quod ipse peccatis deditus sit, sed & quod fons atque causa sit infinitorum & horrendorum peccatorum, ut apostasiæ à DEO vivo, scortationis (Apoc. 17, 1. ff.) spiritualis, idololatriæ & superstitionis nefariæ, Simoniæ, libidinum turpissimarum, per interdictionem conjugii (1. Tim. IV. 1. ff.) scelerum, per dispensationem & nundinationes divini humanique juris &c. (β) *filium perditionis*, Judæ proditori similem Joh. XVII. 12. qui infinitos in perditionem æternam perducturus sit. (γ) ἀντικείμενον s. Satanam, qui, licet vicarium Christi se profiteatur, ei tamen adversatur quam maxime & repugnet resistatque sanæ & salutari doctrinæ ac vitæ vere Christianæ, cum tota regiminis forma, ut ex Synodi Tridentinæ decretis & aliunde satis liquet. (δ) *efferentem se supra DEVM, & supra omne id, quod adicitur DEus aut Numen*, licet non aperta professione, tamen arrogatione potestatis super DEUM ejusque verbum, dum dispensandi jus sibi sumit contra Mosen & Prophetas, Legem & Evangelium, Sacramenta pro arbitrio invertit, & propria instituit, DEOS DEasque facit & coli præcipit, damnat autem veritatis cœlestis professores, nec argui se verbo DEI, nec contradici sibi vult, etiamsi infinitas animas ad inferos rapiat. (ε) *se ipsum collocantem in templum DEI*, vel ut sedeat in Templo DEI, erecto in Ecclesia Christiana dominatu, (Apoc. 18, 7.) maximam partem hominum veneno suo inficiens, (Apoc. 17, 2.) reliquos premens & opprimere satagens. (ζ) *ostentantem* semetipsum verbis factisque pro DEO, cum & sanctissimum, & Dominum DEUM vocari & adorari se sinat, judicari nolit, maledictiones & benedictiones suas pro divinis haberi velit. His notis Antichristi præmissis Apostolus Thessalonicenses leniter reprehendit, quod hujus suæ doctrinæ coram

traditæ

traditæ parum memores, instare jam crediderint adventum CHRISTI, & ex dictis facile eos perspicere posse, innuit, quid ipsum retineat retardetque, quo minus, instigante Satana, adveniat, dominatumque exerceat, nimirum persecutiones gravissimas Ecclesiæ, & summam Imperii Romani potestatem, qua fracta erumpere demum queat, & tandem suo tempore reveletur: adhæc efficacem Apostolorum concionem & curam singularem, primorumq; Christianorum amorem fervidum erga veritatem. Hisce impedimentis objectis mysterium iniquitatis, quod jam operetur occultius in Pseudo-Apostolis, articulos de justificatione, conjugio, jejunio &c. convellentibus cohiberi, sed sublatis è medio obstaculis, quod non nisi per multa secula & sensim futurum sit, plene revelatum tandemque etiam sublatum iri penitus ἄνομον à Dno. JESU, qui spiritu oris sui eum confecturus aboliturusque sit majestate glorioſissimæ apparitionis. Sed quia cavenda maxime erat seductio per Antichristum introducenda, Apostolus hujus regni initium, progressum & damnum describit, quod ἄνομος iste miraculis, vel Satanæ operatione patratis, vel confictis, omnibusque seductionum generibus, autoritatem sibi conciliaturus sit apud eos, qui pereunt, amorem veritatis Evangel. non recipiendo, neq; in corde puro servando, adeoque ex justo DEI judicio. 1. - 13. Cum vero sciat Apostolus, Thessalonicenses non esse ἐν τοῖς ἀπολλυμένοις, sed electis, DEO pro tanto beneficio gratias agit, eosq; ad idem faciendum, inque gratia & veritate, a se & coram & per epistolam tradita, perseverandum hortatur, ac ad extremum precatur, ut Dominus noster J. C. & DEus pater per Spiritum S. illos potentissime consoletur & confirmet in omni verbo veritatis & opere bono, ut laudem, quam ipsis tribuerat 1. Thes. I. retineant illibatam, 13. -- 17. 2. *Thes. II.*

CAP. III. α) petit, ut pro se orent & cursu Evangelii, ac liberatione sui a protervis & malis hominibus, vel fidem simu- Cap. III.

Act. XVIII. 18. ff. lantibus, vel perſequentibus: quemadmodum etiam ipſe pro iis preces ad DEUM fundat, ut Dominus illos roboret, cuſtodiat, dirigat &c. 1. -- 6. β) Monet, ut ſe ſubducant ab iis, qui ſub nomine Chriſtiano parum Chriſtiane vivant, ſed otio indulgeant, quo via ſternitur ad omnis generis vitia, 6. & ſuum iis proponit exemplum, quo præiverit cunctis labore & ſedulitate, ac mandatum inculcatum, 7. -- 11. cujus inculcandi neceſſitatem indicat, quod audiverit, quosdam ἀτάκτως ambulare, otiari, circumcurſitare, curioſe aliena ſatagere, ad aliorum placita ſe conformare, alios judicare &c. ut lucellum aliquod vel panem inde capiant, aut rapiant, 12. Quales hortatur graviſſime, ut curioſitate inani relicta, vocationis opera diligenter faciant, ſuoque veſcantur pane, & graves aliis non ſint, ut ignavi fuci, 13. meliores autem confirmat, ne bene agendo & etiam monendo inordinatos ſegneſcant, ſed, ſi obtemperare ii nolint, per epiſtolam immorigeros notent, eosque devitent, ut erubeſcant & aliam vitam inſtituant, non tamen velut inimicos habeant, ſed admonitionibus inſtent, 14. Voto & ſalutatione claudit, ſuoque ſigno appoſito, ne falſarii alias obtrudere literas, quaſi à ſe ſcriptas, incautis obtruderent, eosque ſeducerent, 15. -- 18.

XIII.

Paulus Hieroſolymam indeque in varia loca profectus eſt.

Scriptis hiſce duabus ad Theſſalonicenſes Epiſtolis Corinthi, ibi tandem fratribus multis cum admonitionibus & precibus valedixit, & in *Syriam* navigavit, ut Hieroſolymam tenderet ad feſtum, quod inſtabat, & ad id libere voto ſe adſtrinxit, tonſo capite in portu Corinthiorum Cenchreenſi, ubi ſimiliter Eccleſiam fundavit (Rom. XVI. 1.) *Epheſum* autem perveniens Judæis de Chriſto diſſeruit primum, hisque orantibus, ut diutius ibi doceret, non annuit, ob iter Hieroſolymitanum; reliquit tamen *Aquilam* & *Priſcillam*, qui ſuas vices in docendo peragerent. Act. XVIII. 18. -- 22. Perrexit igitur *Cæſaream*

ſaream Palæſtinæ, indeque *Hieroſolymam* ſexta vice aſcendit, comitibus *Barnaba* & *Tito*, ibidemque cum *Petro*, *Jacobo* minore, & *Johanne* contulit de circumciſione Titi, aliisque capitibus, 22. Gal. I. 18. II. 1. ff. non diſcendi, ſed confirmationis cauſa. Mox inde abiens *Antiochiam* Syriæ quinta vice rediit, ibidemq; commoratus aliquamdiu eſt. Eo etiam *Petrus* venit, libere cum Ethnicis converſatus, antequam à Jacobo miſſi adeſſent, à quibus tamen ſe deinceps ſubduxit, reveritus ex Judæis converſos; quem propterea Paulus graviter redarguit, Gal. II. 11.--21. Hinc regionem *Galaticam* & *Phrygiam* ordine peragravit, & omnes diſcipulos, quos antea ibi fecerat, confirmavit, vitia & abuſus, ſi qua irrepſiſſent, correxit, & alios plures haud dubie convertit, 23. Excitavit interea DEUS etiam alios fideles συνεργοὺς, è quibus fuit *Apollo*, in Scriptura S. potens & ſpiritu fervens, qui edoctus plenius accuratiusque à Priſcilla & Aquila viam Domini juxta inſtitutionem Apoſtolorum, conſtituit in *Achajam* proficiſci, ut ibi etiam, ac inprimis Corinthi, Judæos convinceret, ac demonſtraret JESUM eſſe verum Meſſiam. Commendatus igitur à fratribus Chriſtianis, utilem operam navavit, Eccleſiamque Corinthicam large rigavit, 24.-- 28. 1. Cor. III. 6. *Act. XIX.*

XIV.

Paulus *Epheſum* rediens incidit in quosdam a Johanne baptizatos & informatos, ſed expertes adhuc mirabilium Chriſti operum ac beneficiorum, credentibus collatorum, & ignaros donorum Spiritus S. De his ergo ubi eos erudivit, per χειροθεσίαν Spiritus S. dona contulit, ut ita utroque baptismo, & fluminis & flaminis perfunderentur, 1.-- 8. Deinde per tres menſes libere in Synagoga docuit, multisque perſuaſit, quæ regnum DEI per JESUM conſequendum ſpectabant. Sed quia nonnulli indurati non ſolum ſibi non patiebantur perſuaderi, ſed etiam ejus inſtitutioni publice coram multitudine maledicebant, ab illis di-

Epheſi docet & miraculis inclarescit. Demetrius tumultum movet.

Act. XX. gressus alium docendi locum sibi delegit, nempe Scholam *Tyranni*, ubi per biennium quotidie docuit, nemine contradicente, magnoque cum successu, audientibus ipsum omnibus Asiæ incolis, Ephesum mercaturæ gratia frequentantibus: cumque DEUS miracula haud vulgaria per Paulum patraret, multi veritatem amplexi sunt. Nec parum promovit regnum Christi, memorabile exemplum exorcistarum quorundam, nomine JESU perperam abutentium, inque eo dæmonia ejicientium; sed tum, DEO fraudem malitiamque detegere volente, dæmonia non paruerunt, in exorcistas insilierunt, ita subegerunt & tractarunt, ut nudi fugere coacti fuerint. Quo omnes metu perculsi nomen JESU magni facere, aperte palamque confiteri & renunciare malis artibus ceperunt, combustis libris magicis & profanis magni pretii. 8---20. Hunc in modum cum invalesceret doctrina salutaris, *Paulus* cum animo suo statuit, perlustrata *Macedonia* & *Achaja Hierosolymam* denuo proficisci, præmissisque eo *Timotheo* & *Erasto*, aliquamdiu adhuc in Asia substitit, & in magno periculo fuit, posteaquam Satanæ impulsu *Demetrius* dolore imminuti quæstus concitavit turbam, prætexens religionem Dianæ & fanum celeberrimum pro nihilo habitum iri, si Christiana religio ita creseceret. Sedata tamen, dirigente DEO, turba fuit per urbis præfectum, 20.-40.

XV.

1. *Epistola ad Corinth. ubi & qua occas. scripta?*

Noluit igitur Paulus diutius ibi hærere, sed convocatis & confirmatis discipulis, *Macedoniam* peragravit, & aliquot mensis ibi, nominatimque *Philippis*, exegit, unde Epistolas ad *Corinthios* misit, ut habet utriusque subscriptio vulgaris; sed sicut subscriptiones non ab ipsis Apostolis profectæ sunt, nec semper congruunt: ita quoque nullo idoneo argumento ostendi potest, priorem Epistolam fuisse Philippis scriptam, & rectius omnino sentiunt, qui eam *Epheso* exaratam propugnant, vel circa Ephesum,

sum, ex 1. Cor. XVI. 5. 8. & 2. Cor. II. 12. adeoque inserenda foret Act. XIX. inter ỳ. 22. & 23. Vid. *Sandhag.* p. 170. 1. Cor. I.

Occasionem scribendi Paulo dedêre dissensiones & contentiones excitatæ inter Corinthios ab ambitiosis Philosophis & Oratoribus, sapientiam DEI in mysterio & verbum crucis ignorantibus & ridentibus, Cap. I. II. nec non scandala doctrinæ morumq;, quibus fundamentum fidei principale, CHRISTUS JESUS, convellebatur, Cap. III. sanctitas vitæ negligebatur, hincque contemtus ministerii divini, (cap. IV.) incestus & scortationes, (c. V.) lites coram infidelibus & flagitia varia, (VI.) abusus libertatis Christ. circa adiaphora grassabantur, & quæstiones movebantur de virginitate & conjugio, (VII.) de idolothytis, (VIII.) stipendiis ministrorum fidelium, (IX.) dispensatione S. Cœnæ, (X. XI.) donis spiritualibus, (XII. XIII. XIV.) de spe resurrectionis beatæ, (XV.) de collecta (XVI.) De quibus omnibus cum certior redderetur Apostolus, partim per domesticos Chlois I. 11. partim per Epistolam a Corinthiis quibusdam ad se (VII. 1.) datam, medicamina salutaria morbis & scandalis suggerit.

Ejus analysis & summa. Cap. I.

CAP. I. post salutationem Apostolicam & celebrationem gratiæ DEI, opulentissimæ Corinthiis in J. C. datæ & confirmatæ confirmandæq;, 1. -- 10. eos per nomen Dn. nostri J. C. hortatur, ut idem omnes dicant atq; sentiant, & unitatem spiritus servent, ac proinde sanctum pacis concordiæque vinculum rumpentes corripit, partium studium vanum ostendit, cum omnium Doctorum unus scopus sit, ad Christum ducere, unicum caput & fundamentum, in quem credere, baptizari & respicere omnes debeant, & qui cuique tribuat pro arbitrio dona ad communem Ecclesiæ usum, ut nihil attineat in ministris hærere, vel eorum facundiam loquacitatemve admirari, 10. -- 17. quia simplicibus verbis Christus verbum crucis prædicari velit, satis efficax in se ad persuadendum & salvandum, ut nulla indigeat eloquentia humana-

1. Cor. I. & II. humana, sed ea potius evacuetur, ac pereuntibus stultitia, salvandis autem ac ordini divino sapienti se subjicientibus, DEI virtus sit, 17. 18. conf. Rom. I. 16. unde DEUS jam olim prædixerit, quod sapientiam sapientum mundi aboliturus, Jes. XXIX. 14. nec ad Evangelium prædicandum adhibiturus sapientes, scribas & disputatores, Jes. XXXIII. 18. sed eos potius infatuaturus sit. Idque eum jam impleviſſe, atque adeo neminem offendi debere stulta illa, ut stultæ rationi videatur, prædicatione, per quam sapientissimo DEO placuerit salvare credentes, licet Græci pariter atque Judæi, hujus mysterii ignari, hanc sapientiam haud agnoscant, sed fatuitatem judicent, eaque offendantur ; aliter enim judicare vocatos cum effectu, & Christum crucifixum experiri atque profiteri DEI potentiam & sapientiam ineffabilem, (Prov. VIII. 22. Luc. I. 35. Ebr. V. 9.) recteq; sentire, quod omnia divina humanis longe potiora sint, quantumvis stolida & infirma appareant, 18. - 25. ac DEUM ex ipsis quoque Corinthiis elegisse stultos, imbecilles, ignobiles, & nihili reputatos, ut pudore suffunderet sapientes, potentes, nobiles & magni æstimatos, ut gloriandi ansam omnibus adimeret, ut ex Christo omnia pensaret & donaret, qui factus sit fiatque credentibus sapientia, justitia, sanctificatio & redemtio; quemadmodum Jeremias jam olim prædixerit, (IX. 24.) 25.-- 31.

Cap. II. CAP. II. Ostendit Apostolus, se nec debuisse, nec voluisse in tradendo Evangelio Oratores ac Philosophos imitari, memorem sublimitatis mysterii Crucis, ac ne auditorum fides humana sapientia, adeoq; infirmo fundamento, ac plane nullo, niteretur, 1. -- 6. Interim tamen non minorem, sed longe etiam majorem verioremq; sapientiam se tradidisse, quam vel Judæi vel Græci jactitaverint, eam vero omni rationi & eruditioni absconditam esse, & à solo DEO ejusque spiritu revelari fidelibus, qui proinde soli capere, eloqui & dijudicare spiritualia queant, 6.-- 16.

CAP. III.

CAP. III. docet, se non potuisse etiam aliter agere & loqui cum Corinthiis, ac egerit locutusque sit; cum nondum ita profecerint, ut capere spiritualia plenè queant, sed ex parte adhuc carnales & infantes in CHRISTO sint, lacte non solido cibo nutriendi. Quod probat ex contentionibus inter eos temere excitatis de doctoribus, cum ejusdem conditionis & DEI συνεργοὶ sint, per quos ipsi crediderint, prout cuique DEUS dederit gratiam. Unde Corinthii DEO adhærere ac ei soli gratias agere debuerint; quos proinde monet, ut, cum sint DEI opus & domus, videant, quomodo unicum fundamentum, J. C. sartum tectumque in fideli corde servent, eique superstruant opera duratura & permansura in igne tentationis, probationis, (Jud. ℣. 20) & visitationis divinæ, cum certo futurus sit dies aliquis, qui cujusque opus, quale sit, manifestet, & pro quo, si bonum solidumque fuerit, mercedem gratuitam recipiat, vel jacturam faciat, quando opus instar lignorum, fœni & stipulæ comburatur, ac sic deprehendat homo, quam imprudenter & negligenter egerit, decipique se passus fuerit inanibus verbis & opinionibus erroneis, sive â carnis propriæ sapientia, sive carnalibus doctoribus suggestis; licet fundamentum servare firmum studuerit, atque id etiam retinuerit, ut salvetur, si probam sustinuerit. Nam nil nisi verum, sanctum & stabile ab iis, qui Templum DEI per Spiritum S. facti sunt, provenire debere, ac DEUM eum perditurum, qui sanctissimum suum templum perdiderit: idque fieri tum posse, si quis mundi sapientia fretus cultum DEO placentem præstare salutemque suam operari velit. Quod cum Corinthiis facile contingere queat, eos hortatur, ne seipsos seducant persuasione alicujus sapientiæ, sed id certissimum habeant, omnes stultos fieri in hoc seculo debere sapientes mundi, qui sapientiam DEI in mysterio salutemque consequi velint, quum, ceu jam sub initium Epistolæ dixerit, hujus mundi sapientia apud DEUM sit stultitia, & Scriptura

1. Cor. III. Cap. III.

2. Cor. IV. hoc subinde affirmet, Job. V. 13. Ps. XCIV. 11. Neminem itaque gloriari debere in & de hominibus, qualescunque & quantis donis præditi illi sint, cum omnia in CHRISTO habeant fideles, & omnibus extrinsecus advenientibus sic utantur, ut iis vel excitentur, vel probentur, a fundamento autem nulla ratione aut occasione dimoveantur, sed eidem superstruant utilia & solida, in fide, charitate & spe, ab omnibus contentionibus de Doctoribus alieni, quum omnia fidelium sint, eorumq; usibus a DEO concessa. Hinc

Cap. IV. CAP. IV. monstrat evidenter, quo loco habendi sint Ecclesiæ Doctores, ne vel nimis contemtim, vel nimis magnifice auditores de iis sentiant, Subremiges CHRISTI & Oeconomos mysteriorum DEI, ac propterea fideles esse haberique pro talibus debere omnes, utpote pares dignitate ac officio, licet alii præ aliis insignibus donis præditi sint. Unde Paulus perversum Corinthiorum, imo Concilii integri, de se judicium nil pensi habet, quia nil sibi conscius esset, quod in officii demandati a DEO partibus prætermisisset, vel ulli alii concessisset, licet se propterea non ab omni culpa immunem pronunciet, sed DEO ejusque gratioso judicio se submittat. Graviter etiam Corinthios monet, ne temere de se judicent, sed supremi judicis sententiam exspectent, qui suam cuique laudem sit impertiturus. Totam mox disputationem præcedentem in summam colligit, atque in se & Apollinem transtulisse studiose scribit, propter Corinthios, ne quisquam de aliquo suo doctore magnificentius sentiat, quam scripserit, & de eo superbiat, contra alios autem rixetur & schisma faciat, absque ulla causa; quia & a DEO quisque acceperit, quod habeat, & DEO humiliter acceptum ferre debeat. Id non fecisse Corinthios probat, eosque carpit, quod perperam sibi persuaserint, se jam saturos & divites esse, ac regnare, adeo ut Apostolos nil curent, aut curandos putent, nec in via crucis eos sequantur, quæ tamen omnibus

bus Christianis calcanda sit. Eo nomine opponit descriptio- 1. Cor. V.
nem contemtæ sortis Apostolorum & verorum CHRISTI sectatorum, splendidæ Corinthiorum, quam sibi imaginabantur, ut cernerent, quam longe abessent à Christi imitatione, cui conformes esse deberent, (infra XI. 1.) ac, ne secius interpretarentur hanc suam collationem, dicit non exprobrandi (zu beschimpfen) sed monendi gratia talia abs se proficisci, ex paterno affectu & jure, huncque in finem se misisse Timotheum, filium suum genuinum, fidelemque, qui constantem doctrinam, vitam & mores Apostolicos illis in memoriam revocet, donec ipse venturus D. V. cogniturus & exploraturus sit, non phalerata inflatorum verba, in quibus regnum DEI non consistat, sed vim & efficaciam spiritualem. Videant igitur, quales ipsos propediem præsens futurus deprehendat; se quippe ad utrumque paratum, ut veniat vel tanquam indulgens pater, si resipiscant, vel ut severus castigator, si superbi & contentiosi esse perrexerint. Interim ne frustra accusari se existimarent Corinthii, per literas reprehendit enormia peccata, quæ inter eos grassabantur, ac nominatim

CAP. V. incestum, a quopiam perpetratum, quale scelus Cap. V.
ne quidem inter Gentiles reperiatur, quod nihil solliciti de eo fuerint, nec per excommunicationem ejecerint scelestum hominem, atque adeo frustra superbierint de suo imaginario optimo statu, & adhuc sine mora excommunicandum præcipit, præscribitque excommunicationis modum ac finem; mox generatim omnes perversos mores, hypocrisin, pravam doctrinam, & quæcunque corruptionem inducere possunt, quæ fermenti nomine complectitur, eliminari vult & expurgari, prout eos decet, qui nova massa in CHRISTO facti sunt, & renovari in dies debent, cum habeant pascha pro se mactatum, Christum, quo frui tota vita, ac omni tempore festum spirituale celebrare queant, in sinceritate & veritate. Eo nomine repetit commo-

1. Cor. VI. nefactionem jam ante datam, de vitandis impiis & impuris, qui etiam fermentum quoddam noxium sint; quam quia non recte intellexerant Corinthii, hic planius pleniusque exponit, quod eos duntaxat putaverit, qui fratres s. Christiani salutari velint, & tamen omnis generis vitiis sanctum nomen deturpent, non Gentiles, quorum commercium devitare impossibile sit, quosque nihil attineat judicare, utpote alienos a societate Christiana, & à DEO judicandos: Ecclesiastica autem censura omnino notandos & excludendos propalam malos esse, ut, quod Ecclesia proprie est, congregatio & communio Sanctorum, instauretur, ac singuli, qui nomen Christi gerunt & invocant, ab omni inquinamento carnis & spiritus se expurgent, perficientes sanctificationem in timore Domini.

Cap. VI. CAP. VI. Hinc ad alia procedit in Corinthiis reprehendenda, ac (1.) quidem quod sint inter eos, qui audeant litigare cum fratribus sub Ethnicis, infidelibus, veræ justitiæ & dilectionis ignaris, idque in negotiis rebusve exiguis, ad hujus duntaxat vitæ usum pertinentibus. Hoc indignum esse docet Christianis, α. quia longe majora, angelos & homines malos judicaturi sint, Ps. CXLIX. 7. ff. Matth. XII. 40. s. XIX. 28. Apoc. II. 26. s. III. 21. & nunc judicent mundum, damnando ejus mores & studia: β. vel contemtissimi in Ecclesia lites facile desceptare queant, ac γ. Christiani ita prostituantur, quasi nemo eorum tam sapiens sit, ut lites componat, si arbiter & judex quæratur è Gentibus. δ. jam carnalem arguat & defectum moralem, si lites inter Christianos vigeant, quorum sit lites vitare, injuriam illatam patienter ferre, condonare potius quam inferre & defraudare, juxta præceptum Christi, Matth. V. 40. (2.) Hac occasione ad alia injustitiæ genera transit eademq; redarguit, ostendens, quod regno DEI excludant, & a Christianis prorsus abesse debeant, (conf. Eph. V. 3.-- 7.) utpote qui, si talia olim in gentilismo fecerint, ab iis per baptismum abluti, sancti-

sanctificati, imo justificati sint, in nomine J. C. & Spiritus san- 1. Cor. VI. 9
cti operatione gratiosa. Ac ne quis Corinthiorum libertatem Christianam objiciat & carni hoc prætextu licentiose indulgeat, ostendit, non omnia conducere, quæ licere putent, sed valde nocere & in servitutem peccati atque diaboli sæpe redigi licentiosos, quod duobus exemplis declarat, (1.) dat DEUM ordinasse cibum ventri, & ventrem escis; sed DEUM & illum & has aboliturum, & ventri indulgentem eique servientem, quod facile fieri queat atque fiat, damnaturum, (Phil. III. 19.) (2.) non dat, quod sibi carnalis sumere ausit, licere corpore uti ad scortationem, quin potius illud Domini esse dicit, redimentis corpus & animam sanguine suo. Ei ergo corpus consecrandum unice, cum DEUS, qui Dominum nostrum J. C. suscitavit, nos quoq; & corpus nostrum per omnipotentiam suam excitaturus sit, ad gloriam sempiternam; & fidelium corpora Christi membra sint, per unionem mysticam. Maxime igitur turpe esse, membra Christi facere membra meretricis, quod fit per scortationem, qua qui scorto conglutinatur, una caro & unus spiritus carnalis, ac velut una persona cum scorto evadit. At, qui Domino adhæret, non solum unum corpus mysticum cum eo est, Eph. V. 30. sed etiam unus spiritus, in CHRISTI spiritum quasi transformatus, 2. Cor. III. 18. Talis autem fugit scortationem, tanquam peccatum omnium turpissimum & maxime noxium, cum in proprium corpus scortator peccet, & spiritualiter, illud à CHRISTO avellendo, & naturaliter, id enervando & perdendo in gehennam. Cogitet enim suum corpus esse templum Spiritus sancti, a DEO donati ad sanctificationem perpetuam, nec se sui juris esse, sed emptum pretioso sanguine Filii DEI, quoad corpus & spiritum; (Act. XX. 28. 1. Pet. I. 18. 19.) adeoque glorificet DEUM & corpore & spiritu omnibusque viribus, nec quidquam committat, quod sanctum ejus templum violare queat. Vid. Luc. I. 74. 75. Rom. VI. tot.

1. Cor. VII. Cap. VII.

CAP. VII. Hinc progreditur Apostolus ad conjugium, divortium, cœlibatum aliaque officia vocationis Christianæ, occasione quæstionum a Corinthiis propositarum de his ipsis rebus. Primo enim quæsiverant: an sic pietati, orationi & castitati sit vacandum, ut prorsus a re uxoria abstinere debeant, etiam uxorati? Ubi Apostolus respondet: propter instantem calamitatem, bonum esse homini, mulierem non tangere, (conf. ℣. 26.) ob stupra tamen evitanda, quemque suam uxorem & quamque suum virum habere debere, ℣. 1.2. conf. ℣. 8.9.

II. De mutuis conjugum officiis eos instruit, præstandis ex debito & animo benevolo, quæ ad multa se extendant, interque alia ad communionem corporum, ut neuter conjugum alteri se subducere, lædere, in servitutem dedere, vel in monasterium abire queat. Abstinentiam tamen ad tempus breve non prohibet, ut stativis precibus & jejuniis solennibus vacare queant, sed ex consensu mutuo, ut deinceps iterum consocientur, ne à Satana tententur, & seducantur, si continentiæ donum non habeant. Optare quidem se, ut omnes sic essent, ac ipse sit; at, cum quisque suo dono divinitus concesso contentus esse debeat, se nihil præcipere, ℣. 8.

III. De iteratis conjugiis agit, docetque, viduis bonum fore propter afflictiones imminentes, si novo voto se non obstringant: quod si tamen continere se nequeant, vult, ut iterum matrimonium ineant, cum melius sit nubere, quam ardere libidine, ℣. 8.9.

IV. Divortia tamen concedit, sed prohibet marito æque ac uxori, ex ore Domini, Matth. XIX. 6. Quod si autem ipso facto alterutra pars se separet, reconciliationem imperat; neque propter diversitatem religionis solvi vinculum debere scribit, quum liberi inde prognati, si unus parentum fidelis sit, jus habeant sanctificationis, ac per baptismum & preces sanctificari queant: at si infidelis se separet, Christianum vel Christianam, tan-

tanquam partem innocentem, non teneri servitute vel debito non ineundi alterius conjugii, sed bona conscientia & pace frui posse. Ideo vero etiam separationem non concedit, quia fieri possit, ut altera pars alteram servet, (1. Pet. III. 1. exemplo Monicæ, Patritium, virum suum servantis) ℣. 10. -- 17. 1. Cor. VII.

V. Hac occasione Apostolus transit ad officia generalia Christianorum, ac monet, ut unusquisque in quocunque vitæ genere & statu, quo vocatus ad fidem CHRISTI sit, faciat, quod sui muneris est, nec officere conditionem suam Christianæ professioni existimet. Ita si quis prius circumcisus, ut Judæus & Proselytus, sit vocatus, eum non retrahere debere præputium; nec præputiatum affectare circumcisionem, cum jam in N. T. nec circumcisio nec præputium quidquam valeat coram DEO, sublato per CHRISTUM pariete intergerino, sed omnes unum sint in C. J. Gal. III. 28. ac tantum valere fidem per dilectionem operosam, novam creaturam, & non observationem præceptorum DEI, Gal. V. 6. VI. 15. Firmam igitur stare regulam: in quo quisque statu vocatus est, in eo maneto apud DEUM, & coram DEO ambulato, sive liber, sive servus sit; sufficere quippe libertatem à CHRISTO partam & donatam, Joh. VIII. 36. qua fruantur etiam servi; quin liberos etiam servos fieri CHRISTI, (conf. Rom. VI. 18.) utrosque tantum sedulo cavere debere, ne fiant servi hominum, ut iis magis obediant, sive in impiis doctrinis, sive mandatis, quam Domino J. C. à quo redempti charo pretio obstrictique ad ejus obsequium sint, ℣. 17. -- 24.

VI. De virginitate quia quæstio esse poterat, & fortasse fuerat, an cœlibes quoque eo in statu, in quo vocati fuêre, permanere debeant? respondet Apostolus, se quidem nullum habere præceptum Domini generale & absolutum, sententiam tamen, pro gratia luceque divinitus concessa, fidelem proferre ac statuere, melius esse si cœlibes maneant, propter instantes tum persecutiones, & difficilem matrimonii paritatem, quam si nubant.

1.Cor.VII. bant. Interim vinculo conjugii obstrictum solutionem haud debere quærere, nec solutum uxorem: nequaquam tamen peccare vel juvenem, vel virginem, si nupserint; licet pluribus calamitatibus obnoxii sint, ob tempus difficile imminens, quarum expertes eos esse optaret: futurum enim, ut, qui uxores habent, perinde sint, ac si non habeant, & qui plorant, ac si non plorent, sed gaudeant etiam ob ereptos amicos calamitatibus (Jer.XXII. 4.) & gaudentes sponsi & sponsæ, ac si non gaudeant: & qui fundum emerunt, ac si nihil possiderent: & qui utuntur hoc mundo, ejusque bonis temporalibus, tanquam non perfruentes eis. Transit enim cito species & pulchritudo hujus mundi, cum mundo, (1. Joh. II. 17.) His ergo rebus implicare se Christianos non debere, nec anxie illas quærere, sed magna cum abnegatione iis uti. Difficile autem esse, solvi ejusmodi curis circa τὰ βιωτικὰ, qui conjugati sunt & quidem impari conjugio, cum plerumque soleant ea curare, quæ hujus mundi sunt, cœlibes autem illa, quæ DEI sunt. Hæc autem Apostolus scribere se testatur, ad Corinthiorum commodum, non ut laqueum conscientiis injiciat, sed ut ostendat, quid magis deceat & expediat ad pietatis exercitia. Quemlibet tamen sua dona expendere probe debere, ac Parentes quoque talia reputantes, posse vel elocare filias, vel non, si habeant donum castitatis. Repetit tandem monita, quod non præcipiendi sed suadendi causa ea scripserit de cœlibus & viduis, quod tranquilliores secilioresque vivere queant, si sic maneant, propter tempora difficilia, quæ tum instabant, & alias circumstantias, v. 24.--40.

Cap.VIII. CAP. VIII. De libertate Christiana in rebus mediis nunc informaturus Paulus Corinthios, non scientiam tantum sed dilectionem quoque requirit, cum illa sola inflet, non ædificet, nec solida aut vera sit, ex intimiore DEI cognitione s. illuminatione profecta & amoriflua. Mox probat, scientiam dilectione cassam reperiri apud eos in idolothytis, tametsi nemo Christiano-

stianorum ignoret, idolum vel simulacrum in mundo nihil, imo etiam in universum non esse alium DEUM, nisi unum in essentia & trinum in personis, Patrem, à quo, Filium, per quem, tanquam Redemtorem & Dominum, omnia, & Spiritum S. qui nos sanctificet, ut in DEUM reducamur, eidemque reduniamur, Rom. XI. 36. veram autem illam scientiam, qua DEus se fidelibus intime revelat, & gustandum præbet (¥ 3. conf. Joh. XIV. 21. ff.) non omnes habere, ut vel ex argumento de cibis immolatitiis liqueat, cum quidam conscientia adhuc infirma, ac nondum ex plena fidei notitia libertateque, edant idolothyta, alios sua libertate utentes, vel potius abutentes, imitantes. Tales igitur non esse offendendos sub prætextu libertatis & cognitionis, nec exemplo inducendos; quin potius abstinendum perpetuo carne deastris immolata, si frater lædatur & pereat. *1. Cor. VIII. & IX.*

CAP. IX. Hanc in rem Paulus seipsum in exemplum sistit, quod, ceu Apostolus & liber, (ut probat ex requisitis & sigillo Apostolici muneris, ac Corinthiis ipsis) jure suo in circumducenda uxore, accipiendoque stipendio, naturæ & Scripturæ indultu sibi debito ac licito, sponte abstinuerit, vitandi scandali, & promovendi Evangelii gratia; imo omnibus se servum fecerit, quo plures lucrifaciat, & omnia omnibus factus sit, ut omnino aliquos servet. Monet igitur: ut se imitentur, & vel gentiles respiciant, qui pro impetranda corona peritura ab omnibus rebus, impedimentum objicientibus, abstineant, stadium præfixum decurrant, & pugnent fortiter, licet præmium non omnes obtineant; quod tamen Christiani omnes recte currentes, certantes, se continentes, obtinere certo queant. *Cap. IX.*

CAP. X. Quantopere abnegatio sui ipsius, & libertatis speciatim, necessaria sit, exemplo Israëlitarum ostendit, qui abusi turpiter libertate ac beneficiis maximis, a DEO exhibitis, in tentationes varias inciderint, & male perierint. Ne igitur *Cap. X.*

1. Cor. X. idem eveniat Christianis, dehortatur eos a contemtu divinorum munerum, securitate, idololatria spirituali ac corporali, tentatione CHRISTI & obmurmuratione, cum ista omnia πρὸς νουθεσίαν ἡμῶν scripta, & tanto magis ejusmodi ut & alia omnia peccata fugienda sint; quanto majora in N. T. beneficia habeamus, nominatimque κοινωνίαν cum CHRISTO, qui se totum nobis in S. Cœna tradat, ut vel ob hanc solam causam idolothyta devitare oporteat, cum Christiani etiam Israëlitarum sacrificia degustare ausi non sint, ne hi gloriari possent, illos particeps factos altaris, quod nihil amplius erat vel proderat, post oblatum pro nobis Christum. Tametsi igitur idolum & idolis immolatum nihil sit, vesciqueliceat omnibus in macello venalibus rebus; facile tamen fieri posse, ut quis non satis prudens particeps fiat dæmonum eorumque mensæ, quoniam Gentiles immolent dæmonibus, & communionem cum dæmonibus interpretentur illam aræ s. mensæ participationem cum ipsis. Non posse autem, nec debere Christianos & Domini & Dæmoniorum mensam participare. Quod si ad libertatem provocaverint, videndum, ne ea Dominum tentent, aut adversus se irritent, frustra certe cogitent, se illo fortiores esse, illiusque pœnas evasuros. (℣. 22.) Omnia quidem adiaphora licita manere, in circumstantiis tamen certis fieri illicita & noxia, si vel Gentiles in sua idololatrica opinione confirmentur, vel infirmi Christiani offendantur. Itaque moderatricem libertatis debere esse charitatem erga proximum, quæ alterius commodo potius quam suo studeat. Hinc regulas quasdam præscribit, secundum quas tuto incedere queant in hac de adiaphoris quæstione. I. quicquid venale in macello est, emi edique posse, etiam carnes idolis immolatas, nec necesse esse, inquirere scrupulose, an tales sint, ne forte conscientia commaculetur; cum Domini sit terra & plenitudo ejus, in quo libertatem adepti fideles, omnibus fruendi. 1. Tim. IV. 17. II. Si quis infidelium ad

ad convivia privata & concilia vocaverit fidelem, Christianum, si velit satisque firmus sit, ire vescique appositis cibis posse, absque inquisitione; secus autem III. si quis indicaverit esse idolothyta, propter conscientiam indicantis imbecilli fratris, salva libertate, cum Domini liberalitate alii etiam cibi suppetant in tanta plenitudine, quibus vesci queat: nec etiam V. judicare damnarive debere edentem sine scandalo aliorum, cum gratiarum actione. Summam dictorum faciendorumque VI. hanc esse: omnia hic ad gloriam DEI & proximi ædificationem dirigenda, & secundum hos fines moderanda, sicut ipse quoque studeat, qui scandala evitet & ad omnium utilitates sese attemperet, non ad sua commoda, ut quamplurimos CHRISTO lucretur. Se igitur Corinthios debere imitari, quemadmodum CHRISTI vestigiis ipse insistat. 1. Cor. IV.

CAP. XI. Laudat Corinthios, quod multi eorum ordinem a se institutum in sacris ceremoniis & conventibus observent adhuc; quia tamen quosdam ἀτάκτως ambulare comperit, ἀταξίαν illam & reprehendit, & corrigit, I. in habitu indecoro mulierum, ac eo nomine fundamentum evtaxiæ altius repetit ex serie superioritatis & subjectionis, quod CHRISTUS omnis viri & vir uxoris caput sit. Quemque ergo in ordine subjectionis suæ sub CHRISTO decenter se gerere debere, idque tanto magis, quia Christus quoque secundum humanam naturam Patrem agnoscat caput. Hinc virum tecto capite orantem aut vaticinantem turpificare caput suum, Christum, libertatis & dominii symbolum (nempe apertum caput) flocci pendendo; Mulierem contra, non obtegentem caput inter sacra, dedecorare virum suum, ceu caput, cui subjectam se esse, tegmine testari, non cincinnos ostentare &c. more Gentilium, debebat. Pro velamine autem dedisse naturam capillos mulieri, unde si tegi nolit, perinde esse, ac si tonsa foret, quod cum omnino ei turpe sit, obnubendum caput, ut reverentiam erga virum in Christo testetur. Virum quidem propterea ca- Cap. XI.

2. Cor. XI. put obnubere haud debere, quod imago & gloria DEI sit, ut Christum repræsentet; mulierem vero imaginem & gloriam viri, quia ex viro & propter virum, eiq; subditam, subjectionis signum, capitis velamentum, gestare vel propter angelos & fideles s. sanctos in Ecclesia præsentes. Interim ne vir vel nimium superbiat sua dignitate, aut mulier abjectius habeatur, ostendit Paulus, DEUM utriusque sexus & subordinationis autorem esse, & neutrum alterius ope carere posse, ejusque intuitu virum moderari suum imperium, & mulierum æquanimiter obsequi debere. Tandem ad τὸ πρέπον & naturam ipsam, sive consuetudinem, quæ altera natura est, provocat, quæ doceat, prolixiorem comam viro dedecori, mulieri autem decoram esse, quandoquidem huic pro velamine sit; hanc itaque recte profiteri subjectionem suam linteo, velandi gratia capiti superinducto. Inhisce rationibus ac piorum ipsarumque DEI Ecclesiarum consuetudine merito acquiescendum, nec contendendum cum contentiosis disputatoribus. ℣. 1. - 16.

II. ἀταξία in usu agaparum & S. Cœnæ taxat, quando non sine scandalo convenerunt, servantes & alentes factiones, a DEO permissas, ut, qui probati sunt, manifesti fiant, aliosque laudabili exemplo excitent & factiosos confundant. Ataxia vero & scandalum in eo consistebat, quod eodem coeuntes, Cœnam Dominicam celebraturi, suam quisque cœnam antecapiat & seorsim edat Paulinus, Petrinus, Apolliniſta, non absque jurgiis, vellicationibus mutuis & pauperum defraudationibus, atq; contemtu, cum hi esuriarint, illi plus satis habeant; sicque nullus charitati Christianæ locus in Agapis & S. Cœna, tum conjunctis relinquatur, & Ecclesiæ DEI ejusque membra despiciantur. Quo nomine postolus non tantum Corinthios corripit, sed etiam institutionem S. Evchariſtiæ a Domino acceptam iisque traditam inculcat, quæ eos commovere ad sanctam præparationem, conversationem, cōmunionem s. charitatem fraternam debeat, cum ipse Dominus id præceperit, quando ad

utram-

utramque speciem dixit : *hoc facite in mei commemorationem.* 1.Cor.XI. Hocq; urget inprimis & explicat ℣. 26. quod declaret, *mortem Domini annunciare* verbis & factis, cum quibus minime conveniant dissidia inter eos mutua, & alia Christianis indigna, quibus indigni reddantur S. Cœna, & si accedere ausint, rei fiant corporis & sanguinis Domini, ut Judas & Judæi, Christum prodentes & crucifigentes, ac gravissimas pœnas sibi cumulent. Hoc ne contingat, quemque seipsum probe probare, examinare, quoad contritionem, fidem & pœnitentiæ fructus, ac discernere corpus & sanguinem Domini, sive S. Cœnam; a vulgari Cœna, & summa cum reverentia ad tremendum mysterium accedere debere, cum certissimum sit, quod indigne edentes ac bibentes judicio divino obnoxii fiant, ac corporales quoque pœnas sibi accersant, morbos & mortem &c. Has quomodo effugere queamus, ostendit, nempe, si nos ipsos dijudicemus & examinemus accurate, pœnitentiamque agamus &c. Quod si nos intermittamus, DEUM castigare & paterne monere, ac ad pœnitentiam ducere, ne condemnemur cum mundo. Concludit demum, conventus esse rectius in charitate instituendos & celebrandos, promittitque, se cætera ad ἰυταξίαν spectantia coram ordinare ac disponere velle.

CAP. XII. Ordo decens observatur, si harmonia donorum in Ecclesia recte attendatur ; de ea igitur Apostolus hic prolixius differit, ostenditque dignitatem, originem & finem spiritualium donorum sanctificantium. Quod CHRISTUM JESUM cognoscamus & confiteamur Dominum salutariter, ex Spiritu S. est, corda illuminante & excitante. Quod hunc DEUS donet, maximæ ejus gratiæ indicium est, & tum rectius intelligitur, quando homo statum cogitat miserrimum ante conversionem, quem proinde Paulus Corinthiis in memoriam revocat. Qui vero Spiritu DEI aguntur & sanctificantur, nil agunt contra Dominum & proximum, semperque reputant secum, tot Cap.XII.

1.Cor.XIII. & XIV. ac tam varia dona, administrantia quoque & miraculosa, ab uno Spiritu libere dari, non ad superbiam aut ostentationem, sed ad communem usum & ministerium mutuum Ecclesiæ, sicut in uno corpore membra sibi invicem summo studio serviunt & concorditer omnes operas ad conservationem totius corporis conferunt. Hoc argumento efficaci & dilucido eos revocat ab omni fastu & dissidio, ac speciatim digniores, vel majoribus donis præditos, hortatur, ut inferiores foveant & ornent, cum nemo quidquam nedum omnia a se ipso, nec tamen pro se sed pro aliis habeat acceperitque divinitus. Ad concordiam vero quia charitas maxime facit, Apostolus

Cap.XIII. CAP. XIII. Dilectionem mirifice commendat, summis donis eam præfert, ac sine hac illa inutilia esse dicit. Deinde ejus proprietates & effectus salutares atq; necessarios ad bonum publicum & ædificationem enumerat. Porro a perpetua duratione celebrat, cum pleraque alia dona, quorum tres species exempli causa ponit, aboleantur, & eminentia præ fide ac spe. Hanc ob causam Apostolus monet, omni studio & præ omnibus aliis charitatem esse quærendam.

Cap. XIV. CAP. XIV. Ne vero quispiam ex egregia charitatis commendatione colligeret, dona spiritualia omnia parum esse æstimanda, plenius mentem suam circa illa explicat, atque monstrat, omnia dona esse quidem bona, alia tamen aliis magis necessaria atque utilia, ad ædificationem, quæ etiam solicitius sint expetenda. Cumq; donum linguarum plerique tum temporis maxime admirarentur, & aliis, speciatim dono prophetandi s. explicandi Scripturam S. præferrent, Apostolus prophetiam potius præfert, variis adductis argumentis, iisdemque similitudinibus pulchre illustratis, quarum summa huc redit, quod linguis peregrinis publice loquentes nil emolumenti adferant ad alios instruendos & emendandos, nisi interpretari possint, quod a DEO precibus expetendum, v. 1--14. idque per inductionem confir-

confirmat exemplis, etiam ſuomet, 14. -- 20. Omnia ad ſcopum maxime neceſſarium, nempe ædificationem, referenda, adeoque puerile fore, ſi quis dixerit, non opus eſſe interpretatione linguarum. Ex Scriptura conſtare, linguarum donum præcipue datum ad excitandos infideles, & ceſſare debere; jam converſos autem & fideles opus habere confirmatione, adhortatione &c. prophetica, 20. -- 23. Abſonum proinde futurum eſſe, ſi omnes in conventu ignotis linguis loquantur, unde idiotæ & infideles nullam prorſus utilitatem ſed potius calumniandi occaſionem capiant. At ſi omnes decenti ordine lingua nota Scripturas interpretati fuerint, fieri poſſe, ut vi verbi perculſi convictique ab omnibus peccata ſua aperte confiteantur, & convertantur, ℣. 24. 25. Hinc regulam repeti, omnia ad ædificationem fieri debere in collegiis, ac ſpeciatim linguis etiam loqui binos, aut ſummum ternos, ſed ſigillatim, non ſimul, & unum interpretari poſſe; quod ni fiat, ſatius eſſe tacere in Eccleſia & domi DEO ſibique loqui. Ita quoque interpretes duos vel tres proponere poſſe, auditores vero dijudicare (Act. XVII. 11.) & ſi cui aſſidenti aliquid reveletur, quod a priore neglectum ſit, illum tacere debere; ἑκάστοις omnibus enim hoc jus competere alios docendi & hortandi, ſed decenti ordine & cum ſubjectione aliorum Vatum judicio, ſine contentione & confuſione, 26. -- 34. Mulieres tamen in publico tacere vult, nec quærere etiam, ſed domi a maritis petere explicationem, & imitari cæterarum Eccleſ. morem, ubi id facere haud liceat. Atque hæc a DEO ſibi mandata ad eos eſſe de ſobrio & fructuoſo donorum uſu concludit, qui omnia decenter & ordine fieri velit, 32. -- 40. 1. Cor. XIV.

CAP. XV. Repetit inque memoriam Corinthiis revocat ſummam Evangelii a ſe annunciati & ab iis acceptI fide, per quod etiam, ſi in eo perſeverent ac ſtent, ſalvi fiant, inprimis autem articulum de CHRISTO ejusque reſurrectione, ℣. 3. cui Cap. XV.

1 Cor. XV. cui innititur credentium ad vitam æternam resurrectio, 12. Unde illam validis argumentis è Scriptura S. confirmat, quia Philosophicis quibusdam ratiunculis oppugnari solebat, nimirum (α) a testimonio plurimorum fide dignorum hominum, qui Christum resuscitatum viderunt, ac demum suo proprio, 4.-- 12. (β) a necessitate summa ad salutem nostram, & absurdis consequentibus, si negetur vel possibilitas, vel veritas resurrectionis. Sequi enim 1. nec Christum resurrexisse, 2. inanem esse prædicationem & fidem nostram, 3. Apostolos falsos esse testes, (contra Act. I. 22. X. 41.) 4. nos nondum a peccatis liberatos esse (contra Rom. IV. ult.) 5. periisse in æternum in Christo obdormientes, 5. Christo hic viventes & crucem ejus ferentes esse hominum miserrimos, si nullam in futurum spem haberent in gloriam intrandi, ℣. 12. -- 20. Refutato falso negantium principio, nempe impossibilitate, jam è contrario probat resurrectionis nostræ certitudinem & ordinem. 1. quia Christus ita resuscitatus sit, ut primitiæ dormientium in ipso sit factus, & totam messem, secuturam in consummatione seculi. Matth. XIII. 39. sanctificaverit. 2. quia ut Adamus mortem promeruit & derivavit in omnes; sic Christus vitam beatam, ordine tamen certo, justo & sapienti; ita, ut fideles gaudeant prærogativa in adventu ejus, deinde ut tradat sistatque regnum gratiæ Patri, ac regiminis modum statumque mutet, destructis subjectisque actu omnibus hostibus, & ipsa morte, Scriptura clare docente Ps. CX. ac ipse quoque secundum humanam Naturam Patri se subjiciat, & tamen glorioſe cum eo regnet perpetuo, sicque fideles experiantur, DEUM Patrem esse in Filio omnia in omnibus, (Joh. XVII. 23. 24.) ℣. 20. -- 29. (γ) a spe viva, quam testati fideles sunt, quando super mortuos in Domino baptizari voluerunt, vel pro subito mortuis ante acceptum baptismum, & in quotidianis vitæ periculis pro Christo subeundis, quod ipse etiam fecerit. Frustra autem illa omnia fieri & fore

fore, si resurrectio haud esset futura; (δ) hujus autem negatio- 1. Cor.
nem Atheismum & Epicureismum arguere, quem ut caveant, XV.
Corinthios monet, & quorundam ignorantiam carpit, ℣. 29.--35.
Hinc (ε) *ex natura* figuram resurrectionis ostendit, ubi semina mortua reviviscant & pulchra corpora induant: sic multo magis DEUM ornatiora corpora mortuis daturum esse, eâdem substantia, sed qualitate diversa, & alia aliis præstantiora, ℣. 35.--45. Porro (ζ) è Scriptura probat longe glorioſius corpus nos accepturos per Christum, quam Adam habuerit, nempe incorruptibile & σύμμορφον corpori Domini, (Phil. III. 21.) ℣. 45. -- 51. Tandem aperit mysterium transmutationis subitæ illorum, quos dies novissimus vivos deprehendet, simulac tuba ultima clanxerit: tum ἐπινίκιον, de morte in victoriam absorpta, auditum iri. Pro qua victoria DEO gratias agit, & monet fratres, ut stabiles & immobiles sint & crescant in opere Domini semper, spectantes remunerationem amplam, 51.--58.

CAP. XVI. Ad opus Domini, de quo sub finem Capitis antec. Apostolus dixerat, pertinet etiam charitas, per quam fides est ἐνεργουμένη; unde Paulus hortatur Corinthios, ut memores mandati sui de collectis pro pauperibus Christianis, qui Hierosolymis agebant, eas mature colligant seponantque singulis diebus Dominicis, quo vel per alios, vel per seipsum deferri in tempore queant. Promittit suum ad eos, DEO fortunante volenteque, adventum, exacta hyeme Ephesi, ubi commoraturus ad festum usque Pentecostes esset, propter multos labores & adversarios. Venturum interea Timotheum, qui & suam & Apollinis absentiam compensaturus sit, quem eo nomine commendat, tanquam fidelem DEI operarium sibique percharum, ut benevole ab ipsis & accipiatur & dimittatur. Hinc hortatur omnes ad vigilantiam, constantiam in fide, charitatem & subjectionem exhibendam, speciatim domesticis Stephani aliisque similibus cooperariis fidis. Tandem salutat & aliorum & suo Cap. XVI.

2. Cor. 1. nomine, &, denunciato anathemate ei, qui J. C. non diligit, voto claudit Epistolam.

XVI.

Paulo post II. Epist. ad Corinthios scribit.

Post scriptam hanc Epistolam, Apostolus circa festum Pentecostes denuo (Act. XVI. 8.) *Troadam* proficiscitur, ibidemque Evangelium non sine ingenti fructu felicique successu prædicat; cum vero *Titum*, quem ad Corinthios miserat, avide exspectans non inveniret, 2. Cor. II. 12. 13. valedicens Troadensibus, secunda vice in Macedoniam abit, (Actor. XVI. 12.) ac Titi adventu recreatur, Act. XX. 1. 2. Cor. VII. 5.-- 14 & monet credentes, ut pauperum Hieros. memores essent, 2. Cor. VIII. 1. seqq. ac Titum cum socio iterum ad Corinthios ablegat, IX. 5. Interea Timotheo a Corinthiis redeunte, Paulus in Græciam tendit, & *alteram Epistolam ad Corinthios* scribit, leniorem multo ac prior fuerat, cum percepisset, eos agnoscere peccata, & de iis serio pœnitere. Unde perculsos solatur & erigit, ac una Pseudo-Apostolorum calumnias & cavillationes diluit, contra suam personam, doctrinam & ministerium sparsas.

Ejus summa & analysis. Cap. I.

Igitur Cap. I. initium facit a calamitatibus, quas sustinuerit propter Christum, bene multis, cum alibi, tum in Asia; in quibus tamen etiam expertus sit solatia abundantia, Corinthiorum bono, quo efficacius eos consolari possit. Nihil ergo esse, quod Pseudo-Apostoli afflictiones velut probrosas objiciant, cum nil mali sibi conscius sit, cur tanta sustineat παθήματα, ideoque provocat ad testimonium bonæ conscientiæ, de vita pure & sincere inter omnes acta, constanti doctrina & charitate erga Corinthios, qua ductus serio ad eos recurrere voluerit, ut in veritate semel tradita eos confirmaret, cujus summam, certitudinem & obsignationem per Spiritum S. indicat, & causam dilati adventus sui commemorat, quod ipsorum bono factum sit, ne, si durius coram castigasset inordinatos, videretur sibi dominatum arrogare in conscientias & fidem auditorum.

Cap.

CAP. II. Oſtendit, ſe interea abſentiam ſuam ſcripta priore Epiſtola penſaſſe, ac noluiſſe cum triſtitia advenire, ne ipſe triſtitia afficeretur pro gaudio, quod ſperabat optabatque ab auditoribus, eosve contriſtaret nimium. Cum lachrymis autem ſe ſcripſiſſe, amoris indicibus & doloris, ob inceſtuoſum hominem concepti, qui, cum ad frugem redierit, recipiendus ſit in gratiam & communionem Eccleſiæ, cui libenter condonet in facie, nomine & vice JESU CHRISTI, ac ſolicite curet, ne à Satana vel Doctores vel auditores & peccatores circumveniantur, qui a peccatis in deſperationem libenter inducat. Hinc gratias agit DEO pro manifeſtatione & victoria Evangelii, tum in Troade, tum in Macedonia, & alibi, per miniſterium verbi orthodoxum, odore Chriſti gratum ſpargens ad ſalutem in ſalvandis. 2. Cor. II. III. Cap. II.

CAP. III. Ne tamen id, quod de efficacia miniſterii Apoſtolus jamjam dixerat, eo raperetur, ac ſi gloriam quandam captaret, eam declinat, & ſyſtaticis ſe haud indigere ſcribit, cum ipſi Corinthii ſua, imo Chriſti ſint Epiſtola, a ſe adminiſtrata, viventis DEI ſpiritu ſcripta, cunctis cognoſcenda & legenda; DEO igitur omnem gloriam adſcribendam, qui ſolus ἱκανότητα & efficaciam miniſtris Novi Teſtamenti det, ut ad vitam proſit, quemadmodum legis miniſterium occidat. Hacq; occaſione docet, Miniſterium Evangelicum multum ſuperare Legale, gloria, luce, virtute, duratione, 1. - 12. ut illius miniſtri magna & fiducia & perſpicuitate uti queant, nec opus habeant cum Moſe velamen obtendere, ob cœcitatem mentis Iſraëlitarum, quæ ad hoc usque tempus eos occupet, donec DEUS id removeat, ut convertantur, & finem Legis, Chriſtum, agnoſcant & amplectantur, ſicque libertatem veram & ſpiritum νιοθεσίας conſequantur, 12. -- 17. quæ fideles & converſi habeant, ſub quorum nominibus Paulus ait ℣. 18. *nos autem omnes, qui retegata facie gloriam Domini*, i. e. ejus gratiam & veritatem tanquam Cap. III.

2.Cor.IV. in speculo *intuentes, transformamur in eandem imaginem*, ita ut illuminati magis magisque crescant, à gloria in gloriam tendant, utpote ab ipso Spiritu, qui est Dominus, talia operans & donans.

Cap. IV. CAP. IV Propter tantam ministerii Evangelici præstantiam ait Apostolus, se sociosque non succumbere malis, nec segnescere, sed pro concessa divinitus gratia & fortitudine Spiritus, laborare semper cum timore & tremore suam pariter ac aliorum salutem, propulsare occulta dedecora, cum in doctrina, tum in vita, nec versutia uti ad homines decipiendos, verbumve DEI falsantes, sed seipsos commendare manifestatione veritatis apud omnium hominum conscientiam, quæ pelluceat ubique, licet non admittatur ab infidelibus, sua culpa pereuntibus, à Satana sic dementatis & excœcatis, ut non fulgeat iis illuminatio Evangelii de gloria Christi, qui imago Dei est, & descendit ad nos, ut æternæ gloriæ participes nos redderet, & in nobis repararet amissam DEI imaginem. Hunc scopum esse ministerii Evangelici seu Apostolici, per quod etiam DEus efficax sit ad hominum illuminationem, licet fragiles sint, qui thesauros tantos gestent & offerant, ut DEO omnis gloria tribuatur, ejusque potentia quoque conspiciatur in conservandis & confortandis Apostolis inter tot tantasque calamitates, ut sentiant experianturque vivificam Christi virtutem in cordibus & corporibus suis, licet quotidie in mortem tradantur, hincque constanter DEUM & Salvatorem confiteantur, ex Spiritu fidei eodem, quo omnes credentes præditi fuerunt, certi de resuscitatione ad beatam vitam. Quæ in auditorum gratiam contingant, ut illi tantam DEI gratiam & potentiam in Doctoribus videntes, DEUM collaudent, fide stent, crescant, renoventur in dies, freti ineffabili gloria, quæ perseverantes maneat, nec respicientes visibilia, sed invisibilia.

Cap. V. CAP. V. Ex intuitu & consideratione tantæ spei oritur desi-

desiderium ingens beatæ analyseos, destructionis terreni domi- 2. Cor. V.
cilii, & exstructionis novi ex DEO, in cœlis, ubi multæ & æternæ mansiones, Joh. XIV. 2. Col. III. 3. quo animæ credentes recipiuntur, ac tandem iterum superinduuntur corpore glorificato & spirituali, vel transmutantur corpora quoad viventes, Phil. III. 21. 1. Cor. XV. 50. 51. Certi interea sunt fideles de ista spe & re, per Spiritum S. arrhabonem, licet fide hic ambulent, non per aspectum plenum, claramve visionem, quæ est alterius vitæ, 1. Cor. XIII. 12 Ex certitudine fidei a. oritur desiderium sanctum, DEO serviendi extra corpus, inque ejus conspectu. Interim tamen contendunt DEO placere semper, per fidem ambulando, (Ebr. XI. 5. 6. 1. Pet. II. 11.) memores, quod omnes manifestari debeant coram tribunali, ut reportet quisq; in corpore, quæ fecerit, & quid quantum requirat reverentia DEO debita, cujus intuitu Apostoli aliiq; fidi συνεγοι studeant homines persuadere ab ineundam pœnitentiæ veræ viam, non persuasoriis humanæ sapientiæ verbis, sed demonstratione spiritus, ceu ipsimet auditores sentiant & testari queant; ut propterea nihil opus sit dicere quidquam de officio fideliter a se administrato, nisi falsi Apostoli quodammodo cogerent, contra quos hoc teneant, si insanire forte & extra se esse, vel sobrie & moderate iis agere, videantur, sic amore Christi se constringi, ut aliter facere nequeant, eumq; ideo pro omnibus mortuum, ex summo amore, ut ei omnes vivant serviantque, Luc. I. 74. Rom. VI. 1. Pet. II. 24. in novitate vitæ, exuto veteri homine cum carnalibus affectibus, ut omnia nova fiant, & nemo secundum carnem agnoscatur, simulac Christum agnovit. Atque hoc etiam ex DEO provenire docet, qui nos reconciliaverit secum mirabilique ratione fecerit JESUM nobis ad justitiam, sanctitatem &c. & officium reconciliationis posuerit.

CAP. VI. Hanc gratiam insignem DEI, ne in vanum Cap. VI.
accipiant Corinthii, eam vel non admittendo, vel acceptam

2 Cor. VI. & VII. amittendo, per peccata proæretica &c. ſuo collegarumque nomine graviter monet & rogat, argumento deſumto a tempore N. T. quod Jeſaias XLIX. 8. luculenter deſcripſit, & tum apparuit, quo ſalutem omnes cum timore ac tremore operari, eoque, exemplo Apoſtolorum aliorumque συνεργῶντων, excitati debeant cavere, ut ulli ulla in re impingendi, & vituperandi miniſterium, occaſionem præbeant, ſed contra ſtudere, ut in omnibus, quæ patienda & facienda ſunt, (quorum longum catalogum texit 4. -- 11.) ſe commendent probentque, ut DEI ſancti & omniſcii diaconos. Sperat quoque Apoſtolus optima quæque a Corinthiis, in exſequendis officiis hucusque adductis, ac affectum ampliſſimum, quo eos proſequatur, indicat, utque idem viciſſim erga ſe faciant, ac proinde admonitiones paternas obſervanter excipiant, lato & læto pectore, fugiantque jugum & communionem infidelium, ſive extra ſive intra Eccleſiam ſint, quoad doctrinam & vitam, cum id minime congruat cum dignitate Chriſtianorum, & promiſſiones excellentiſſimæ de unione myſtica ejusque fructibus inſtigent ad facienda, quæ ſancta, & fugienda, quæ impura ſunt, quas propterea e V. T. repeti & in memoriam revocari vult, Lev. XXVI. 12. Ezech. XXXVII. 26. Jeſ. LII. 11. Apoc. XXI. 7. Jer. XXXI. 1. ſſ.

Cap. VII. CAP. VII. Hinc (1) colligit, tantarum promiſſionum intuitu, fideles converſosque debere puritati & ſanctificationi ſtudere omnimode, ac ad finem perducere in timore filiali bonum propoſitum (conf. 1. Pet. I. 15.) Phil. II. 12. (2) Dilectionem ſuam teſtatur ſinceram, & quæcunque dixerit ſcripſeritve ad Corinthios, inde profecta eſſe, eoque recipi debere vult, cum noluerit quenquam verbis factisve lædere, nedum condemnare, ſed potius multum de iis glorietur & lætetur, poſteaquam a Tito intellexerit ſui deſiderium apud Corinthios, luctum & zelum. Unde, ſi qui per priorem Epiſtolam reprehenſoriam triſtitia affecti ſint, id ſe minime pœnitere, propterea quod

quod in isto negotio incestus puri sint; utpote quem nec antea probaverint, & admoniti a se graviter in autore vindicaverint; atque hinc cum suum erga istos, tum illorum in se studium sincerum & mutuum solatium ac gaudium manifestari, teste Tito ac deprædicatore; ut adeo in posterum quoque de illis omnia præclara cogitare, dicere & scribere possit. *2. Cor. VIII. & IX.*

CAP. VIII. Ex hac concepta fiducia Corinthios hortatur ad liberalem eleemosynam, pauperibus in Judæa erogandam, exemplumque imitandi sistit Macedonicas Ecclesias, quæ gratiæ divinæ & dilectionis gustum sentientes, fidem per charitatem operosam ostenderint copiose satis, in magna licet afflictione ac paupertate, ut cum aliis in partibus abundent Corinthii, hic quoque demonstrent fidem per charitatem, memores gratiæ Domini nostri J. C. sua spontanea paupertate cœlestes divitias nobis acquirentis, & utilitatis ex ea liberalitate fluentis, spei insuper factæ superiore anno & προθυμίας, 1. Cor. XVI. 2. quam implere sit necesse ipso opere, pro facultate & æqualitate, ut defectus suppleatur per aliorum abundantiam, & sic quisq; satis habeat, quemadmodum olim in collectione Mannæ, Ex. XVI. 18 Eo nomine mitti scribit Titum, divinitus ad hoc charitatis opus excitatum, & insuper unum alterumque fidum laudatumque socium, ab Ecclesiis ordinatum, ad evitandam omnem siniſtram suspicionem. Cap. VIII.

CAP. IX. Pluribus ad bonum hoc opus Corinthios eo hortari, nihil esse necesse, scribit, cum eorum προθυμίαν satis perspectam habeat, de ea alibi glorietur, nec aliam ob causam miserit collectores, quam ut mature parent liberaliterque conferant promissam beneficentiam, & suam de iis gloriationem ac spem impleant, freti larga DEI compensatione, dilectione, gratia & ope, respicientesque commoda inde redundatura, ut gratiarum actiones multas, DEO præstandas propter obedientiam fidei è liberalitate conspicuam, & preces pro benefactoribus, &c. Cap. IX.

CAP. X.

2. Cor. X. Cap. X.

CAP. X. Post laudationem reprehendit Paulus Corinthios quosdam, & officium suum, personam vitamque vindicat a Pseudo-Apostolorum obtrectationibus, ac, ne ex fervore nimio quicquam agere videri posset, obtestatur eos, per lenitatem & æquitatem Christi, in opere reconciliationis exhibitam, ut in judicio de se ferendo etiam lenes & æqui sint, nec facile credant Censoribus suis iniquis, ne cogatur ipse durius agere coram, & potestatem declarare Apostolicam, qua se abuti quidam & carnalibus affectibus regi, perperam criminentur, cum tamen nonnisi spiritualibus armis pugnet, sed sat efficacibus, 1. ad destructionem munitionum Satanæ ejusque organorum, tyrannorum, hæreticorum, philosophorum, opponentium λογισμὸς Evangelio, & cognitioni salvificæ: 2. ad captivationem omnium elatarum cogitationum sub obsequium Christi: 3. ad vindicationem omnis contumaciæ adversus obedientiam fidei, gladio spirituali, excommunicatione, & vel in extremo judicio, quando Corinthiorum obedientia impleta fuerit. Hæc tametsi non occurrant in oculos, vera & valida esse, docet, redarguitque Corinthios, quod secundum externam tantum speciem judicent de se, cum & Christum æque attineat, ac alius quisquam, & potestatem a Christo habeat datam Apostolicam, cujus tamen non ideo recordetur, ac si quempiam per Epistolas terrere vellet, aut aliquid de lenitate sua coram testata remitteret, quemadmodum subdole quidam interpretentur; eundem quippe se esse sibique semper similem, præsentem & absentem, sed pro conditione & statu auditorum vel lenitate vel severitate uti. Nihil magnificentius se de seipso jactitare, ut faciant philauti, nec eos imitari, sed si cogatur gloriari, id se facere modice, secundum mensuram donorum officii & termini à DEO præfiniti, certumque esse, Corinthios quoque eo pertinere, & se, DEO volente, ad eos perveniisse, imo sperare, illis in fide satis firmatis, ultra fines extensos esse, & denuo iterumque inculcare, quod in solo DEO gloriandum sit.

CAP.

CAP. XI. Quia vero cogebatur Paulus adferere muneris sui dignitatem advetsus Pseudo-Apostolos, excusatione & voto utitur, additis rationibus, quod propter Auditores talia faciat e zelo divino, & metu, ne ipsorum mentes a simplicitate in CHRISTUM, diaboli astu, abstrahantur, per Pseudo-Apostolorum jactationes & seductiones; alium autem Christum, Spiritum, aut aliud Evangelium, præter a se prædicatum, tradi non posse: ei igitur unice & constanter adhærendum esse in sancta simplicitate, cum non minor sit summis Apostolis, a Christo in carne obambulante electis, licet lubens aliis cedat in donis externis, & idiota sit habeaturve sermone, qualis tamen minime sit cognitione, ut ipsismet Corinthiis abunde satis innotuerit in omnibus. Neq; id obverti posse, quasi indignum officio Apostolico, quod Evangelium gratis apud eos prædicaverit, Act. XVIII. 3. & ab aliis Ecclesiis stipendium acceperit, Corinthiacas autem contemserit, quum id fecerit propterea, ut occasionem gloriandi præscinderet falsis Apostolis, ac si essent sui similes, qui tamen dolosi sint operarii, & se transforment in Apostolos CHRISTI, exemplo Magistri sui, Satanæ, ut sub veritatis & sanctitatis specie securius decipiant, qui tamen præmium pro meritis accepturi sint. Sic detracta larva Pseudo-Apostolis, quoad interna ministerii, Paulus in externis quoque se nil cedere ipsis demonstrat, præmissa repetitaque περιαυτολογίας excusatione, ac petitione, ut, cum propter alios talia proferre cogatur, se non stultum existiment, aut ferant saltem respondentem stultis secundum stultitiam suam, velut stultum, quemadmodum in aliis facere & tolerare præpostere impostores consueverint, non sine damno & dedecore suo, reputantes veros Apostolos ideo nil gloriatos, quod infirmi & inopes essent, nec confundere vel prosternere armis spiritualibus possent thrasones. Componit igitur se cum illis ratione prosapiæ & officii, & in hoc eos superasse se ostendit laboribus & passionibus exantlatis propter CHRI-

2. Cor. XI. Cap. XI.

2.Cor.XII. & XIII. STUM, & Ecclesias, quarum curam quotidie gerat, infirmitates sentiat, scandala corrigat; in quibus tamen omnibus non glorietur, nisi de sua imbecillitate, a DEO mirabiliter & potenter sustentata. Hinc etiam

Cap.XII. CAP. XII. Gratiam DEI deprædicat in revelationibus sibi factis cœlitus, & tentationibus gravissimis, ideo immissis, ne se efferret, hasque sustinere se patienter, fretum DEI potentia in omnibus adversitatibus affirmat. Excusat denuo gloriationem, ob quam insipiens videri queat, ejus causam ignorantibus, eamque transfert in ipsos Corinthios, a quibus commendari debuerit, cum summis Apostolis inferior haud sit, & specimina Apostoli apud eos ediderit, illique cæteris Ecclesiis inferiores non existant, nisi forte in hoc, quod stipendium ab iis non acceperit; sed, si quid injusti patratum ea in re esset, facile se sperare veniam, propterea quod ex paterno affectu id fecerit, & facere porro in tertio adventu, libenterque impendere sumtus expendique velit pro ipsorum animabus. Nec objici sibi versutiam jure posse, quod ipse quidem gratis docuerit, per alios autem, quos subinde Corinthum miserit, gravis illis fuerit. Provocat enim hic ad eorum conscientiam, & tamen testatur, se non sui sed ipsorum causa defensionem instituisse, ædificationemque spectare; vereri enim se, ne forte deprehendat, si venerit rursus, contentiosos & impuros multos, nondum pœnitentes, & propter eos affligatur: interim

Cap. XIII. CAP. XIII. minatur, talibus se nequaquam parsurum, sed, quandoquidem ita cupiant cogantve, experimentum dare velle loquentis operantisque in se potenter Christi, & efficaciam mortis & vitæ s. resurrectionis in omnibus fidelibus, inprimis quoq; in Doctoribus se exserentis, ad salutem quoad pœnitentes, judicium autem quoad impœnitentes. Quamobrem monet Corinthios, ut seipsos tentent probentque, an in fide sint, ut profitent & JESUM CHRISTUM in se habitantem habeant, ni repro-

bi

bi & reprobandi esse velint; quod quidem facile deprehendi possit ex mente & operationibus Christi, 1. Joh. V. 20. Phil. II. 5. Hincque eos judicium facere vult Apostolus de se suoque officio, quod non inane fuerit apud eos, aut inefficax. Optat etiam, ut nil mali faciant, non propterea, ut, si secus fiat, ipse cum Collegis potens probatusque ἐν δυνάμει Θεοῦ, sed, ut bonum patrando Doctores impotentes videantur, nihil habentes, quod in auditoribus reprehendant, cum nil contra veritatem possint aut velint, verum etiam lætentur, si fortes sint in Domino auditores & veritatem faciant, quia id in votis habeant, ut instaurentur omnes, nec duris verbis vel remediis opus sit; ac propterea etiam se scribere, ne præsens severius agere debeat, pro potestate divinitus sibi concessa ad ædificationem. Unde insigni monito concludit colligitq; omnia in brevem summam. *Gaudete*, inquit, in Domino, & nil committite, quod gaudium illud turbet, fidei charitatisque vinculo *compingimini*, (1. Cor. I. 10.) idem *sentite* & sapite, *pacem colite*. Monito promissionem adjicit & votum. *Rom. I.*

XVII.

Scripta hac Epistola II. ad Corinthios sive Philippis, sive alibi in Macedonia, Paulus alia etiam loca adiit, omniaque implevit Evangelio Christi usque ad Illyricum, Rom. XV. 19. Inde in *Græciam*, atque *Achajam* pervenit, & e portu *Cenchreensi*, ubi Ecclesiæ Christo colligebantur, Corinthios, ut promiserat, visitavit. Act. XX. 2. Rom. XVI. 1. Ex qua urbe *Epistolam* per Phœben, dictarum Ecclesiarum ministram, *ad Romanos* dedit, ut subscriptio habet Epistolæ. Cum enim Romam quoq; Evangelium per quosdam Christianos, *Aquilam* & *Priscillam*, inde quidem pulsos Act. XVIII. 2. sed eo iterum redeuntes, Andronicum & Juniam, insignes & claros Apostolos, allatum ibique Ecclesiæ quoddam initium esset, ac fides Romanorum in toto orbe nunciaretur, visum Paulo fuit, cum Apostolatum in omni- *Paulus Corinthum venit, & inde ad Romanos scribit.*

Rom. I. & II. omnibus gentibus accepiſſet, ad Romanos quoque ſcribere, poſtquam inſtinctum divinum ſenſit, ad id faciendum, & ſcripto prædicare illis Evangelium, totamque Chriſtianismi doctrinam plene ac plane, ab omnibus tum ex Philoſophia, tum ex Judaismo oriundis erroribus defecate tradere Rom. I. 13. -- 16. XV. 15. -- 19. ut ita abunde ſuppleret oralem prædicationem, quam differre cogebatur, donec, DEI voluntate, commoditatem adipiſceretur itineris, ad eos viſendos. Rom. I. 10. Continetur igitur hâc Epiſtola ſumma Evangelii, quod Paulus implevit, i. e. plene prædicavit ab Hieroſolymis usque ad Illyricum, &, ut Chemnitius cenſet, ſcripta eſt, cum Paulus ob imminens vitæ periculum quaſi confeſſionem fidei relinquere vellet. Unde ob dignitatem & præſtantiam Veteres eam primo inter Paulina ſcripta loco collocarunt. Totius Epiſtolæ ſumma & analyſis hæc eſt:

Cap. I. CAP. I. Paulus, poſt inſcriptionem, ſcopo convenientem eundemque exprimentem, & expoſitum deſiderium ſuum Romam veniendi promtitudinemque Evangelium ibi prædicandi 1. -- 16. docet primo Evangelium Chriſti eſſe potentiam DEI, ſive efficaciſſimum medium juſtificandi & ſalvandi per fidem, omnibus, ſive Judæis, ſive Gentilibus, ℣. 16. Secundo hanc unicam eſſe viam rationemque ſalutis per fidem in Chriſtum, in V. T. quoque dilucide traditam, 17. cum extra Evangelium omnes homines ſint ſub ira DEI, quoniam, licet ex lege connata DEUM cognoſcant, eum tamen non glorificent, ſed in turpiſſimam idololatriam labantur, omnisq; generis nefanda ſcelera patrent, vel talia facientibus aſſentiantur, & fateantur morte ſe propterea dignos eſſe, 16. -- 32.

Cap. II. CAP. II. Effugiis inanibus occurrit, quaſi (*) non omnes iræ DEI ſubjaceant & inexcuſabiles ſint, cum dentur, qui mala puniant & damnent. Sed hos ἀυτοκαταχρίτους eſſe docet, cum eadem faciant vel genere, vel ſpecie, ac magis condemnandi

nandi sint, quod majori cum notitia peccent. DEUM igitur *Rom. II. & III.* juste tales condemnare, 1. -- 4. (β) nec longanimitate DEI niti aut fretos esse posse peccatores, quum ea non peccandi licentiam tribuat, sed ad pœnitentiam ducat, inque peccatis pergentes & modum expiationis ignorantes, iram sibi supplicium-que cumulent ad diem judicii futuri, quo cuique DEUS pro meritis rependat ἀπροσωπολήτως, sive Græcus s. Judæus sit : illum enim, cum natura faciat quædam a lege præscripta, fugiatque turpia, sibi ipsi legem esse, & ostendere opus legis cordi suo inscriptum, atque adeo e conscientiæ testimonio juste puniri, si a cogitationibus accusetur : hunc vero magis etiam accusandum & condemnandum, quod majoribus gaudeat prærogativis, iis tamen non recte utatur, cum se ipsum non doceat, in lege nuda acquiescat, de DEO glorietur & ejus fœdere per circumcisionem inito, nec tamen observator sed transgressor legis sit, nec verus Judæus dici debeat, aut queat, utpote qui corde incircumcisus sit, & laude destituatur ex DEO, id est, gratia Evangelica, quam agnoscunt & deprædicant circumcisi corde, in spiritu, 4. -- 29.

CAP. III. Occupat objectiones Apostolus, vel a Judæis, vel, ut *Seb. Schm.* vult, ab æmulis Judæorum inter Christianos, ex antecedenti disputatione formandas facile, ac si nulla prorsus *prærogativa* gauderent Judæi, præ reliquis gentibus, cum tamen Scriptura S. passim privilegia iis tribuat. Ea igitur non negat Paulus, sed ipse refert & reducit omnia ad *primum* hoc ℣. 1. 2. *quod DEus illis concrediderit verba sua*, scriptis Canonicis comprehensa, Devt. IV. 7. Ps CXLV. 18. unde discere veram justitiam potuerint & consequi per fidem : nec, quod *nonnulli* eorum *non crediderint*, fidelitati gratiæ & misericordiæ divinæ quicquam derogare, quæ firma maneat & uniformis semper, ut ipse DEUS verax & immutabilis est naturâ, & promisit, se ex gratia justificare velle secundum ordinem regulamque verbi incedentes, *Cap. III.*

Rom. III. dentes, & punire ſ. condemnare ſecus facientes, quemadmodum David Pſ. CXVI. 11. & LI. 6. declaraverit. Nequaquam igitur irritas reddi promiſſiones DEI per infidelitatem hominum, cum illæ hypotheſin fidei includant: *neque* tamen inde *ſequi*, quod infidelitas *& injuſtitia hominum DEI juſtitiam commendet, aut DEVS injuſtus ſit*, qui ſuccenſeat peccatis eademque puniat, cum hac ratione mundum judicare nequeat, quod tamen certum omnes habent. Perperam proinde objici, DEUM per mendacium aliaque peccata glorificari, ac licere mala facere, ut inde eveniant bona. Talium condemnationem juſtiſſimam eſſe pronunciat Apoſtolus, cum non per ſe injuſtitia noſtra DEI juſtitiam commendet, ſed DEUS pro φιλανθρωπίᾳ ſua & ſapientia ita conſultum ſaluti hominum voluerit, ut juſtitiæ pariter ac bonitatis ejus gloria eluceſceret. ℣. 3. -- 9. Ea autem, quæ Apoſtolus de prærogativa Judæorum hucusque diſſeruit, non eo trahi vult, ac ſi coram DEO & in artic. Juſtificationis Judæi præcellerent, cum in ſuperioribus jam evicerit, *omnes homines*, Judæos & Gentiles, *ſub peccato*, ira & condemnatione eſſe, idemque etiam ex diſertis & multis Scripturæ teſtimoniis facit, & ex univerſali corruptione colligit univerſalem condemnationem, ut *totus mundus*, ne Judæis quidem aut renatis exceptis, per dicta illi legalia *obnoxius reddatur DEO*, adeoque *ex operibus legis non juſtificari ullam carnem coram DEO*, cum *ex lege*, & allegatis dictis, tantum *agnitio peccati* ſit, & iræ, condemnationisque. ℣. 9. -- 21. Jam vero *ſine lege* quacunque in Evangelio (Cap. I. 16. 17.) *manifeſtatam* eſſe *juſtitiam DEI*, *teſtimonium* ei *perhibentibus Moſe & Prophetis*, nimirum illam, *quæ ſit a* Chriſto parta, & noſtra fiat *per fidem* in J. C. veniatque adeo *ad omnes & ſuper omnes*, ſi modo credant, nullo habito diſcrimine hominum, cum *omnes peccaverint* in Adamo *deſtituanturque gloria* juſtitiæ originalis, ut qui *juſtificentur gratis* omnino, ex gratuita DEI miſericordia & favore, ſine ullis operibus (Epheſ. II. 9.)

II. 9.) *per redemtionem*, quæ apud *JESVM CHRISTVM* quæren- *Rom. III. & IV.*
da est, utpote qui eam pretio sanguinis sui promeruerit, *quem* proinde etiam *DEVS proposuerit propitiatorium*, velut commune asylum, ad quod liber nobis aditus patet *per fidem in ipsius sanguinem*, pro humano genere perfundendum, & requisitum a Patre, *ad demonstrationem justitiæ suæ* vindicativæ, cui per Christum satisfactum sit, *propter remissionem præcedentium peccatorum, in tolerantia DEI*, s. ut remiserit jam olim in V. T. & remittere nunc quoque possit peccata gratiose, sine læsione justitiæ suæ: sicque appareat, quod *ipse justus sit* & maneat, & recte *justificet eum, qui ex fide JESV est*, imputando illi Salvatoris justitiam. ℣. 21. -- 27. Qua ratione *excludatur omnis gloriatio* justitiæ propriæ, & firmissime concludatur *fide* solum *justificari hominem, sine operibus legis* ullis, sive Judæus s. Græcus sit; DEUM enim omnium esse DEUM, ac propterea eodem modo justificare velle per fidem præputiatos ac circumcisos. ℣. 27. -- 31. Hinc tamen *minime* sequi, *legem* olim datam *inutilem reddi* & tolli; quin imo potius *stabiliri* erigique, ac in vigore suo relinqui per justificationem fidei, & sanctificationem, cum eam Christus plene pro nobis adimpleverit & credentes demum vera bona opera faciant. ℣. 31. Vid. Apol. Aug. Conf. pag. 92.

CAP. IV. Vindicat Paulus expositum hactenus justificationis modum ab exceptione Judæorum, quam ex Abrahami exemplo formabant, ac si is ex operibus justificatus esset, & justificationem in solos filios suos secundum carnem tantum derivasset; hincque sequi, quod lex per fidem tollatur. Retorquet autem hoc telum in adversarios, & neutrum, imo plane contrarium probari exemplo D. Patris ostendit, nempe *nihil* omnino eum habuisse, *invenisse* & adeptum esse *secundum carnem*, sive operibus suis, apud DEUM, licet apud homines gloriationem habere posset justitiæ & pietatis, quum Scriptura diser- *Cap. IV.*

te

Cap. IV. te dicat Gen. XV. 7. *Abrahamum credidisse DEO* promittenti, se omnia ipsi esse, scutum in adversitatibus & insultibus Satanæ, contraque æstum iræ divinæ, Ps. 18, 3. 48, 12. & mercedem gratuitam, ut a se justitiam, salutem &c. exspectet; *& confisum in Domino* talia gratiose pollicente, hocque *ei imputatum ad justitiam*, secundum gratiam, non secundum debitum ex merito quodam operum, quum in judicio DEI non spectatus sit Abraham ut operans, sed ut credens; illi ex debito, huic vero ex gratia imputari fidem, quæ creditur, s. rem promissam. ℣. 1.--6. Eandem in sententiam quoque similiter *Davidem* generatim quorumcunque hominum credentium justitiam & beatitudinem describere, quibus DEUS *imputet justitiam sine operibus* Psalm. XXXII. 1. 2. sive *remittat*, *tegat*, *non imputet peccata*. ℣. 6. 7. 8. Hinc autem facile colligi, *illam beatitudinem* cadere non tantum in circumcisionem sed etiam in præputium, quia Abrahamo fides imputata fuerit ad justitiam, cum adhuc in præputio esset, & postea accepisset *signum circumcisionis in signum justitiæ fidei*, in præputio acceptæ, eamque confirmans, ut *pater* esset *omnium credentium*, sive præputiatorum, sive circumcisorum, *iisdem vestigiis fidei incedentium*, ℣. 9. -- 13. Judæos igitur incredulos a beata hac filiatione Abrahamitica excludi, & se ipsos excludere, cum promissio Abrahamo facta fidei justitiam respiciat, non legem, quæ cum promissione pugnat eamque tollit, quia iram operatur; unde statuendum & stabiliendum, quod *promissio hæreditatis ex fide*, adeoque etiam *ex gratia*, & consequenter *firma* sit, *omni semini*, quod est ex fide Abrahami, ut Pater sit omnium fidelium, ex Judæis & gentilibus, juxta id quod scriptum est Gen. XVII. 4. 5. *Patrem multarum gentium posui te, respectu ejus, cui credidit*, *DEI*, *vivificantis mortuos*. Quod etiam nostræ fidei objectum est, nosque erimus ejus filii spirituales, si eidem DEO vero crediderimus, vivo & omnipotenti, qui olim omnia creavit ex nihilo, & per Christum

ſtum omnes gratioſe recreare & vivificare poteſt. ℣. 13. -- 18 *Rom. V.*
Hinc declarat Abrahami fidem, quæ & quanta fuerit, firma nimirum, conſtans, & fiducialis, DEI potentiſſimi gratioſiſſimique promiſſione contra ſpem naturæ unice nixa; unde etiam ei ad juſtitiam imputatum, quod promiſſum eſt, ſemen benedictum, Chriſtus, v. 18. -- 22. Denique ad nos quoque pertinere docet Apoſtolus hoc Abrahami exemplum, & propter nos ſcriptum eſſe, ut diſcamus, eadem ratione nos juſtificari, ſi credamus in J. C. pro nobis traditum in mortem ad expianda peccata noſtra, & reſuſcitatum propter juſtitiam noſtram, 23. -- 25.

CAP. V. *Fructus* effectusve *Juſtificationis* ex fide, hacte nus aſſertæ, oſtendit Paulus, qui ſunt: 1. reconciliatio ſ. *pax cum DEO*, & in conſcientia, quæ ſane reconciliationis per Chriſtum factæ fructus eſt, ℣. 1. conf. Coloſſ. I. 20. 21. eamque certiſſimam eſſe indicat, *habemus*, inquit, *pacem*. 2. *aditus* liber *ad gratiam* & intimior, apertus ſemperque patens fidelibus, ut nullo alio interceſſore vel Patrono opus habeant, quia reconciliati cum Patre per Chriſtum *ſtant* in gratia, & *gloriari* etiam poſſunt de ſpe gloriæ DEI, ſive vitæ æternæ: hinc 3. effectus eſt *certitudo de perſeverantia & ſalute*, quam nullæ afflictiones impediunt, aut intervertere poſſunt; cum fideles ſciant firmiſſime, ſibi eas, ex ordine & operatione DEI gratioſa, in bonum cedere, imo perſeverantiam *operari*, (Jac. I. 3.) hancque *probationem*, ſ. animum in adverſis obfirmatum & probatum reddere: probationem porro *ſpem* illam gloriæ vivam & invincibilem, quæ non confundit, nec fallit; quoniam *amor DEI* intenſiſſimus, qui juſtificatos proſequitur, *effunditur in cordibus* fidelibus *per Spiritum S.* ipſis datum donatumque, ut de gratia & ſpe gloriæ DEI certiſſimi eſſe queant, ℣. 3. -- 6. vel hinc inprimis, *quod Chriſtus, cum adhuc eſſemus infirmi* & mortui in peccatis & victi, ut nil boni aut cogitare aut facere poſſemus, tempore divinitus conſtituto, *pro* adeo *impiis mortuus* ſit, cum vix quisquam homi- Cap. V.

Rom. V. & VI. num moriatur pro justo s. innocenti homine, licet forte pro bono ac benefico mortem oppetat; ℣. 6. *DEVM* autem *commendatissimum facere suum erga nos amorem, quod filium suum* unigenitum (Joh. III. 16.) *dederit* tradideritque *pro nobis* omnibus, & Filius quoque mortuus fuerit, quum adhuc peccatores essemus; multo igitur magis DEum id largiturum, ut *justificati sanguinis* Christi merito *serventur ab ira* illa futura 1. Thes. I. 10. cum plene reconciliati sint & vita Christi vivant, inque illo & per illum glorientur de afflictionibus, sub firma spe gloriæ & vitæ æternæ: imo communionem cum illo habeant arctissimam, quemadmodum in Adamo & per Adamum communionem peccati & mortis habuerunt; majorem quippe esse gratiam a Salvatore partam, quam primi hominis peccatum, omnibus posteris non tantum jure imputatum, sed etiam in omnes derivatum, quoniam ex multis (omnibus) peccatis non tantum liberet, sed etiam vitam æternam donet & gloriam regnandi cum J. C per quem justi constituantur multi, non obstante lege, quæ accesserit & ingressa sit, offendens peccata eorumque multitudinem, fœditatem & damnationem; gratiam enim superabundare & regnare per justitiam, per quam exserat suam vim usque in vitam æternam, ℣. 8. - 21.

Cap. VI. CAP. VI. Ne vero salutari & solatiflua hac doctrina aliquis abutatur ad peccati licentiam & abundantiam, eamve suspectam reddat, quasi indulgeat justificatis in peccatis perseverare, Apostolus talia occupat, detestatur, & è contrario probat, gratiam Evangelicã novam in justificatis obedientiam gignere & requirere, cum ii, *qui mortui* sunt *peccato* per gratiam, id est, ab ejus reatu & dominio liberati, ut resistere illi queant, nec possint, nec velint, nec debeant peccato adhuc, ut antea fecerunt, libere & voluntario vivere: priusautem factum esse in baptismo, ut omnes, quotquot Christianismo initiati sunt, sciant & confiteantur; posterius itaque inde necessario sequi, ac certum adeo esse,

esse, quotquot mortui & *consepulti* in baptismo cum Christo sunt, usitato tum immersionis ritu, *in novitate vitæ ambulare* debere, ut Christus excitatus est per gloriam Patris, in qua deinceps gloriose viveret, vita nova, cujus participes eos reddit, ut similes ei fiamus s. συμμορφιμένοι (Phil. III. 10.) in morte & resurrectione, ita nimirum, ut peccato non serviamus; satis gnari, veterem nostrum hominem una cum Christo crucifixum esse, ut inefficax reddatur corpus peccati, ratione actionum vitiosarum, ne dominentur: quicunque enim moritur peccato suo, ille justificatus est ab omni peccato ejusque effectis & pœnis, adeoque & servitute. Jam vero prius de omnibus in Christum baptizatis dicitur. Ergo etiam posterius recte colligitur. Ex illa communione mortis Christi hoc quoque sperandum & firmiter credendum fidelibus affirmat, quod DEUS in vita nova constanter & perpetuo eos conservare velit, quemadmodum Christus semel pro semper mortuus est peccato, nunc autem DEO vivit in æternum, ac, ut pie sancteque vivant, iis acquisivit; ut adeo colligere debeamus, nos peccatis mortuos esse, & DEO vivere, ex merito JESU CHRISTI ipsique insertos. Unde hortatur justificatos, ne regnare sinant peccatum origin. in mortali suo corpore, & quoad illud circumferant, ita ut obediant peccato in concupiscentiis carnis, vel consentiendo pravis motibus subrepentibus, vel patrando suggestiones, multo minus ultro sistant membra sua, sive facultates & partes naturæ corruptæ, in arma & instrumenta injustitiæ peccato inhabitanti, regnum & tyrannidem affectanti; sed potius semetipsos totos DEO sistant, promtorum instar servorum, ad excipienda & facienda jussa, ac membra sua in arma justitiæ, utpote qui e mortuis vivi, spirituali vita animati, nec amplius sub lege sed sub gratia sint, quæ ut omnia peccata remittat, ita quoque peccata infirmitatis quotidie condonet justificatis & renatis, nec dominio peccati propter illa eos permittat, imo potius adversus illud juvet & tueca-

Rom. VI.

Rom. VII. tueatur. Ne vero quis hac gratia divina ampliſſima & ſuperabundante abutatur, ac male ex eo, quod dixerat, nos non eſſe ſub lege, colligat, non debere juſtificatos legem obſervare, ad repetitam objectionem (℣. 1.--15.) reſpondet, minime hoc ſequi; imo contrarium probat ex ſtatu gratiæ juſtificatorum, quod ſe in ſervitium addixerint non peccato, ſed juſtitiæ, ac liberati DEI beneficio a peccato, obediverint formæ & normæ doctrinæ verbi, Legis ac Evangelii, in quam traditi tradudique ſint, (℣. 17. 18.) ut illam obſervent, & ſecundum eam incedant, (Gal VI. 16.) Tanto igitur ferventius bonis operibus ſtudendum eſſe, quanto melior & beatior finis, ſcopus atq; terminus ſit juſtificationis, nempe ſanctificatio & vita æterna, quam ſervitutis peccati, cujus ſtipendium mors æterna. ℣. 19.--23.

Cap. VII. CAP. VII. Illuſtrat rem e lege matrimoniali, oſtenditque juſtificatos equidem per mortem Chriſti demortuos eſſe legi, ut non amplius ſub ea ſint, ratione maledictionis, rigoroſæ exactionis, & ſervilis coactionis; attamen nullam licentiam accepiſſe peccandi: quin potius novi matrimonii cum Chriſto initi vinculo arctius obſtringi ad ſtudium ſanctitatis, quam ante, quo majori Spiritûs & gratiæ adminiculo inſtructi ſint, ex fructu reſurrectionis Chriſti, ad ferendos fructus renovationis debitos DEOque acceptos. Hoc autem fieri non potuiſſe in priori ſtatu, ante converſionem, ſub lege, quum vivent in carne corrupta, ubi *affectus peccatorum*, *per legem* inſirmatam, naturæ depravatæ vitio, (Rom. IIX. 3.) irritati magis & in vetitum ruentes, quam retracti ſ. cohibiti, non niſi mala *operabantur in membris*, voluntatemque in conſenſum redigebant, ut nullos alios fructus tulerint, quam peſtiferos & lethales. conf. Cap. VI. 21. At in ſtatu Evangelico liberatos a lege, ſub maledictione miſeros detinente, cogente & irritante, eaque mortua, donatos gratia non tantum juſtificationis, ſed etiam ſanctificationis, jam ſervire DEO libere poſſe, *in novitate Spiritus* à Chri-

Christo accepti per Evangelium & Baptismum, (Rom. VI. 4. Gal. III. 2. Colos. III. 1. seqq. 12. 13.) *non in vetustate literæ* legis, secundum externam duntaxat disciplinam, vel opus operatum, ℣. 1.--7. *Objici* hic poterat a renatis, (nam non renati non intelligunt passiones peccatorum per legem excitatas, & alia, de quibus in anteced. dictum,) videri legem esse peccatum & causam peccati, cum 1. ea mortificari debeat per corpus Christi, 2. per eam sint παθήματα peccatorum, 3. ab ea liberati sint justificati, 4. cui demoriantur, ut DEO libere serviant. Apostolus igitur respondet (post solennem detestationem *absit*!) ex sua & renati persona, tantum hoc abesse, ut potius lex peccatum, etiam occultum, detegat & accuset, v. g. concupiscentiam, ejusque interiores ac involuntarios motus, quæ παθήματα ipse, in Schola Pharisaica male olim informatus, non recte cognoverit, nunc vero penitius legem introspiciendo cum dolore experiatur, quomodo peccatum in se habitans occasionem arripiat per præceptum operandi omnis generis cupiditates contra DEUM & proximum, se vel inscio, vel invito, exorientes & insurgentes, quæ in actiones externas eruptura essent, nisi in herba suffocarentur. Nam sine legis meditatione & observatione accuratiori peccatum sibi mortuum visum, vel quoad practicam agnitionem: ac vixisse se quondam sub Pharisaismo sine lege, nec curasse concupiscentias ebullientes in corde, (Matth. V. 28.) aut terrores in conscientia sensisse, ideoque persuasum habuisse, sibi bene cum DEO convenire, nilque in se condemnabile esse; at veniente & conscientiam invadente accusanteque lege, revixisse peccatum, atque ἐνέργειαν suam ostendisse, adeo ut mortis & condemnationis reum se deprehenderit, videritq; præceptum, ad vitam datum, sibi cedere ad mortem, cum peccatum occasionem captaverit per præceptum se decipiendi, irritando voluntatem subdole & clam, ut prohibita cuperet, sicque se occiderit. ℣. 7.--12. Hinc colligit, gene-

Rom. VII.

Rom. VII. neratim legem in se spectatam, sanctam, & præceptum, speciatim de concupiscentia, sanctum, justum & bonum, atque adeo deceptionis & mortis causam nullo modo dici posse, aut debere: neque tamen sequi inde docet, quod lex cum suis præceptis bona, mors sibi facta sit, verum id peccato adscribendum, quod per ipsum bonum mortem operetur: atque ex eo patescere, quam enorme malum sit peccatum, si intimius cognoscatur ex spirituali ratione legis, quæ, ut tota spiritualis sit ratione originis materiæ & efficaciæ, ita totum etiam hominem spiritualem, totale ac plenum obsequium, non tantum externum membrorum corporis, sed & internum omnium animæ virium requirat. Ad quam regulam si se examinet probe, facile se experiri, quod non totus spiritualis sit, sed adhuc ex parte carnalis, quum reliquias carnis (Matth. XXVI. 41. Gal. V. 17.) habeat & sentiat, ac venundatum sub peccatum se videat, etiam inscium & invitum eò abstractum & deceptum, ut carni serviat in concupiscentiæ motibus, clam obrepentibus & operantibus; quod tamen non (v. 25.) approbet, (Joh. X. 14. 1 Cor. VIII. 3.) sed odio potius habeat, tanquam malum, (Psal. LXXIX. 10. Rom. XII. 9.) & maxime detestetur; contra vero consentiat legi sincere & vere (Ps. CXIX. 143. 174.) quod bona sit, ac omnibus votis expetat eam per omnia implere, v. 12.-17. Ne quis vero hanc confessionem ingenuam Apostoli eo traheret, quasi nihil spiritui & regenerationi fidelium tribueret, translatione utitur, dicitque, se jam, qua renatum, non amplius operari malum, (1. Joh. III. 9.) sed peccatum, quod in se suaque carne habitet, & expelli prorsus in hac miseria nequeat; velle enim se bonum serio & firmo animi proposito, ad quod ducatur & impellatur spiritu & gratia inhabitante, sed non reperire, quomodo illud perfecte exsecutioni mandet, imo malum, quod nolit & aversetur, se facere. Inde autem colligi posse, non se istud malum operari, sed peccatum, quod in se niduletur; atque

atque hanc ob causam experiri se quasi legem aliquam, seu vinculum, quod constringatur impediaturque in præstando bono, quo omni studio & animi contentione velit, quia condelectetur legem Dei secundum interiorem hominem, per regenerationem sibi collatam, sed sentiat legem aliam pugnantem in membris exterioris s. veteris hominis adversus legem mentis suæ renovatæ, & captivantem se legi peccati, ut invitus malum faciat ℣. 17. -24. Quam luctam & ærumnam dum expendit secum experiturque Paulus, dolet & deplorat lamentabiliter, ac liberari se penitus ex corpore isto mortifero, & circumcingente peccato, (Ebr. XII. 1.) expetit, liberationemque istam gratiosam & certam in Christo Jesu respiciens, gratias Deo agit, eique devote acceptum fert, quod per Redemtorem liberatus & vivificatus spiritu servire possit ac serviat mente renovata legi Dei, licet propter inhærentes carni vetustatis reliquias quodammodo adhuc legi peccati servire cogatur. 24. 25. *Rom. VII.*

CAP. VIII. Hinc igitur colligit, *nullam* esse *condemnationem* actualem *in iis, qui sunt in Christo JESV*, etiamsi peccatum originis in se habitans habeant & patiantur, quod ex sua natura damnationem meretur, ideo, quia per fidem Christo insiti sunt, & *non ambulant secundum carnem*, consentiendo & faciendo, quod suggerit, & ad quod allicit concupiscentia, *sed secundum Spiritum*, ejusque impulsum & ductum, ut mente serviant Legi Dei. Quod ex statu gratiæ probat, in quo per fidem ex plenitudine Christi *spiritum* gratiæ, *vitæ* & libertatis acceperint, *tanquam* aliam *legem* efficacissimam, *liberantem* ipsos *a Lege peccati & mortis*, in carne nidulante, ut damnare nequeant ℣. 1. 2. Quomodo autem & per quem liberati sint, mox subdit, & plenius planiusque ℣. 3. 4. rationem ordinis circa liberationem in redemtione, justificatione & sanctificatione exponit, ne quis confundat distinguenda & salutis ordinem sapientem turbet. (1) Legi omnem possibilitatem adem- Cap. VIII.

Rom. VIII. ademptam liberandi nos docet, cum non tantum obliterata, sed & infirmata in nobis sit per lapsum, adeoque nunc nec justificet, nec sanctificet, sed condemnet potius, 2. Cor. IV. 6. Gal. III. 21. (2) Ostendit *Deum*, misertum nostrûm, Oeconomiam gratiæ instituisse, ac *Filium suum* in tempore *misisse in carne*. (Joh. I. 14. Gal. IV. 4.) non quidem infecta peccato (Luc. I. 35.) sed *simili* tantum *carni peccaminosæ*, si quis externam servi formam aspiceret, & magnum pietatis mysterium ignoraret, in quem peccata nostra conjecit, quem pro nobis peccatum fecit, 2. Cor. V. 21. & hostiam pro peccato (Es. LIII. 4. 6. 10.) in quo *condemnavit peccatum*, quod in carne nostra ipsique imputatum est, ut nos non amplius condemnare & reatui mortis subjicere posset, Colos. II. 14. sed fieremus justitia Dei in ipso, apprehendendo per fidem justitiam ab eo partam & in Evangelio oblatam, atque accipiendo gratiam Spiritus S. qui novam lucem, & spiritualem vitam ac æternam *justitiam in nobis* pariat, sicque inchoetur *in nobis* & subinde magis magisque fiat lex: quæ inchoata & continuata legis impletio placet DEO non propter seipsam, cum sit exigua & imperfecta, sed propter fidem in Christum, supplentem defectus nostros, Phil. I. 11. conf. Apol. A. C. p. 84. ff. Cujus rei indicium ex ℣. 1. repetit, si fideles & justificati non secundum carnem sed secundum Spiritum ambulent. Quod notanter denuo inculcat, ne sub hac consolatione de immunitate a condemnatione, etiam hypocritæ latere possint, fidem in Christum crepantes verbis, sed abnegantes factis. Unde mox fideles describit ab effectibus, & oppositionem instituit inter carnales & spirituales: (1) ratione studiorum ℣. 5. eos dicit *carnalia*, & omnia quæ carni grata sunt, *sapere*, amare, appetere, & facere, non cogitantes, quod Filius Dei eos etiam a mortuis carnis operibus liberaverit, Luc. I. 74. 75. hos autem *spiritualia* sentire 1. Cor. II. ℣. ult. Phil. II. 5. 1. Joh. V. 20. &

20. & facere Gal. V. 16. 22. carnique & concupiscentiis resistere (2.) ratione effectuum, φρόνημα sive omnem sapientiam, prudentiam ac cogitationes *carnis*, quamtumvis bonæ, imo ubi optimæ videantur, ait esse mortiferas, *spiritus autem* sensum & prudentiam, *vitam* ex Deo, *& pacem* cum Deo & in conscientia, quæque cum his conjuncta bona sunt, & ex his fluunt. Ne vero quis miretur, carnalem sensum tam esse damnosum, id probat validis argumentis ℣. 7. 8. inde, quod sit *inimicitia* ipsa *contra Deum*, pugnans hostiliter cum sanctissima ejus natura & voluntate, ut etiam in renatis tolerare eam nequeat DEUS, licet in externis quædam τῷ νόμῳ faciant vel φύσει, vel metu pœnæ &c. homines ψυχικοὶ, *nec subdita esse possit*. Ex quo sequitur, carnales *Deo placere non posse*, ac Deum contra eos pugnare, eosque punire (℣. 6.) gravissime. In renatis autem secus se rem habere monstrat Apostolus, exemplo Romanorum, quos confidit *spirituales* esse, *non carnales*, ℣. 9. saltem quoad maximam illorum partem, ut toti Ecclesiæ id tribuere possit; addit tamen γνώρισμα hoc infallibile: *si spiritus Dei in eis habitet* semper atque operetur omnia contraria carni inhabitanti, Rom. VII. 17. quæque DEO placent: & ut intelligant, hanc rem magni esse momenti, ex qua certitudo salutis nostræ dependeat, subdit: *si quis* (quicunque tandem fuerit, qui Christianus esse voluerit,) *autem Spiritum Christi* (i. e. a Filio prodeuntem, promeritum & donatum) *non habet*, dictum in modum in se habitantem, seque gubernantem, ut secundum ejus impulsum ac ductum sentiat & vivat, *is* etiam *non est Christi* peculium, domus, membrum vivum, servus, sed mundi sive diaboli, a quo regitur & cui servit, adeoque prius solatium, quod nihil condemnationis sit &c. ad ipsum non pertinet. Ne vero renati ex eo, quod cum concupiscentia, calamitatibus & morte conflictandum illis sit, ansam acciperent dubitandi, an nihil condemnationis in ipsis sit, ac

Rom. VII.

Rom. IIX. vinci se in ista lucta a carne, metuerent, Apostolus respondet concedendo, *corpus quidem*, sive hominem exteriorem, *mortuum* esse & ineptum in multis ad bona, *propter peccatum* adhuc inhabitans, (ut e CAP. VII. constat) certiores tamen eos reddit *Spiritum S.* nos regenerantem & renovantem, efficientemq; ut simus Spiritus ac spirituales, esse *vitam*, per quam in DEO vivamus, ac magis magisque idonei reddamur ad bonum, *propter justitiam* Christi acquisitam nobisque imputatam, cum quo omnia nobis donantur (vid. infra ℣. 32. & 2. Pet. I. 3. 4.) Tandem quoque eundem Spiritum, *qui Christum è mortuis suscitavit*, & in nobis habitat ac manet, *corpora nostra mortalia* & mortua ob peccatum residuum, purgaturum ab ejus reliquiis, & *vivificaturum* in novissimo die, ut ad beatiorem vitam certo resurrecturi simus. ℣. 10. 11. Interea renatos monet, ne segnes in bono sint, aut frustra gratiam DEI accipiant, eave excidant, petitque argumentum (a) ab officio, non carni sed spiritui debito, ℣. 12. (b) ab effectu malo, morte si carni, & bono, vita spirituali & æterna, si spiritui obtemperaverint, ejusque auxilio motus & actiones carnis mortificaverint, ℣. 13. Hosque, *quotquot Spiritu DEI* & Christi *aguntur* dictum in modum, *filios DEI* & certos esse de vita æterna, dicit, ℣. 14. cum *non acceperint denuo spiritum servitutis* terribilem, (Exod. XX. 18.) qualis in lege est, ut timendum sit a maledictione vel propter peccati reliquias; *sed spiritum adoptionis, ut in eo*, fiducia pleni, compellare Patrem dilectum securique de affectu ejus constanti esse queant, ac præterea habeant *illum ipsum spiritum contestificantem* interius spititui illuminato s. animæ fideli, ac invicte confirmantem de adoptione in filios divina, & hæreditate cœlesti ℣. 14. -- 17. Verum quia certo ordine & conditione datur ista glorioſa hæreditas, nempe, si cum Christo patiantur, ac afflictiones constanter sustineant Christiani, ut id faciant, ponderosissimis argumentis persua-

suadet: (α) ratio petita est a futuræ gloriæ amplitudine, ad quam *Rom. IX.* omnes perpessiones hujus temporis collatæ, nihili omnino sint faciendæ, 18. (β) a συμπαθείᾳ & attenta exspectatione revelationis istius glorioſæ, & liberationis a vanitate ac servitute *omnium creaturarum* irrationalium & inanimatarum, 19. -- 23. (γ) piorum, *primitias habentium spiritus*, & plenam messem certo exspectantium spe & perseverantia, ℣. 23. -- 26. (δ) a Spiritus S. auxilio & intercessione potenti & efficaci pro sanctis apud DEUM, 26. 27. (ε) a fine & eventu felicissimo omnium afflictionum, obvenientium iis, qui DEUM diligunt, ac juxta propositum ejus vocati studeant suam vocationem & electionem firmam facere, 2. Pet. I. 10. fide constanti operosa, & spe patiente, cum certo sciant, Patrem cœlestem, quos tales præcognovit, etiam prædestinasse, ut conformes fierent imagini Filii sui, in imitatione, sanctificatione, passione & glorificatione, secundum salutis ordinem decretum & patefactum, 28. -- 31. (ζ) a *certitudine & dilectione DEI Patris* Filium pro nobis dantis in mortem, & cum eo omnia ad salutem & gloriam necessaria gratiose donantis, atque absolventis electos ab omni accusatione & condemnatione: *& Filii*, non tantum pro nobis plene satisfacientis, sed etiam adhuc & indesinenter intercedentis, ut Pater pro nobis sit, 31. -- 35. Ex quibus omnibus irrefragabiliter & firmissime colligere docet Paulus fideles, nullas neque ærumnas neque creaturas, qualescunque & quantæcunque etiam illæ fuerint, eos separare posse à dilectione Dei, quæ est in Christo JESU, ac nihil condemnationis esse in illis, qui in Christo JESU sunt, & non secundum carnem ambulant, sed secundun spiritum, ut in principio Capitis concluserat. ℣. 35. -- 39.

CAP. IX. Hoc monitum ergo (Cap. VIII. 1.) sedulo ob- *Cap. IX.* servandum, Paulus tacite innuere voluit, ne, quod fere fit, fideles vel in securitatem, vel in superbiam inciderent, sibique te-

Rom. IX. mere persuaderent, quasi absolute à Deo dilecti & electi sint, ut ab eo separari non possint, quicquid etiam fecerint, aut quomodocunque vixerint, cum contemtu insolenti aliorum hominum. (Vid. *Sebast. Schmid.* in Parap. h. l.) Eam in rem Judæorum exemplum nunc profert, atque demonstrat, eos, licet olim dilectus electusque Dei populus fuerint, rejectos esse, illam ipsam ob causam, quod salutarem Dei gratiam in Christo JEsu rejecerint, & nec fidem Abrahami habuerint, nec ejus opera fecerint, Quod, ne quis putet Paulum ex odio quodam erga eos dicere, ad tres testes, omni exceptione majores, Christum, Spiritum S. & conscientiam, provocat, quod tenerrimo eos amore prosequatur, ac insigni tristitia doloreque continuo afficiatur, ob eorum rejectionem: optaveritque serio, separari se potius & rejici à beata Christi communione, quam ut fratres suos secundum carnem inde separatos intelligat, ℣. 1. 2. 3. Unde etiam aperte fatetur, & largitur illis, quod maxima pretiosissimaque præ omnibus aliis gentibus & nationibus privilegia & promissa acceperint, ac ipse Messias genus ex iis duxerit, quoad humanitatem suam, qui tamen sit summus Deus in omnia secula merito celebrandus, 4. 5. Negat tamen eos adhuc gaudere istis prærogativis, sed eorum multos excidisse dolet & probat, atque primariam illorum exceptionem occupat, quasi *excidisse* & mendax fuisse oporteat Dei verbum, quando Deus promisit, se fore Deum Israëlis & Israëlem illius peculium, si rejecti jam sint; declarans, quod se ipsos fallant falsa acceptione & interpretatione vocabuli Israël, quum *non omnes, qui* naturali generatione ortum *ex Israële* trahunt, *sint* verus *Israël*, de quo divinæ promissiones loquantur, & ratio nominis impositi testetur Gen, XXXII, 28. Hos. XII. 3. s. quo pugnans & vincens fides exprimatur: *nec omnes Abrahami filii, qui semen* ejus naturale sunt, ceu Ismaëlis ab eo prognati exemplum doceat, ac Deus ipse significaverit, Genes. XXI, 12. dicendo ad Patrem fidelium omni-

omnium: *In Isaaco vocabitur tibi semen.* Quorum verbo- *Rom. IX.*
rum hic sit sensus: eos tantum pro semine reputari, qui promissioni divinæ de semine benedicto debent ortum suum, eamque fide accipiunt, & ita ex Deo nascuntur, (Joh. I. 12. ff. Gal. III. 18.) quemadmodum Isaacus ex singulari promissione divina (Gen. XVIII. 10.) natus Parentibus effœtis, & solus semen & hæres eorum reputatus, ac typus fuit spiritualium filiorum promissionis, ℣. 6.--10. Quod alio etiam typo illustrat, non minus insigni, ex Isaaci & Rebeccæ domo desumto, ubi huic *ex uno simul concipienti* gemellos, ***DEVS***, monstraturus *propositum suum*, quod *juxta* liberam *electionem* de salute nostra, *non per* bona *opera*, sed per fidem in verbum promissionis, *ex* gratia *vocationis* consequenda, jam factum erat, ratum firmumque *manere, dixit*, cum de *pueris* in utero collidentibus, & *nondum natis, nec* tum *boni quicquam aut mali facientibus* proæretice, se consuleret, quid ista collisio portenderet, *major serviet minori*, (Genes. XXV. 23.) atque sic transtulit in Jacobum promissionem de Messia & Ecclesia, cum prævidisset, majorem profana mente contemturum primogenituram, nec fide accepturum firma promissionem, aut verum cultum retenturum, sed ad carnalia relapsurum, & humanis præsidiis innisurum. Quam ob causam quoque DEUS juste *Esavum odit*, *Jacobum vero*, Christum in promissionibus servantem, *dilexit* in dilecto Filio suo, quemadmodum a Malachia dictum est (Cap. I. 1. 2. conf. Ephes. I. 3.--7.) ℣. 6.--14. Cum igitur ex illustribus hisce typis colligi queat, DEUM propositum de salute hominum in Christo hoc feciisse, ejusque ordinem ad hæreditatem usque æternam sic disposuisse, ut non respexerit ad prærogativam carnalis generationis, aut bona opera, sed juxta liberam electionem gratiæ suæ hanc inveniisse viam, ut, quod supra Cap. III. & IV. prolixe expositum est, illi, qui credunt in Christum, adoptarentur in filios DEI, increduli vero reprobarentur, ma-

Rom. IX. nifestum est, non excidisse verbum promissionum gratuitarum, licet Judæi rejecti sint; male omnino DEUM injustitiæ argui, Apostolus ostendit, quod talem salutis ordinem constituerit, & probat 1. ex verbis DEI ad Mosen Exod. XXXIII. 19. tum prolatis, quando promisit, se facturum, ut omne suum bonum coram eo transeat, tanquam signum gratiæ; *gratiosus ero & miserebor ejus* in tempore, actu gratiam meam conferendo, *cujus miseror*, & misertus sum ab æterno, citra omnem respectum prærogativæ generationis, vel operum, ut fœdus & oeconomia gratiæ consistat. Unde promtum sit inferre, *non esse volentis aut currentis*, sive merentis aliquid, sed *miserentis DEI* omniaque in solidum gratuitæ DEI misericordiæ in ordine salutis sapientissimo in Christo facto, adscribenda; neque adstringi DEum ad extraordinariam gratiam, cum ordinaria sufficiens & efficax sit ad fidem dandam & salutem accipiendam; ac proinde jure damnet, & reprobet eos, qui non sunt τεταγμένοι sive ordinis sui observatores fideles; quod 2. exemplo Pharaonis docet, qui & ordinariam & extraordinariam DEI gratiam contemserit, ac secundum cor induratum & ἀμετανόητον (Rom. II. 4. 5.) sibi ipsi accersiverit justam Numinis vindictam; ut DEUS tandem ipsi exprobraverit damnabilem contemtum, pœnamque denunciaverit in hanc sententiam: *ad hoc ipsum excitavi te* quasi denuo moraliter, & stare feci, toties dignum, qui subito perires & æterna supplicia subires, *ut* evidentissime *demonstrarem* verbo & miraculis, *in te* ac corde tuo, *potentiam meam*, quam etiam incantatores agnoscere coacti fuerunt, & *nomen meum* clementissimum (Ex. XXXIV. 5. 6.) *annunciaretur in universo orbe*, quam gratiosus, misericors & longanimis sim erga pœnitentes, quamque severe puniam pœnitere nescientes, & ex justo judicio tandem gratiam meam ingratis & incorrigibilibus subtraham, & in induratione eos relinquam, ℣. 14. -- 18. Hinc ℣. 18. infert Apostolus, *DEVM* sine injustitia *mise-*

misereri ejus, *cujus vult*, cum liberrima sit ejus gratia, & nemo hominum eam consequi possit ex carnali generatione, quantumvis nobili, aut mereri operibus; *ac indurare*, quem vult, qui Pharaoni similis est & Judæis resistentibus, contradicentibus ordini divino & promissionibus gratiæ in Christo, imo Salvatorem blasphemantibus, (Act. XIII. 45. s.) Quia vero Judæi fateri nolebant, se Pharaoni similes esse, Paulus eorum exceptionem, qua ℣. 19. dicebant: *quid accusat* nos aut succenset DEUS, *quis* nostrûm *ejus voluntati restitit*, ceu Pharao fecit, ut justam habuerit causam nos rejiciendi vel pœnaliter indurandi? diluit variis rationibus: (1) culpando impudentiam & temeritatem hominis alicujus, ex adverso DEO responsantis tumque redarguentis, ac si injuste ageret, vel absolutæ rejectionis & irresistibilis indurationis causa esset in plurimis Judæis, quum DEUS nonnisi bonos ex malis facere & refingere ex gratia per odinaria salutis media serio velit & studeat, in ea vero spernentes juste animadvertat: æque igitur absurdos fore DEO repugnantes, ac figmentum vel vas figulinum pro arbitrio a figulo formatum, quod reformare, vel corrigere fictorem suum vellet, imo multo absurdiores & nequiores; ℣. 20. 21. (2) probando contrarium eis, quæ impii impie DEO affingunt, quasi pro absoluta voluntate DEUS misereatur, vel indueret; quia DEus, cum *demonstrare iram suam* ex justitia sua vindicativa & *potentiam palam facere in vasis iræ*, a diabolo & se ipsis *ad interitum adaptatis*, (contra Creatoris sanctissimi voluntatem, 1. Tim. II. 4. 2. Pet. III. 9.) contemnendo & negligendo misericordiam oblatam, vellet, *ea multa cum longanimitate tulerit*, & ad pœnitentiam sua benignitate invitaverit, Rom. II. 4. contra vero, ut *testatissimam faceret opulentiam glorioſæ* gratiæ suæ, Ephes. I. 6. erga *vasa misericordiæ*, ea *præparaverit* per media efficacia & salutaria eo destinata, *ad* æternam *gloriam*, quæ secundum præscriptum ordinem adhibuerunt, fidem inde

Rom. IX.

Rom. IX. & X. conceperunt, & fide beneficia Christi acceperunt, ℣. 22. 23. Qualia vasa non tantum ex Judæis, verum etiam ex Gentibus præparaverit, teste de his Hosea (I. 10. II. 23) de illis Jesaia, (X. 22. seqq. & I. 9) ℣. 24.-- 30. Quibus in locis & Oeconomia gratiæ DEI in Gentibus (Ephes. III. 2. ff.) & reliquiæ sive reservatio κατ' ἐκλογὴν χάριτος inter Judæos diserte indicantur. Ut adeo hinc manifestum sit, non posse DEUM injustitiæ argui, quod DEUS Judæos ad tempus rejecerit, Gentiles autem susceperit, cum neutrum ex absoluta voluntate, sed sapientissima ordinatione factum sit. Quod si vero aliquibus hæc adhuc nonnihil obscura videantur, & amplius ea explicari desiderent, respondet Apostolus breviter & dilucide in hanc sententiam: *quod Gentes, quæ* quondam *non sectabantur justitiam*, eam a DEO ultro & ex mera misericordia per Evangelium oblatam, *consecutæ sint*, nempe *justitiam fidei* in Christo, ℣. 30. *contra vero Israël prosequens justitiam legalem, ad eam non pervenerit*, sed scopo suo frustratus fuerit; ideo, *quia non ex fide* justificari volebat διὰ τῆς ἀπολυτρώσεως τῆς ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ, Rom. III. 24. *sed ex operibus legis*: atque sic *impegerunt in lapidem offendiculi*, i. e. Messiam, cujus humilitate & servili forma offensi, noluerunt ex ejus plenitudine haurire gratiam pro gratia, & salutem fide accipere, quemadmodum Jesaias dudum prædixit, VIII. 14. XXVIII. 16.

Cap. X. CAP. X. Paulus indicatam reprobationis causam, Judæorum ἀπιστίαν exponit deploratque uberius, &, quæ porro objici possint, occupat, ac fidem unicam esse salutis causam demonstrat, Quod dum facere instituit, denuo ante protestatur, se adeo nihil ex odio erga Judæos proferre, ut potius ex *propensa voluntate cordis* quotidie *preces ad DEVM fundat* pro iis, *ut salventur*, ℣. 1. nec negat, quod dici pro eorum causa possit, quin *magnum pro Deo zelum habeant*, inprimis contra idololatriam gentilium, & legis opera vehementissime urgeant; *sed* zelum istum *non ex* certa *scientia* oriri, sed in vario errore fun-

dari,

dari, adeoq; displicere DEO & eorum saluti obesse hinc probat, Rom. X. quod *justitiam fidei*, per Evangelium oblatam, ignorent, & accipere nolint, imo eam destruere quovis modo, contra vero *propriam suam justitiam stabilire* & obtinere, pertinacissime *quærant, atque* hoc ipso *justitiæ illi DEI* se non subjiciant, sed malitiose illam repudient, ℣. 2. 3. cum tamen ex ipsa Lege Mosis meliora scire potuerint, quippe quæ testetur, quod *finis legis* sit *Christus*, ad quem vocat instar Pædagogi, Gal. III. 24. compellatque, & *qui* solus sit *justitia omni credenti*, per quem fide apprehensum quisque justificetur; Mosen enim justitiam legis & fidei describere luculenter: ac illam quidem h. m. Lev. XVIII. 5. *quicunque fecerit ea* Legis præcepta, *vivet in eis*, quæ tamen non sint scripta eum in finem, quasi homo per Legem justificetur, (ceu supra, Rom. III. 19. 20. demonstratum fuit) sed ut aliunde auxilium quærat, & ad Christum, Legis finem, confugiat, atque ab eo per fidem justitiam amplectatur, quam ita loquentem & ultro se homini credenti offerentem, ex Devter. XXX. 11. 12. sistit: *ne dicas in corde tuo: quis in cœlum ascendet?* ut justitiam a Christo, quem eo, post peractum in terris opus redemtionis, ascendisse, Evangelium prædicat, arripiat; quod impossibile putant increduli: *hoc* enim *est Christum* e cœlo *deducere*, e throno DEI & dignitate deturbare, & negare magnum gratiæ, pietatis & salutis mysterium. Neque cogitato apud te; *quis in abyssum descendet* inferni, ut inde victor redeat, & ex ejus mortisque potestate peccatores liberet? quod itidem per Christum factum, credunt nonnulli, mihi tamen persuadere nondum possum. Absit longissime, ut talia vel cogites, vel dicas, sed attende, quid dicat: *prope te est verbum* justitiæ & salutis, quod suggerit omnia per Christum peracta & impleta esse, quæ lex ab hominibus requirit, illi autem præstare non possunt, (Rom. VIII. 3.) quod in ore & corde tuo esse ita debet, ut id credas & confitearis vere ac sincere. Non autem aliud

Rom. X. esse illud verbum docet Apostolus, quam quod ipse una cum aliis publice annunciet, Græcis & Judæis, ut viam perveniendi in cœlum facilem discant & ineant; quod propterea mox clarius explicat ad conscientiam cujusque, dicens: *si confessus fueris ore tuo*, vere & sincere, *Dominum JESVM, & credideris in corde tuo, quod DEVS eum*, post solutum ἀντίλυτρον, redemtionis precium, *excitaverit ex mortuis*, adeoque ille sit, qui descenderit de cœlo, &, salute justitiaque per mortem parta, iterum eo ascenderit, *salvus eris*. Summa enim Evangelicæ doctrinæ hæc est: *corde creditur*, credique debet in Dominum JESUM, *ad justitiam* ipsius recipiendam, &, ne simulata vel falsa fides sit, exserat se, necesse est, professione constanti, *ore* quippe *fit confessio ad salutem*; quemadmodum Scriptura docet dicitq;: Jes. XXVIII. 16. *omnis, qui credit in eum, non pudefiet.* Quod generatim & universe de omnibus intelligendum est hominibus; *nullum enim discrimen intercedit* ratione salutis *inter Judæum & Græcum, quia unus* idemque *est Dominus omnium, dives* gratia & misericordia, Ephes. II. 4.-10. *erga omnes se* in spiritu & veritate *invocantes*, Joel. III. 5. (II. 32.) atque ore & corde ei se addicentes. Quod sane aliter fieri nec debet, nec potest. DEUM autem liberaliter offerre omnibus salutis media, & per ea operari fidem, in confessionem & invocationem erumpentem, pulcherrimo ordine & nexu, ostendit v. 14. 15. dum mittit præcones Evangelii pacis (Rom. I. 16.) magno numero, juxta Jes. LII. 7. Nah. I. 10. Cur vero non omnes salventur, ea causa est, quod Evangelio obedientia fidei se non omnes subjiciant, prout jam olim Jesaias conquestus est, præscius loquens de Novi Testamenti temporibus, ac de Judæis cumprimis, & loquentes inducens Apostolos aliosque Christi Legatos hunc in modum, LIII. 1. *Domine, quis credit sermoni, quem ex nobis audit?* pauciſſimi sunt, qui auditum verbum fide recipiunt. Certum nihilominus esse colligit Paulus, sive pauci, sive multi sermonem

nem Evangelii suſceperint, *fidem* esse *ex auditu, auditum autem* Rom. XI.
rerum mysticarum & credendarum ad salutem obtineri *per verbum* prædicatum, tanquam proximum & efficax medium divinitus destinatum & datum. Gentibus autem omnibus hunc in finem Evangelium prædicatum esse, demonstrat Paulus ex Ps. XIX. 5. quo David prædixit, *ejus* præconum *sonum in totam terram* exiturum, ut obedientia fidei inter eas stabiliatur, posteaquam Judæi illud præconium rejecerunt, ac rejici a DEO meruerunt, quemadmodum Vates passim prædixerunt, primus Moses Devt. XXXII. 21. deinde & Jesaias LXV. 1. 2.

CAP. XI. Docet DEUM non simpliciter, nec univer- Cap. XI.
sum populum suum, nec in perpetuum, sine spe conversionis & assumtionis, rejecisse, idque probat (1) suo exemplo ℣. 1. (2) a constantia DEI in servandis promissis populo suo factis, & præscientia ejus infallibili, qua præviderit adhuc crediturus reliquias multas secundum electionem gratuitam in Christo, quas sibi reservaverit, sicut olim tempore Eliæ, (1. Reg. XIX. 15.) ℣. 2.--7. Hinc etiam olim non alios, quam *electos*, consecutos ostendit justitiam & salutem per fidem in Christum, cæteros autem incredulos & contumaces occaluisse, justissimo DEI judicio, (conf. supra Cap. IX. 31. 32.) testibus Jesaia VI. 9. XXIX. 10. & Davide, Psal. LXIX. 23. quod completum hodie in Judæis conspiciatur, ℣. 7. -- 11. Cumque objici ex hujusmodi comminationibus gravibus potuerit, plane actum videri de salute Judæorum, respondet Apostolus, eos non ita offendisse & lapsos esse, ut in ruina permaneant, ac non amplius surgere aut converti possint, eorumque lapsum occasionem præbuisse vocationi & conversioni Gentium, quæ ipsos quoque Israëlitas ad æmulationem provocare (Devt. XXXII. 21.) debeat, ut eorundem bonorum Evangelicorum, quibus conversæ gentes fruuntur, participes fieri desiderent. Neque enim, si Judæi iterum recipiantur, gentibus id damno sed potius commodo

Rom. XI. fore, ac facile colligi posse, si lapsus illorum tantum profuerit toti mundo, occasionemque dederit ditescendi in Christo, per oblatos in Evangelio & fide acceptos gratiæ thesauros, quantum emolumenti & incrementi allatura sit eorum plenitudo, sive plenus conversorum numerus. Unde etiam eo se niti sedulo profitetur, quatenus sit Gentium Apostolus, ut quamplurimi Ethnici ad Christum convertantur, si vel hac ratione quosdam popularium suorum ad æmulationem provocet, ac quosdam servet, donec tempus veniat, quo reassumendus sit populus, hancque *reassumtionem* fore *vitam* spiritualem *ex mortuis* in Gentibus & Judæis, Ephes. II. 5. ff. πρόσληψιν autem illam futuram probat ex gratia fœderis a DEO sanciti cum Judæis, quod non solum ad eorum Patres sed posteros quoque pertineat, (Gen. XVII. 7.) & argumentum hoc probans illustrat duabus similitudinibus, quarum prima sumta est ex ἀπογενείᾳ primitiarum & massæ, (Num. XV. 18. -- 21.) altera radicis in arbore & ramorum, hisque declarat, non unos tantum alterosque ex Judæis in posterum convertendos, quod omnibus temporibus hucusque factum est, sed ingentem multitudinem & totum corpus Judaicum, massam totam & arborem deciduam hactenus, novissimis temporibus revirescentem. ℣. 7. -- 17. Ex his infert Apostolus commode dehortationem, nec Gentiles Judæis insultent & superbiant, quod quidem rami defracti separatique a radice & trunco sint, quasi hinc totalis & finalis rejectio populi Israëlitici sequatur, ipsi vero ex oleastro sylvestri oriundi, inter ramos inoculati inde avelli nequeant, quoniam (1) radicem non portent, sed ab ea dependeant, & filii Abrahami ex gratia per fidem facti, Judæi autem per incredulitatem fracti sint, 17. -- 20. (2) metuere sibi ac humiliter solliciti esse debeant, ne excidant fide & gratia, spectantes & *bonitatem* in se, non absolutam, sed ordinatam, si in illa constanter permanserint, & *severitatem* erga lapsos, quam facile etiam experiri possint; cum,

cum, qui naturalibus ramis non pepercit, multo minus insiti- Rom. XI.
tiis parcere velit, 20. – 23. (3) DEUS, facilius longe possit & velit etiam Judæos denuo oleæ inserere propriæ, cui præter naturam insiti gentiles sint, & ad quos promissiones Patriarchis factæ remotius pertineant, 23. 24. Atque ut fortius reprimeret gentilium superbiam, & opinionem de perpetua Judæorum rejectione elatis animis eximeret, ℣. 25. aperte prodit Israëlitici populi conversionem adhuc futuram, & vocat α. *mysterium*, paucis notum & creditum hucusque, cum nemo unquam mente concipere posset, nationem tam excœcatam & induratam, tam pertinacem & infensam Salvatori JESU, cum aliquando quæsituram & adoraturam, nisi id DEUS revelasset per Prophetas & Apostolos. β. Docet dicitque πώρωσιν, quæ ei obtigit, non perpetuo ad finem usque mundi duraturam, sed *ad tempus* tantum, ἀπὸ μέρους (vid. Rom. XV. 24.) quod adhuc instet, (conf. Hos. III. 4. 5.) quia Conversio ante exspectari non debeat, quam *plenitudo gentium introierit*, sive nationes omnes, quibus Evangelium antea quidem prædicatum, sed obliteratum fuit, dum vel ad idololatriam gentilium relapsæ sunt, vel ad Muhammedanismum defecerunt, vel bestiæ & Antichristo adhæserunt, ad JESUM convertantur. Conf. Matth. XXIV. 14. Luc. XXI. 24. γ. universalem & salutarem futuram conversionem indicat, ℣. 26. ita, ut tum, cum tempus illud gratiæ a DEO definitum advenerit, *omnis Israël salvetur*, & JESUM, quem blasphemaverat, satis diu, profiteatur. δ. Probat hoc mysterium ex Jes. LIX. 20. 21. & XXVII. & Jer. XXXI. 33. 34. quod Israëli æterno fœdere se obstrinxerit DEUS promiseritque, se ablaturum reatum, qui toti nationi incumbit, ob reprobatam salutis petram, & remissurum peccata, ℣. 26. 24. Atque propter hoc fœdus & Patres ipsorum, & ipsos dilectos DEO esse, cum in fœdere illo cum Patribus inito comprehendantur, licet alioqui nunc hostes Evangelii & propterea rejecti sint gentium

Rom. XI. & XII. lium bono, ut eorum ἥττημα & incredulitas horum divitiæ fierent; (¥. 11. 12. supra) *dona* enim *DEI* gratuita fœdere promissa, ejusque *vocationem* iteratam, immutabilia, & certo eventura, ideoq; consecuturos Judæos misericordiam, sicut gentes quondam idololatricæ eam consecutæ & conversæ sint, occasione eorum rebellionis: universalem quippe esse gratiam & misericordiam DEI, & communem gentium atque Judæorum sortem, quos omnes propter peccatum reos æternæ mortis declaraverit, quibusque omnibus gratiam in Christo per Evangelium obtulerit, Rom. III. 9. 19. seqq. ut ita Judæi & gentiles simul, thesauris gratiæ in eos effusis, æternæ vitæ participes fierent. ¥. 28. -- 33. Claudit Apostolus hanc disputationem gravissima exclamatione & admiratione immensæ abyssi divitiarum gratiæ, & sapientiæ in convertendis & salvandis miseris peccatoribus, & vult omnes cognoscere, quod *ex ipso*, tanquam Patre luminum, *omnia* bona & perfecta dona sint, & *per ipsum* gratiose dispensentur, secundum oeconomiam gratiæ, & *ad ipsum*, ceu finem ultimum, omnia referri eique soli omnis gloria in secula seculorum reddi debeat, 33. -- 36. Conf. *B. Menzeri* Analysin hujus Cap. T. I. Disp. Giess. Disp. ult.

Cap. XII. CAP. XII. Tantæ misericordiæ memores esse vult Apostolus gentiles conversos, eoque eos per hanc ipsam immensam DEI misericordiam rogat monetque (I) ut meliorem, quam Judæi fecerant, qui in umbris & opere & operato hæserant, ac per Sacerdotes obtulerant sacrificia, cultum DEO exhiberent, tanquam Sacerdotes spirituales, non bestiarum, sed suamet *corpora*, & seipsos totos *sisterent hostiam viventem, sanctam DEOque placentem*, per & propter Christum (1. Pet. II. 5.) qui *cultus rationalis* dici queat, & non semel sed semper exhibeatur, *mente renovata* & humili, *ut probare possint* practice, *quæ sancta, bona, placens & perfecta* integraque *DEI voluntas sit*, (Phil. I. 9. ff.) ex verbi divini præscripto, extra & ultra quod sapere velle, sum-

ma

ma insolentia & stultitia sit. ℣. 1. 2. 5. Sic igitur DEO servi- *Rom. XII.*
endum, ut (II.) proximo quoque inserviamus, & publicam utilitatem Ecclesiæ respiciamus, pro variis concessis donis, cum sanctificantibus, tum ministrantibus, reputantes, nos unum corpus mysticum in Christo per fidem & membra ejus esse, ut alii alios juvemus, in administratione officiorum fideli, ℣. 4. - 9. (III.) In communi vita & statu Christianismi omnibus atque singulis commendat (1) *charitatem* sinceram, tanquam matrem cœterarum virtutum, (2) *odium mali* intimum, & *amorem boni* intensissimum, ℣. 9. (3) φιλαδελφίαν mutuam, (4) ταπεινοφροσύνην, ℣. 10. conf. Phil. II. 3. (5) *alacritatem*, (6) *fervorem Spiritus* sive zelum, (7) καιροδιδασκαλείαν, cum κυριοδιδασκαλείᾳ conjunctam, (conf. Ephes. V. 16.) ℣. 11. (8) *spem* lætam, vel gaudium spe certa promissionum nixum, (9) *perseverantiam* in afflictionibus, Rom. V. 23. Jac. I. 2. 3. (10) *preces perdurantes*, quæ fulciunt spem & tolerantiam, quia impetrant divinam gratiam, ℣. 12. (11) liberalitatem erga sanctos, (12) *hospitalitatis* studium, ℣. 13. Ne vero quis existimet, se suo fecisse officio satis, si amicis & fratribus beneficia exhibeat, ostendit quoque subinde Apostolus, quomodo erga hostes nos affectos esse oporteat, imperatque (13) semel iterumque benedictionem persecutoribus impertiendam, ℣. 14. conf. Matth. V. 44. (14) συμπάθειαν in lætis & tristibus, ℣. 15. (15) ὁμόνοιαν. (16) *humilitatem*, (17) *modestiam*, ℣. 16. (18) *mansuetudinem* erga pares, vel inferiores, (19) *beneficentiam* erga omnes. (20) *Pacis* & concordiæ studium, si illæsa veritate & pietate fieri possit; ℣. 18. (21) abstinentiam a vindicta propria, cum DEus sibi soli vindictam reservaverit, ℣. 19. (22) *beneficentiam* erga hostes, ℣. 20. (23) *victoriam malorum*, ℣. 21.

CAP. XIII. In inculcandis officiis pergit, & quomodo Cap. III.
Christiani se gerere erga Magistratum debeant, primo declarat. *Subjectionem universalem* deducit ex autoritate Magistratus, gravis-

Rom. XIII. graviſſimis argumentis, (1) quod *ſubordinatio* iſta *neceſſaria* ob poteſtatem & præeminentiam, qua præditæ ſint illæ perſonæ, quas DEUS aliis præeſſe voluit: (2) quod *poteſtates ſuperiores* quæcunque *a DEO* ſint *ordinatæ* & conſtitutæ, ℣. 1. Unde ſequi, eos, qui noluerint eſſe obedientes, ſive ſeculares ſive Eccleſiaſticæ perſonæ ſint, ſed reſtiterint ſuperioribus, ſive aperta vi, ut ſeditione ac rebellione, ſive fraudibus ac inſidiis, divinæ ſe opponere ordinationi, atque hoc ipſo gravi ſe crimine obſtringere & judicium juſtum pœnamve ſibi acquirere, ℣. 2. (3) *ab utilitate*, quia Magiſtratus *DEI miniſter ſit in bonum* Reipubl. ut bonos protegat ac defendat, malos autem coërceat & puniat; adeoq; non illis ſed his metuendus ſit, ℣ 3.4. utrosque tamen ſubjectos eſſe oporteat, impios evitandæ pœnæ cauſa, pios & renatos propter conſcientiam bonam, qua gaudeant, quando parent divinæ ordinationi, ℣. 5. (4) ex indicio obligationis, & æquitate, quod ſubditi ideo tributa aliaque pendant & pendere debeant Magiſtratui, quoniam is huic uni rei perſeveranter inſiſtat, tanquam DEI miniſter, ut Reipubl. bene ſit. ℣. 6. 7. Non vero Magiſtratui tantum, ſed omnibus etiam aliis reddenda eſſe debita, poſt hæc monet Apoſtolus, ne quis exiſtimet, ſatis ſe ſuo functum officio, ſi uni ſolvat, quod debet, & alteri neget, aut ſi ſemel iterumque præſtanda præſtiterit, ac deinceps deſiſtat; unde ℣. 8. ait: *nemini quicquam debeatis, niſi ut alii alios*, omnes ſingulosque in ſuis ordinibus, & gradibus, juxta ſpecies enumeratas Cap. XII. 9. ff. & XIII. *diligatis*, ideoque ſemper, vere & ſincere, verbis non ſolum, ſed & factis, ex obligatione non tantum civili & ſingulari, ſed etiam naturali, ac communi. Cujus moniti rationem hanc adfert, quod, ſi quis dictum in modum *dilexerit alium*, totam legem, præſertim quoad tabulam ſecundam, *impleat*, (ut ex inductione præceptorum oſtendit, ℣. 9.) cum amor proximo omne bonum conferat, nullum vero malum

lum inferat, quibus partibus amor absolvitur, 10. Atque hæc non solum in Vet. Test. Judæis inculcata serio esse, sed ad Christianos quoque pertinere, Paulus docet, imo multo magis fidelibus nunc observanda, quo magis *sciant* maxime *opportunum* jam *tempus* (καιρὸν) esse *expergiscendi* ex somno ignorantiæ, securitatis &c. & vigilandi, bene operandi; cum *propior salus* sit *nobis* largissime exhibita in Christo, *quam* in V. T. & nos ipsi a principio *credidimus*; ac proinde æquum, majori sanctimonia vitam excolere, ut qui quasi in conspectu Salvatoris vivamus, quem inter nos & in nobis habeamus, cum Patres olim ipsum non nisi eminus intuiti fuerint, & in *nocte* quasi obscura, *quæ* vero multum provecta sit & tantum non *transierit, dies autem* exoptata lucis & salutis Evangelicæ *appropinquaverit*, 2. Cor. VI. 2. Igitur *opera tenebrarum* omnia, sive in Gentilismo sive in Judaismo, ex ignorantia & errore patrata, *abjicienda*, econtra vero *arma* & instrumenta *lucis induenda* esse, ut iis ornati & muniti *honeste ambulemus*, *non in* κώμοις *comessationibus*, sive conviviis, ubi omne amatoriæ, lasciviæ, levitatis ac proteriæ genus vigebat, ut cantilenæ, saltationes, Comœdiæ aliique ludi, quibus Bacchanalia, Saturnalia & alia festa, Gentiles DEO lasciviarum & temulentiæ, qui Κῶμον dicebatur, & parum forte differebat ab abominabili illo Moabitarum idolo *Camos*, Num. XXI. 30. celebrabant, *& ebrietatibus*: *non in vagis concubitibus*, scortationibus *& libidinibus* contra sexuum leges: *neque in contentionibus* sive convitiis & ardenti *studio* contra proximum, ad ei nocendum; sed potius *induti* luce vera, *Domino J. C.* ostendamus nos lucis filios esse, *non prospicientes carni ad cupiditates*, sed potius carnem mortificantes & crucifigentes, (conf. Ephes. IV. 22. ff. Gal. V. 24.) ℣. 11. - 14. *Rom. XIII.*

CAP. XIV. Prolixius nonnihil docet, quomodo cum iis agendum sit, qui ex Judaismo ad Christianismum conversi, quales *Nazaræos* fuisse docte conjicit *Rhenferd.* dis. I. de fict. Cap. XIV.

Rom. XIV. Judæor. hæres. §. 91. ceremoniis Leviticis adhæserunt, vel ex anni Sabbatici atque Jubilæi typis existimaverunt futurum, ut temporibus Messiæ omnia in pristinum statum restituerentur, quo in principio creationis fuerunt, ubi protoplasti oleribus tantum & terra nascentibus vescebantur, ut nonnulli volunt ex Gen. I. 29. colligere: vel alia ex ratione certos cibos repudiabant, vel dies eligebant, nondum satis intelligentes libertatem Evangelicam. Tales, utpote fundamentum fidei tenentes, licet infirmi adhuc sint in adiaphoris, a gentilibus conversis suscipiendos, tanquam membra Ecclesiæ, in charitate tolerandos & reformandos, non multis altercationibus ratiocinationum tentandos vel onerandos, multo minus dijudicandos temere aut condemnandos esse, præcipit: idem etiam fieri vicissim vult ab infirmis; ne unio impediatur e Judæis & Gentibus credentium, & schisma sine causa excitetur, ℣. 1. 2. Quo tacite respicit ad decretum Apostolicum Actor. XV. causam etiam gravem addit, quia DEUS infirmum *assumserit* in familiam suam, erigere & servare etiam labentem possit, & servum suum ab alio judicari nolit, ℣. 3. 4. De discrimine dierum etiam ab aliis observato, ab aliis neglecto, regulas fert tales: 1. ut quisq; certus sit in sua conscientia, quod nihil ex superstitione, sed 2. omnia in honorem DEI faciat, 3. DEO gratias agat. Hunc-que scopum omnium nostrarum actionum in vita & morte esse debere hinc probat; quia *nemo nostrûm sibi vivat, aut moriatur, sed Domino, ejusque* peculium sit, a Christo acquisitum, ac proinde honorem illius unice quærere ubique & in omnibus, conf. 1. Cor. X. 31. 2. Cor. V. 15. & supremo rerum arbitro judicium in fratrem relinquere debeat, ad cujus tribunal omnes sistendi sint, reddituri rationem, an fide sincera egerint in quolibet suo opere, ac adeo in simplicitate mentis ederint vel non. ℣. 5. - 13. Porro monet, ne quis promiscuo & intempestivo usu libertatis, *fratri* infirmo, vel *offendiculum* vel *scandalum* ponat,

ponat, ut a Christianismo resiliat; licet per se nihil pollutum censeri debeat in cibis & aliis indifferentibus rebus, ut ejus esu usuve polluatur, 1. Tim. IV. 4. 5. sed fiat tale aliquid pro impuro habenti, & ab eo propterea abstinenti. Offendiculum autem præberet fratri & tristitia eum afficeret, qui vesceretur eo cibo, quem ille vetitum, ac divinum mandatum violatum esu reputaret. Quod qui nil pensi haberet, 1. *non secundum charitatem ambularet*, quæ ædificationem & conservationem proximi respicit, sed 2. *perderet eum, pro quo Christus mortuus est*, intempestivo cibi usu, si faceret suo exemplo, ut ille vel vescatur cibo, quem prohibitum existimat, adeoque contra conscientiam peccet, vel Christianismo valediceret & in Judaismum relaberetur: 3. suspectam redderet libertatem Christianam, ac blasphemandi occasionem daret hostibus Christiani nominis, quasi regnum DEI consisteret in rebus tam vilibus, cum tamen illud *non* sit *esca & potus*, *sed justitia* fidei & vitæ, *pax* cum DEO, & proximo, *lætitia* pariens tranquillam conscientiam *in Spiritu S.* In his qui Christo serviat, quique sic quærat omni studio & promoveat regnum DEI, ut infirmis inserviat, eum gratum DEO & hominibus fore, tum infirmis, qui libenter cum eo conversentur, tum exteris, quod nullam occasionem habeant DEUM blasphemandi, quando vident Christianos charitatis & concordiæ vinculo constringi, & ad mutuam ædificationem cuncta conferre. Quare, ut hæc prosequantur fideles, caveantque, ne destruant opus vel domum DEI abusu libertatis & discordia, denuo iterumque hortatur Apostolus, ac eo nomine adhuc regulas quasdam speciales addit. 1. *Omnia quidem munda, at malum homini, qui manducaverit* cibum, quem infirmus adhuc immundum censet, sicque *scandalum* ei *præbet*; *melius* igitur fore, *ab omni carne & vino*, aliaque re quacunque indifferenti, *abstinere*, quam ut quoquo modo fratri infirmo occasio lapsus aut scandali detur, ℣. 20. 21. *Rom. XIV.*

Rom. XV. II. Rerum *indifferentium usus liber* manet, quo, qui certam habet notitiam, *coram DEO* fruitur per fidem, & gratias agit, vide ℣. 5. 6. supra, quando vel solus est, vel inter firmos, licet in fratris gratiam eo abstineat. III. *Beatus est*, qui ita agit, ut ipsum conscientia *non condemnet* in eo, *quod approbat*. Condemnaret autem *seipsum*, si nesciret, se non debere proximum offendere. IV. Qui, dum infirmus est, & in utramque partem fertur, *dubitans* an licite edere queat, & tamen edit, a seipso *condemnatus* est; *quia non ex fide*, (vid. ℣. 5.) qua quisque certus esse debet de sententia. *Quicquid autem non est* nec fit *ex fide* certa, verbo DEI innixa, *peccatum est*.

Cap. XV. CAP. XV. Prosequitur Apostolus argumentum de infirmis eorumque infirmitatibus, non tantum in rebus mediis, sed etiam in delictis, quibus præoccupantur, ceu *Lutherus* Tom. II. Jen. Lat. f. 328. judicat, patienter tolerandis & sublevandis, productis in medium rationibus aliis gravissimis, (1) *a debito* sive necessario, ex lege charitatis. Vid. supra XIII. 8. (2) *a fine donorum* divinitus concessorum, ut, qui firmiores sunt, imbecilles juvent, hisque & non sibi ipsis placere ac indulgere studeant, ℣. 1. 2. (3) *ab exemplo Christi*, ℣. 3. qui non sibi indulsit, sed Patri placere cupiens opprobria & crucem sustinuit, Psal. XIX. 10. conf. Phil. II. 5. 6. ut nostris commodis inserviret suo incommodo. Hoc exemplum etiam ad Christianos pertinere, probat (4) ex generali fine Scripturæ universæ, ℣. 4. qui eo tendat, ut de doctrina salutari ex ea instructi, & secundum præscriptam fidei vitæque regulam, per patientiam & consolationem spem habeamus futuræ vitæ & gloriæ. (5) Quæ omnia precibus a Patre luminum obtineri posse, declarat, ℣. 5. & ipse pro Romanis orat vovetque talia, ut idem omnes invicem sentiant in iis, quæ ex Scripturis discunt, & infirmi libertatem suam, firmi autem charitatem, tolerantiam &c. solide & practice intelligant; quo uno ore & animo collaudent Deum, 6.

Ex

Ex his infert (6) valide denuo, amice debere *se invicem susci* Rom. XV.
pere & benevole fovere Christianos, cumprimis infirmos, *quemadmodum etiam Christus nos* omnes *susceperit* infirmos existentes (Rom. V. 6.) ad gloriam DEI, ℣. 7. cum *Judæos*, quorum *minister* in propria persona fuerit, ut veritas divinarum promissionum Patribus datarum aperte demonstraretur, Gen. XII. XXII. 2. Sam. VII. &c. Matth. XV. 24. *tum Gentes*, abalienatas a politia Israëlis, Ephes. II. 12. ex mera misericordia, juxta vaticinia quamplurima, ℣. 9.-- 13. Post quæ votum repetit (℣. 5.) quod mire amplificat hortationem, ℣. 13. & morato sermone finit, quo cum fiduciam suam erga Romanos, tum rationem officii sui ad gentes exponit, quod ad eos a Christo missus sit, ut per Evangelium præparatæ acceptum DEO sacrificium fierent, sanctificatum per Spiritum S. De quo suo labore non inani gloriatur in Christo, operante efficaciter per se, ut ad obedientiam adducerentur gentes sermone & opere, & miraculis virtute Spiritus DEI editis. ℣. 14.-- 22. Et quia Paulus plurimis in locis, ubi Evangelium nondum annunciatum fuit, fundamentum ponere voluit atq; debuit, excusatum se Romanis cupit, quod venire ad eos hactenus non potuerit; spem tamen adventus facit non infructuosi, quando in Hispaniam profecturus sit, redux factus Hierosolyma, quo collectam ex Macedonia & Achaja in pauperum sanctorum usum pecuniam nunc asportet, ac de cœtero eos rogat, ut pro se apud DEUM precibus certent, quo tandem ab immorigeris sibi insidiantibus hominibus in Judæa liberetur, & lætus ad ipsos D. V. tandem perveniat, ac una cum eis reficiatur ex felici regni DEI incremento, ℣. 22.-- 33. Voto claudit ℣. 33.

CAP. XVI. est quasi appendix, seu, ut vulgo dicitur, Cap.
Postscriptum, quo (1.) commendat Phœben, Epistolæ latri XVI.
cem, a religione, officio & fidelitate benignitateque, multis, & sibi etiam, præstita, quo Romani eam similiter benevole

Rom. XVI. exciperent & tractarent, ℣. 1. 2. (II.) Salutari vult a se & sanctis Corinthi, quamplurimos fideles, Romæ tum agentes, in quorum catalogo Petrus non est; unde colligi potest, quod nec Romæ, nec Episcopus Rom. fuerit. Quæ salutationes nequaquam inanes censeri debent, verum faciunt 1. ad communionem sanctorum & unitatem fidei demonstrandam, quæ se longe lateque extendat. 2. ad statum Ecclesiarum, cum domesticarum, tum publicarum, iis temporibus, perdiscendum. 3. Laudationes personarum insertæ subinde insperæque faciunt plurimum, cum ad exhortationem ipsorum, qui laudantur, ad constantiam & progressus ulteriores, tum ad imitationem aliorum. 4. Charitatis fraternæ & vere Christianæ speculum hinc elucet, quæ se salutationibus, piis votis & osculis sanctis prodit. 5. Boni Pastoris ideam præbet Apostolus, quando (α) non tantum civitatum & locorum celebriorum, sed & privatorum, ac singulorum fidelium mentionem facit, eoque declarat, quanta cura cunctos prosequatur. (β) Modestiæ exemplum, dum viros & fœminas cooperarios in Domino & co-apostolos nominat, ℣. 3. -- 17. (γ) Vigilem curam prodit, quando Romanos hortatur, ut sedulo caveant ἑτεροδοξίαν, & schismata & dissensiones, ac ne per aliorum χρηστολογίας καὶ εὐλογίας, quod solenne est Pseudo-doctoribus, ventri potius quam Christo servientibus, decipi se sinant, & simplicis obedientiæ fidei laudem, quæ omnibus innotuerit, amittant, sed potius serpentinam prudentiam cum columbina simplicitate conjungant. (Matth. X. 16.) Ita se liberari posse a lucripetis istis seductoribus: quod vovendo prædicit, & ad fiduciam in DEUM gratiamq; Christi eos accendit, ℣. 17. -- 21. Huncque in finem quorundam serorsim salutantium Romanos & pro iis orantium meminit, & charitatis commendationem obsignat voto iterato, ℣. 21. -- 25. & δοξολογίᾳ, qua rursus affectum fiduciæ a potentia & sapientia DEI, cum ejusdem glorificatione excitare studet, & Evangelii ordinem

ordinem prædicationisque finem repetit ac commendat, 25. 26. 27. Conf. Cap. I. 2. 5. *Origenes* & *Chrysostomus* in hoc ultimum Caput. *Act. XX. 3. ff.*

XVIII.

Paulus Corintho digressus recta Hierosolymam ad deferendas eleemosynas proficisci secum constituit, sed insidiis Judæorum impeditus, per Macedoniam iterum tendit, Philippenses salutat, & *Troadam* tertia vice venit, ubi per septiduum commoratus est, & prima post Sabbatum die, congregatis in charitate discipulis, Apostolum postridie abiturum cœna excipientibus, differuit de salutaribus rebus, & dum sermonem ad mediam noctem produxit, juvenis quidam in fenestra sedens, alto somno oppressus deturbatusque decidit de tertia contignatione, & sublatus est mortuus, quem admiranda DEI virtute subito restituit, sicque novo miraculo doctrinam suam confirmavit, & cibo gustato, ad diluculum usque collocutus, ita demum profectus est *Assum*, ac in plura loca alia, ubi pro more cunctos fratres erexit & confortavit, donec *Miletum* perveniisset, quo *Ephesinos Presbyteros* s. Episcopos accersendos curavit, eosque, proposito institutionis & vitæ suæ exemplo, ad parem constantiam, assiduitatem & vigilantiam gravissime est cohortatus, tanto magis, quanto certius sciebat, exorituros post suum discessum truces lupos, gregi, sanguine DEI redemto, minime parcentes, & discipulos post se abducentes. Eos ad extremum commendat DEO & Evangelio, & denuo ad sui imitationem revocat in labore indefesso & ἀυταρκείᾳ, finitque supplicatione, non sine omnium dolore & amore maximo; unde & deosculati & comitati eum sunt ad navem. Actor. XX. 3. 38. *Paulus variis in locis fratres confirmat, & inpr. Epheſ. presbyteros monet.*

XIX.

Ab urbe Mileto Paulus *Coum* & *Rhodum*, indeque *Patara* pervenit cum sociis, & navem nactus in *Syriam* trajecit *Tyrumq́*, appulit, *Per alia loca tendens*

Act. XXI. & XXII. Hierosolymam venit, ibique refert ase auditque a fratribus acta.

appulit, ubi, repertis discipulis, septem mansit dies, qui divinitus afflati Apostolum monebant, ne Hierosolymam ascenderet, cum vincula eum ibi manerent. Sed is spreto periculo, dimissis & commendatis DEO fratribus, ut facere solebat, *Ptolemaidem*, & hinc *Cesaream*, devenit, ubi cum apud Philippum, Evangelistam ex Diacono factum, cui quatuor filiæ vates erant, divertit, & complures dies commoratur, *Agabus* vates ex Judæa adhibitis externis gestibus vincula Paulo prædicit. Quibus visis auditisque, tum præsentes pio affectu dissuadent profectionem versus Hierosolymam, ignorantes eam esse DEI voluntatem, quam cum ex Apostolo perceperunt, in ea acquieverunt. Sic dimissus in pace Hierosolymam sub *festum Pentecostes* venit, a fratribus libenter exceptus, &, apud Jacobum congregatis senioribus omnibus, renunciavit singulatim, quæ fecisset DEUS suo ministerio apud exteras nationes: ac illi vicissim multa Judæorum millia ad Christum conversorum ei monstrarunt, DEumque collaudarunt. Act. XXI. 1. - 21.

XX.

In templo mota seditione ereptus a præfecto.

Cum autem famâ increbuisset, Paulum defectionem a Mose docuisse, & circumcisionis necessitatem negasse, hacque re popularium cumprimis, & infirmorum quoque Christianorum, odium sibi conflasset, suaserunt amici Apostolo, ut iis se associaret, qui *Nasiræatus* voto obstricti sanctificandi essent, in templo, atque eo palam faceret, se non adeo a ritibus Mosaicis abhorrere, ut passim ferebatur. Huic consilio ubi obtemperat Paulus, ut omnibus omnia fieret, & plures conciones non fine fructu, ceu sperabat, ad Judæos faceret, *Asiatici* quidam *Judæi* illum conspicati turbam concitarunt omnem, manibusq; injectis eum ceperunt, extra fanum traxerunt & verberibus misere pulsarunt. Tanto tumultu Tribunus excitatus, ascitis militibus in furentes decurrit, & Paulum ereptum in castra sive

Arcem

Arcem Antoniam deduci jubet, eidemque dicendi seque defendendi veniam petenti, concedit, Actor. XXI. *Actor. XXII. & XXIII.*

XXI.

Orsus igitur altius exposuit originem institutionemque Judaicam, zelum pro patria lege, odium erga sectam Christianam & furorem contra eam, quo commotus undique illam profitentes persecutus sit: & quomodo miraculose cœlitus admonitus a Christo ad *Ananiam*, pium laudatumque Damascenis virum, remissus, ab eo de voluntate Domini instructus & initiatus per baptismum ordinatusque ad prædicandum Evangelium inter gentes, ac novo viso confirmatus a Domino fuerit, Cap. XXII. 1.--22. Subjicere quoque haud dubie voluit adhortationem gravem ad cognoscendum JESUM Nazarenum; sed furiosi homines interruperunt sermonem clamoribus iisque tantum effecerunt, ut tribunus Paulum in partem interiorem Antoniæ deducere & flagris eum cædere jusserit, quo ex ipsius confessione cognosceret, qua re tam graviter populares offendisset; at posteaquam intellexit Apostolum *civem Romanum* esse, eum honestius tractavit, vinculis liberavit, & cum audivisset, controversiam de religione esse, Synedrii sententiam exploraturus, ei Paulum stitit, ℣. 22.--30. *Apologiam instituit, quæ interrupta fuit.*

XXII.

Vix autē orsus Apostolus dicere in Synedrio, quod bona conscientia versatus in munere sibi concredito fuerit, a Pontifice M. jubetur in os cædi, cui pœnas divinas spiritu Prophetico denunciat, &, cum videret, nihil inter eos legitime agi, prudentia serpentina eludit sanguinarios calumniatores, eosq; inter se committit, vere affirmans, se Pharisæum esse, & de spe ac resurrectione mortuorum, quam Sadducæi negebant, accusari. Ita confusi sunt impii, Paulumque absolvunt Pharisæi, & recte pro- *In Synedrio cæsus, atque Pharisæis absolutus & Cæsaream ad Felicem missus fuit.*

Act. XIV. pronunciant, non esse DEO repugnandum, ac tribunus eum rapi de medio sævientium deducique in castrum jussit. Sequenti nocte Dominus JESUS ei adstitit, & confirmavit illum, approbavitque ipsius de se testificationem antea factam, & futurum prædixit, ut *Romæ* quoque de se testificaretur. Orta die, mirabili providentia DEI, conjuratione nefariorum hominum in necem Pauli detecta, tribunus eum valida militum manu stipatum, cum literis ad *Felicem*, Præsidem, Cæsaream deducendum curavit, ubi a Præside humaniter habitus fuit. Cap. XXIII.

XXIII.

Ubi se defendit contra Jud. accusationes, & relictus est Festo.

Postquam Judæi resciverunt, Paulum a Tribuno ad Felicem missum esse, Pontifex M. cum Senatoribus Cæsaream profecti, Paulum per impium oratorem, tanquam pestilentem, seditiosum, apostatam, templi profanatorem, & principem sectæ Nazærorum, accusarunt; sed Paulus objecta crimina diluit & ostendit, ea adversarios probare non posse; religionem autem Christianam aperte confitetur, & cum lege ac prophetis ipsorumque propria doctrina convenire, adeoque nil novi afferre se, & in eo vitæ genere, quod suspectum adversariis esset, ita versatum demonstrat, ut intemerata conscientia & apud DEUM & apud homines præditus sit. Hinc rem gestam vere narrat, & ex principalium actorum absentia desperatam eorum causam suamque innocentiam declarat. Felix id intelligens facile absolvere Apostolum potuisset, quum nosset accuratius quam accusatores retulerunt, ex invidia & zelo iniquo doctrinam Christianam proscindi, sed sub prætextu causam plenius cognoscendi, distulit judicium in adventum *Lysiæ*; interea tamen vincula laxavit, libertatemque omnibus, qui adire Paulum vellent, concessit. Qua occasione, DEO ita dirigente, Evangelium annunciari plurimis potuit & prædicatum est haud dubie. Post aliquot dies etiam Felix cum uxore accersitum

situm Apostolum audivit de fide in Christum, qui legis concionem, homini securo & pravo necessariam, adjunxit; sed parum profecit, nec pecuniam, quam Præses sperabat, eoque sæpius cum ipso confabulabatur, dabat, sed DEI consilium exspectabat, cui visum fuit, ex tam celebri opportunoque loco civitatis, portus & aulæ, Evangelium late promovere. Cap. XXIV. *Act. XV. & XVI.*

XXIV.

Reliquit ergo *Felix* Paulum vinctum successori *Festo*, quem Judæi doctis dolis & largis donis in suas partes trahere studebant, ac, cum Hierosolymam is ascendisset, provinciæ possessionē occupaturus & negotia publica ibi constituturus, eo adduci Apostolum postulabant, in animo habentes, innocentem in via trucidare. At DEUS, pro suis vigilans, impiorum machinationes evertit, & ita novi Præsidis animum flexit, ut accusatores Cæsaream ablegaret. Quo cum rediisset, & pro tribunali sedisset, Judæi multa & atrocia crimina Paulo impegerunt, quæ tamen demonstrare haud potuerunt, illo se satis, nec in Judæorum legem, nec in templum, nec in Cæsarem quicquam peccasse, defendente. Volens tamen Festus Judæis gratificari, quæsivit ex Paulo, an Hierosolymam proficisci ibidemque causam dicere de talibus cuperet; verum ille renuit, & Cæsarem appellavit. Hæc cum Agrippæ Regi, post aliquot dies Cæsarea se salutanti, renunciasset, ille etiam incensus cupiditate Paulum audiendi, eum adduci jubet, & adducto liberam indulget potestatem, se defendendi. Cap. XXV. *Coram Festo & Agrippa R. objecta diluit rursus, & ad Cæsarem provocat.*

Tum Apostolus, post captatam modeste benevolentiam, & dato manu signo, coram Rege, Regina, tribunis & excellentibus in civitate viris, seipsum defendens, orsus est a vita innocenter acta a puero, cujus testes habeat ipsosmet adversarios; tum zelum exponit singularem, quo erga religionem Judaicam affectus, Christianos acerrime persecutus, sed a JESU mirabiliter

Act. XVI. & XVII. liter conversus destinatusque ad convertendas gentes fuerit, & quomodo DEI mandato obtemperans periculum vitæ incurrerit, præsidio tamen divino fretus steterit, infimos juxta ac summos commonefecerit, neque quicquam extra ea dixerit, quæ cum cæteri vates tum Moses futura ante denunciaverint, nempe quod passurus, primus resurrecturus, lucemque Evangelicam Judæis & gentibus nunciaturus sit Messias. Hisce permotus Festus, Paulum insanire dixit ex nimio literarum studio; at ille hoc & negare & contrarium probare ex assensu Regis, veritate Scripturæ reique gestæ, & Regem compellare, & optare, ut is aliique omnes se audientes, sibi similes reddantur, exceptis vinculis. Sed agnitam utcunque veritatem contemnunt superbi homines eoque surgunt atque secedunt, interim fatentur, Paulum nil peccasse, & ejus doctrinam non esse impiam, eundemque absolvi potuisse, nisi ad Cæsarem provocasset. Quod in magnam gloriam Evangelii & illius propagationem cessit. Cap. XXVI.

XXV.

Romam missus in itinere Evangelium prædicavit & miracula fecit.

Decreta igitur navigatione in Italiam, media fere hyeme, Paulus Centurioni Romano traditus ab eo perhumaniter tractatur, hacque occasione captivus multos cepit & servavit; primo in *Sidone* amicos visitavit & informavit, per quos ad alios etiam doctrina Evangel. perlata est. Deinde, cum periculosa & tarda navigatio esset, nec tamen hortante Paulo ab ea desisterent, coorto vento typhonico navis vehementer jactata & naufragium minata est. Tum trepidantes Apostolus erexit confirmavitque divina promissione per visionem accepta, omnes salvos evasuros, licet navis pereat. Respondit promisso eventus, indeque innotuit, Christum esse cœli, terræ marisque Dominum omnipotentem & Servatorem optimum maximum, qui etiam propter pios impiis parcat, hosque ad animarum salutem

tem invitet. Miraculosæ hujus liberationis testes & præcones fuere 276. Cap. XXVII. *Actor. XVIII.*

Delati in insulam *Melitem*, inter Africam & Siciliam sitam, Phœnicum quondam coloniam, nunc equitum *Rhodionum* sedem, humaniter a barbaris excipiebantur, & Paulus, suppeditata occasione divinitus, Evangelium ibi per tres menses disseminavit. Nam 1. viperam e sarmentis collectis incensisque prorepentem ac insilientem dum excussit sine noxa, tantam admirationem & venerationem sui incussit barbaris, ut eum pro DEO haberent, & hoc veluti signo tuba data omnes ad audiendam cœlestem veritatem convocarentur. 2. Præfecti a Romanis Insulæ Publii, qui per triduum benigne omnes tractaverat hospitio, Patrem, febribus & dysenteria vexatum, & mox quosvis ægrotos ex insula allatos, sanavit, sicque Christi nomen ibi propagavit. Similiter 3. cum e Melite recta via *Syracusas, Rhegium & Puteolos* profecti essent, Paulus ubique semina sparsit Evangelii, ac repertis ultimo in loco fratribus, per septem dies ibi, concedente centurione, commoratus, eos confirmavit. 4. Romam priusquam veniret, fratres quidam ei in occursum prodierunt usque ad *Appium forum*, comitaturi legatum DEI in urbem principem. Actor. XXVIII. 1. - 16.

XXVI.

Roma Judæis intrepide JESVM prædicat, vario eventu.

Apostolus ubi Romam venit, divina gubernatione & ope nixus, intrepide ibi Evangelium prædicavit, idque libere facere potuit, quia permissum ei fuit habitare seorsim, uno tantum milite eum custodiente; DEO ita dirigente, ut & Gentilibus & Judæis Evangelii thesauros exponere eosque Christo lucrifacere posset. Quorum utrumque sedulo curavit. Primo quidem Judæorum primos convocavit, eisque exposuit, quod causa spei Israëlitarum vinctus traditus Romanis a contribulibus, ad Cæsarem appellare coactus fuerit, non accusandi populares

Actor. XXIX. suos gratia, sed tuendi sui. Ad quæ cum responderent, nihil sibi de eo nunciatum esse, & peterent ex ipso percipere, quæ doceat & sentiat, cum constet, Christianismo, tanquam sectæ cuidam damnatæ, ubique contradici, & hoc nomine diem illi constituerent, Paulus prolixa oratione frequenter confluentibus, e Mose & Vatibus exponebat rationem regni DEI per JESVM *Nazarenum*, verum *Messiam*, instaurandi. Quæ nonnulli quidem fidelibus mentibus exceperunt, alii autem non crediderunt, & ita inter se discordes, e concione recesserunt, unde iis abiturientibus hoc jam olim divinitus prædictum esse à Spiritu S. per Esaiam declaravit, fore, ut excœcati induratique Judæi non crederent, ac propterea salus per JESUM Gentilibus annuncietur, qui tantam gratiam avide accepturi sint. Unde deinceps Apostolus totum biennium non otiose Romæ exegit, sed liberrime docens, omnes ex urbe & orbe se adeuntes excepit, & de regno DEI Dominoque JESU CHRISTO, per quem adire cœleste regnum queant, eos instruxit, familiares quoque Cæsaris sibi conciliavit Christoque lucrifecit, Phil. I. 13. IV. 2. Plantavit igitur Ecclesiam Romanam, & ad exteras etiam gentes ex tam illustri loco Evangelium propagavit, sine ullo impedimento; partim inde missis discipulis, partim scriptis epistolis. Vid. 2. Tim. IV. 10.

XXVII.

1. *Româ Epistolam ad Galatas scribit.*

Primam scripsisse Epistolam videtur ad *Galatas*, incolas Natoliæ ad Pontum Euxinum, inter Cappadociam, Pamphyliam & Bithyniam, qui e Gallia s. Britannia, (*Gallos* enim huic insulæ nomen ab se dedisse, & olim dictos fuisse, eruditi observarunt) in Græciam penetrarunt, terram occuparunt, quæ Gallo-Græciæ nomen obtinuit. Hos ad Christum traduxit Apostolus, quando semel iterumque Phrygiam & Galatiam peragravit, Act. XVI. 6. XVIII. 23. & ab iis benevole exceptus summo

ſummo in honore fuit, Gal. IV. 13. 14. Pſeudo-Apoſtoli vero eos ſeduxerunt, & a ſimplicitate, veritate & libertate Evangelica ad opera ceremoniasque legis revocare ſtuduerunt, multosque faſcinarunt. Gal. I. 6. III. 1. ff. Cap. IV. V. Quod ubi reſcivit Apoſtolus, ſcripta ad eos miſſaque per *Creſcentem* Epiſtola, (2. Tim. IV. 10.) graviter mobiles cito homines redarguit, erroneas opiniones refutavit, & efficaciſſimis argumentis cœleſtem doctrinam adſtruxit. *Galat. 1.*

CAP. I. afferit autoritatem muneris ſui Apoſtolici & vocationis divinitatem, propter quam recipi & retineri debebat a Galatis Evangelium de Chriſto Redemtore noſtraque per ipſum juſtificatione & libertate obtenta & ſervanda, ab ſe prædicatum; ideoq; *miratur* ac tacite ſimul objurgat Galatas, *quod tam cito* turbari *traducique ſe paſſi fuerunt* a Pſeudo-apoſtolis *in aliud Evangelium*, cum tamen aliud non ſit, nec quidquam ei addi detrahive queat, vel ab angelo, nedum ab homine, quicunque tandem ille ſit, niſi *anathema* fieri velit: nec ipſe in hominum gratiam quicquam protulerit, aut Evangelium ab hominibus acceperit, ſed *per revelationem JESV CHRISTI* immediatam & vocationem ad prædicandum illud inter gentes, idque mox fecerit, priusquam cum ullo homine de eo contulerit, per triennium in Arabia atque alibi, & poſthæc Hieroſolymam profectus ſit, non diſcendi ſed viſendi Apoſtolos & fideles cauſa, indeque brevi reverſus in Syriæ, Ciliciæque tractibus & aliis regionibus cœleſtem doctrinam diſſeminaverit, non ſine ſtupore & admiratione Eccleſiarum Chriſtianarum Judææ quæ DEI gratiam in eo & agnoverint & concelebraverint, ſicque palam profeſſi ſint, ſe eandem fidem prædicare, quam reliqui Apoſtoli tradiderunt. *Summæ Epiſt. Cap. I.*

CAP. II. Probat ulterius, ſe poſt XIV. annos, cum divinitus monitus Hieroſolymam rediiſſet, ibi fidelibus ac inprimis *Apoſtolis*, qui præ aliis eminebant, expoſuiſſe Evangelium *Cap. II.*

ab

Galat. II. ab se inter gentes prædicatum, & cum iis tanquam cum æqualibus *contuliſſe*, eosque nil deſiderare aut addere potuiſſe, nec *Titum* circumcidi coactum, licet irreptitii nonnulli fratres id vehementer urgerent, ſed firmam ſtetiſſe veritatem & libertatem Evangelicam, ſolidis rationibus aſſertam. Unde ſummi quoque viri, collatam gratiam Apoſtolicam inter gentes æque efficacem, ac eã, quæ data *Petro* inter Judæos fuerat, in ſe agnoſcentes, *dextras ſocietatis* fraternæ ſibi dederint, ac ſacra pactione conſtituerint, ut hactenus, ita deinceps pari jure independentes ſuo quiq; munere Apoſtolico fungerentur, monuerintq; tantum pauperum fidelium in Judæa curam habendam, quod quidem jam antea ſtudioſiſſime ipſe feciſſet, adeoque iſta admonitione haud fuiſſe opus, appareat. ℣. 1. -- 11. Poſthæc refert, quomodo *Antiochiæ Petro in os* publice *reſtiterit*, propterea quod credentibus e gentibus primum ſe aſſociaſſet, deinde tamen, ex inani quorundam Judæorum metu, ſe ab iis ſeparaſſet, & alios ſuo exemplo in hypocriſin abduxiſſet, ut *non recto pede incederent*, ad veritatem puritatemque Evangelii retinendam, ceu par erat, demonſtrando, quod ſatis ex Scriptura conſtet, Judæos Gentilibus meliores haud eſſe coram DEO, quum ex operibus legis nulla caro juſtificetur, ſed *tantum* (ita reddi debere *Eſtium* quoque Comment. h. l. fatetur) *fide in Chriſtum JEſum*, ideoque recte omnino ſtatuiſſe Apoſtolos, per gratiam Domini noſtri J. C. fide apprehenſam ſalutem tantum impetrari, & ſic ipſosmet credidiſſe. Nequaquam igitur gentiles jugo legis ἀβαςάκτῳ ſubjiciendos eſſe, a quo per Chriſtum ſint liberati, ut non amplius inveniantur peccatores, qui in eo quærunt juſtificari, niſi quis impie abſurdeque auctorem gratiæ & libertatis Evangelicæ peccati miniſtrum facere velit, qualis Moſes cum ſuo miniſterio fuerit. Nullo autem modo vel ſe, vel alium quemvis Apoſtolum verum, legem, quam tanquam inutilem ad juſtificationem deſtruxerit, rurſus ædificare, docen-

docendo ejus obſervationem neceſſariam ad ſalutem, niſi turpi *Galat. III.*
ter doctrinæ Evangelicæ transgreſſorem prodere ſe velit. De ſeipſo tandem teſtatur, quod per legem peccatum damnationemque agnoverit, ac velut pædagogum ad Chriſtum adductus ſit, eique & valedixerit, & Chriſto ſe unice addixerit, ut fide *vivat*, Servatorique ſuo ſerviat in ſanctitate & juſtitia per omnes vitæ dies, cum *crucifixus* ei vitæque ſpiritualis per eundem particeps ita factus ſit, ut *non tam ipſe, quam Chriſtus in ipſo* vivat, viresque ſufficiat, bona faciendi, & fidem demonſtrandi. Quæ omnia accepta fert ineffabili Salvatoris amori & merito, ac tantam DEI gratiam firmiſſime ſe retinere profitetur, quicquid Pſeudo-Apoſtoli ogganniant, qui hoc ipſo, dum ſimul legis obſervationem ad juſtitiam & ſalutem obtinendam requirant, ſalutarem DEI gratiam ſuo loco dimoveant, & Chriſtum fruſtra mortuum eſſe affirment, morteque theſauros gratiæ omnes promeruiſſe, negent. ℣. 11.-- 21.

CAP. III. Poſt expoſitam ita confirmatamque veritatem & libertatem Evangelicam Apoſtolus *Galatas* graviter redarguit, eosq; *mente captos* & dimotos vocat, quod ab illa deſciverint, ac *faſcinari* ſe tantopere ſiverint a Doctoribus nonnullis falſis, ut veræ doctrinæ de Chriſto, perſpicue ſatis antea ab ſe traditæ, ab illis in animum admiſſæ, & a Spiritu S. per prædicationem Evangelii fide accepti confirmatæ, non paruerint, ſicq; ſtolide quærant conſummare in carne ſ. operibus legis, quæ ſpiritu inceperint, & fruſtra non tantum plurima paſſi ſint pro veritate, ſed etiam ſe ipſos privent bonis atque donis largiſſime & magnifice a DEO ſuppeditatis, ex auditu fidei, quod ipſimet, ſi pro conſcientia dicere velint, negare nequeant, &, cum ex *Abrahami* exemplo, tum promiſſionibus gratiæ, paſſim in Scriptura obviis, colligatur liquido; illum enim juſtificatum fide eſſe, & omnes non ſolum Judæos verum etiam gentes eandem gratiam benedictionemque conſequi poſſe cum Patre credentium, *Cap. III.*

Galat. III. tium, per fidem, ex lege autem maledictionem omnes & mortem manere, cum nemo eam faciat præstetque, per omnia, vi effati divini Devt. XXVII. 26. *Christum* itaq; exsecrationem diram pro nobis subiisse, eamque sustulisse, ut ad omnes gentes perveniret benedictio Abrahamo promissa, nimirum, ut Spiritum S. cum donis amplissimis per fidem acciperent. ℣. 1.--15. Hanc DEI *promissionem* fœderalem *validam* perpetuamque esse, nec per legem, post 430. annos datam, abolitam demonstrat, e natura *testamenti*, quod per solennia & mortem testatoris ratum factum, invariatum atque inviolabile etiam inter homines sit, multo magis apud DEUM immutabilem, (Mal. III. 6.) cum respexerit in Christum, Sponsorem & Mediatorem, in quo omnes promissiones τὸ ναὶ καὶ τὸ ἀμὴν (2. Cor. I. 20. 21.) *Nec conjungi legem* debere vel posse cum *promissionibus* gratuitis, quæ inter se pugnent: *nec* tamen propterea legem *inutilem esse*, licet per eam hæ editas vitæ æternæ obtineri nequeant; *sed adjectam transgressionem gratia*, ut eas manifestaret & damnaret, *donec* illud *semen benedictum veniret*, in cor fide receptum, & præstituto tempore etiam in carnem, cui, & de quo data promissio, ut benedictio in omnes gentes ventura sit, quique propterea in ipsa etiam legis promulgatione solenni *inter angelorum ordines* dispositos *Mediator* intervenerit, ac ostenderit, pereundum esse legis fulmine atroci, ni medium se inter DEUM & transgressores poneret. Interea legem additam non adversari promissionibus, sed eisdem potius inservire, cum Scriptura eum in finem *conclusos* simul omnes homines, cum omnibus eorum operibus, sub peccatum pronunciet, ut de liberatione e carcere obscuro spiritualium terrorum prospiciant & promissionem fide arripiant. *Ad fidem* enim revelandam interrius, seu, quemadmodum *Lutherus* in Comm. h. l. T. III. Jen. Lat. loquitur, *in hoc, ut fide futura liberaremur*, eramus conclusi, *quin lex suo carcere id fecit, ut per fidem optaremus libertatem.*

tatem. *Et illud*, priusquam veniret fides, *non tantum de fide, quæ post Christum revelata est, sed de omni fide omnium justorum intelligitur. Nam & Patribus olim eadem fides venit, quin & lex DEI eis primo revelata coëgit, eos gratiam DEI quærere*, sicut & mox *pædagogus noster in* vel *ad Christum* fuisse & esse dicitur lex, *ut ex fide justificemur*. Conf. *Calov.* Bibl. Illustr. h. l. Hinc concludit Paulus ad Galatas, eos *omnes filios DEI* esse *per fidem in C. J.* cum in Baptismo *Christum induerint*, in Christo omnes unum, Christi, Abrahæ semen, & secundum promissionem hæredes sint. ℣. 15. - 29. Gal. IV.

CAP. IV. Expedita satis tractatione de lege morali, ejusque vero usu & fine exposito, Paulus ad legem ceremonialem progreditur, quam Pseudo-Apostoli itidem ad salutem necessariam faciebant. Eos ut retundat, & Galatas *de libertate* sub Christo solide informet, *discrimen status ante Christum & post illum* exhibitum *similitudine* illustrat, petita a *pupillo*, qui *sub tutoribus* & curatoribus testamentariis sit, *usque ad præstitutum* a Patre *tempus*, & nil a servo differat, hæres licet omnium facultatum, de jure, s. spe & exspectatione. Sic quoque per communicationis figuram populum Judaicum in V. T. minorennem respectu Novi Test. servili conditione fuisse ait, *sub elementis mundi*, sive externis ritibus & umbris, ac rudimentis primis, quibus subjiciebatur & exercebatur. Ab hoc autem jugo liberasse nos DEUM, *præfinito tempore Filium suum* mittendo, ac in assumta carne *legi* universæ *subjiciendo*, ei per se non obnoxium, ut homines, quibus omnibus lex incumbebat, (Rom. III. 19.) & sub qua conclusi erant, sanguine suo redimeret a maledictione & coactione legis moralis, & jugo ceremoniarum Leviticarum, omnemque justitiam impleret, &, qui credimus, adoptionem acciperemus libere utendam fruendam, tanquam emancipati, & plene filiorum jure gaudentes. In cujus rei certitudinem *DEUS Spiritum Filii sui in corda nostra* Cap. IV.

Gal. IV. *immiserit*, qui de tanta gratia testetur, & fiduciam excitet, filiam Patrem adeundi hæreditatemque petendi, ℣. 1. -- 8. conf. Rom. VIII. 15. seqq. Ne vero exciperent *Galatæ*, hæc nihil ad se spectare, cum tanquam Gentiles nunquam sub lege fuerint, nunc ostendit, quod *servituti longe duriori* & turpiori succubuerint, quando verum DEUM ignoraverint, & *iis, qui natura Dii non sunt*, sed stulta duntaxat mortalium opinione & institutione, *divinos honores exhibuerint*, quam Judæi, & tamen a crassa ista ignorantia DEO ad salutarem cognitionem per Evangelii prædicationem adducti, & a damnabili cultu idolorum liberati in filiorum numerum cooptati sint. Tanto magis autem *mirari* se, commode hinc infert Apostolus, *quod* Galatæ denuo *convertant se* ad servitutem novam, priore non meliorem, dum ad *infirma elementa* ceremoniarum Judaicarum antiquatarum, dilapsi, *dierum certorum*, *noviluniorum*, aliorumque festorum observationem necessariam ad salutem putent. ℣. 8. -- 11. Unde metuere se de illis dicit, ne frustra tantopere in iis laboraverit, eosque rogat paterno affectu, ut ita animati erga se sint, sicut ipse in eos, ac, si durius eos objurgaverit, id amori tribuant ardenti, quo ita eos complectatur, ac si in illos esset transmutatus, illorumque salutis tam sit cupidus, quam suæ. Neque enim se illos propterea increpasse, quasi injuriam sibi intulissent; quin potius deprædicat, quod se, hominem adeo infirmum, contemtum & afflictum, cum prædicatione Evangelii benevole susceperint, ceu *Angelum DEI*, imo ceu *Christum* ipsum, tantoque amore prosecuti fuerint, ut, si res postulasset, vel oculos eruissent vitamque pro se profudissent. Quod igitur nunc pro veritate pugnet, quam ipsi deseruerint, non ex inimico animo proficisci, sed ex amore paterno, ac culpam se transferre in Pseudo-Apostolos, quos perstringit, qui ex zelo quodam, quem præ se ferant, erga Galatas, eos abstrahere studeant a veris Apostolis, & excludere a veritate Evangelii, ut

cum

cum dispendio salutis tantos Mosaicæ legis zelotas æmulentur, *Gal. IV.* quod ipse non improbaret, si in bonis zelus demonstraretur semper, sed laudaret, si constantes in eo fuissent Galatæ, etiam se absente. Quod cum factum ab iis haud sit, se pro materno in eos affectu, non sine labore & dolore denuo eos parturire, donec *Christus in eis reformetur* (simplex *formetur* pro composito) ejus imago restauretur, & pristinam formam recipiat, & retineat, ita ut in solo Christo glorientur & acquiescant, stabilesque sint & firmi (Eph. IV. 13. 14.) in gratia Christi, (Gal. I. 6,) Quamobrem optat se præsentem esse, ut vel asperius vel lenius loqui, mutareque adeo sibi vocem liceat, prout eos affectos deprehenderet; cum dubius & solicitus sit, quo sermonis genere uti ad eos debeat. ℣. 11.--21. Hinc Pseudo-Apostolos, eorumque asseclas, qui decepti ab illis esse sub lege cupiebant, nescientes quam ea jugum ἀβάστακτον, & quis ejus verus usus finisque sit, refellere modeste aggreditur, ac ostendit illos confundere & miscere duo DEI testamenta distincta, servitutis unum, & libertatis alterum, quæ in historia Hagaris & Saræ duorumque ex illis natorum Abrahamo filiorum figurentur, & post expositos typos colligit, *nos* fideles in N. T. cumprimis esse *liberæ* sive *Hierosolymæ* cœlestis *filios*, secundum Isaaci exemplum *promissionis*, qui promissionem Evangelicam fide vera amplectantur, & ita gratis propter Christum, sine operibus, justificentur, ℣. 21.-29. Cumque excipi posset, quænam ista libertas Ecclesiæ Christianæ veræ sit, quam Pseudo-Apostoli persequantur, docet similem esse fidelium sortem nunc, ut olim, in familia Abrahami inter duos ejus filios, ubi Ismael Isaacum afflixerit, irridendo illius fidem, promissiones & pietatem; sed tandem legales & serviles ejectum excluſumque iri hæreditate cœlesti. Ex hactenus disputatis ad extremum colligit, se, & Galatas, qui vere Christiani sint & esse velint, de jure non esse ancillæ liberos, legali servituti & ritibus Judaicis obnoxios, sed filios *liberæ*,

Gal. V. *bera*, liberatos per Christum a servitute legis & justificatos fide, sine operibus, 29. 30. 31.

Cap. V. CAP. V. Cum igitur tantum bonum sit Christiana libertas, Paulus serio admonet Galatas, ut *ea stent*, ac nitantur, quasi fulcro, & utantur intrepide, cum vera, solida & plena sit, *qua Christus nos liberos fecit*, Joh. VIII. 32. *nec se implicari iterum servitutis jugo patiantur*, ℣. 1. quod & Christo, & liberatione & libertate indignum foret, imo maxime noxium; idque sub juramenti fide & autoritate Apostolica testatur (*ecce, ego Paulus dico vobis*) & quidem ter idem majoris emphaseos gratia diversis verbis repetit, ampliusque exponit, *illis, qui circumcidantur*, ex opinione cultus, & justitiæ obtinendæ gratia, *Christum nihil prodesse* suo merito & gratia, quæ cum lege consistere nequeat, Rom. XI. 6. sed debitores illos esse, *universam legem*, non tantum unum alterumque præceptum, vel opus, *faciendi*, quorum tamen nullum præstent, nec præstare possint, Act. VII. 53. XV. 10. Gal. VI. 13. a Christo evacuatos, separatos & apostatas factos, *gratia* omni *excidisse*, atque adeo sub maledictione legis succumbere. ℣. 2. -- 5. Huic pernitioso Syncretismo Paulus opponit professionem fidei catholicam, ac simul confirmat antea dicta, cur exsortes Christi & gratiæ sint, qui justificari lege conentur. *Nos enim*, inquit, *spiritu*, qui datus nobis & per prædicationem Evangelii, Gal. III. 2. 3. *ex fide* in Christum *spem justitiæ*, sive omnia bona, quæ in & ex justitia est, certo *exspectamus*, Rom. VIII. 16. 24. Col. I. 5. Quod hinc probat; quoniam *in CHRISTO JESV*, in & cum quo omnia donata nobis, Rom. VIII. 32. 2. Pet. I. 2. 3. *neque circumcisio neque præputium quidquam valet*, nec Judæus prærogativam coram DEO habet propter circumcisionem, aut alia opera, quomodocunque bona & præstantia, nec Gentilis incircumcisus indignior habetur, si modo crediderit Christumq; induerit, *sed* sola *fides* in J. C. Gal. II. 16. III. 8. seqq. *per charitatem* erga

DEUM

DEUM & proximum *operans*, & prodens se vivam & veram esse, per opera, Jac. II. Admonitionem hactenus confirmatam satis, adplicat nunc Apostolus Galatis, ℣. 7 8 9. eosque *objurgat* ob inconstantiam, *quod desierint bene currere* viam salutis, in fide & spiritu, Gal. III. 2. 3. & hoc malum exaggerat, tacite tamen simul in seductores culpam transfert, qui eos in pulchro cursu inhibuerint, ut *veritati* Evangelicæ *non obtemperaverint*, sed relapsi sint ad egena elementa. Quam persuasionem non a DEO, ex gratia & ad gratiam vocante, sed a Satana ejusque instrumentis esse declarat; ac, ne videri posset, nimis exaggerare levem errorem, ceu putabant, ostendit eum maxime noxium esse, & *totam* purioris Religionis *massam corrumpere*, instar fermenti. Confidit tamen Galatas, cernentes periculum, in quo versentur, redituros ad saniorem mentem, idemq; secum rursus sensuros; turbonibus tamen & seductoribus eorum quibusvis gravia judicia denunciat, ℣. 10. & objectioni occurrit, quasi ipse Paulus necessitatem circumcisionis docuisset, Timotheum circumcidendo, Actor. XVI. Non negat, se *Timotheum* circumcidisse, negat autem se circumcisionem tanquam necessariam ad salutem cum lege prædicasse; quin potius, quod hoc ipsum non faciat, & salutem per JESUM crucifixum unice obtineri prædicet, a Judæis multa ubique se pati, & scandalo illis esse: utrumque mox cessaturum, si ipse a verbo crucis aliquid remitteret. Hinc ex sancto zelo optat abscissos per excommunicationem, qui Galatas turbant, si resipiscere nesciant, quia ad libertatem vocati sint, quam restringere aut tollere nemini liceat, ℣. 11. 12. 13. Hunc in modum vindicata libertate Novi Testamenti, Apostolus 1. abusum libertatis præcavet, & 2. verum ejus usum docet, ac ita occupat objectionem Pseudo-Apostolorum, quasi ex libertate Evangelica dissoluti mores sequantur. 3. Abusum omnem tollit universe, ac ostendit, quomodo committatur, si nempe carni ejusque operibus,

Gal. V.

Galat. V. bus, quorum prolixum catalogum texit, ℣. 19. 20. 21. indulgere quis velit. 4. Usum verum inculcat in servitute duplici, charitatis & spiritus. Illam confirmat α. a præstantia, quia dilectio mutua sit legis impletio: β. a contrarii facti incommodo, consumtione & perditione temporali ac æterna. ℣. 13. 14. 15. Hanc, velut remedium refrenandi licentiam carnalem serio inculcat, & victoriam promittit, plenamque libertatem a legis maledictione, coactione & rigore. *Spiritu ambulate*, omnia instinctu ductuque Spiritus S. per interiorem sive novum hominem operantis, agite, *& non perficiatis concupiscentias carnis* peccaminosæ, licet pullulent, & opponant se hostiliter bono, victoriam enim penes Spiritum, & liberationem a jugo legis certam fore, ℣. 16. -- 19. Ut vero quisq; sciat, cui serviat, carni vel spiritui, utriusque opera & fructus recenset; illius 1. ab adjuncto, 2. a veritate, 3. ab eventu infelici, ℣. 19. -- 22. hujus subjungit commoda & signa, veram libertatem, mortificationem carnis, 22. -- 25. Posse vero renatos talem vitam vivere, ex generali regula confirmat: *si spiritu vivimus, spiritu etiam ambulemus*: & hinc novam texit adhortationem ad fugienda certa vitia, tum inter Galatas grassantia, quæ spiritualem vitam & ingressum sufflaminant, & facienda peculiaria officia, quæ signare libertas flagitat: inter illa ponit 1. κενοδοξίαν, ad quam diabolus & caro tentare & incitare solet eos, qui libertate & tot bonis N. T. gaudent, ut alios provocent & pungant, si subjicere se nolint, aut iis dona invideant. Unde sectæ, hæreses & alia mala oriuntur, ℣. 26. Eam vitabit, qui in solo DEO sibi gloriandum esse cogitabit, Jerem. IX. 23. s. Cum vero molimina κενοδοξίας palliari soleant sub hoc prætextu, corrigendos esse fratrum lapsus, Apostolus

Cap. VI. CAP. VI. vanum istum prætextum detegit, & adeo non vanæ gloriæ cupidos esse debere Galatas monet, ut etiam (καὶ) *si præoccupatus* aliquis *fuerit aliquo lapsu*, ab illa abstineant, ac potius

potius *talem* ſtudeant *reconcinnare* & reſtituere, tanquam luxa- *Galat. VI.*
tum membrum, in locum ſuum, quem in corpore myſtico, Ecclesia, habuit, *ſpiritu* ſive affectu *manſueto*. Hocque fieri vult a ſpiritualibus, ſive omnibus, qui ſpiritum Chriſti habent, firmiores ſunt, & adhuc ſtant. Rationes addit impellentes has: 1. quia lapſi ſint homines labiles, facile obnoxii lapſibus, æque ac nos: 2. quia membra unius corporis, 3. quia idem periculum nobis metuendum. Unde quilibet ſeipſum circumſpicere ac expendere debeat, ſe non minus labilem ac aliis moleſtum vel oneri eſſe poſſe, ℣. 1. Hinc *tolerantiam mutuã* præcipit, ℣. 2. ut alii aliorum onera, & quæ moleſta eſſe poſſunt, manſuete & patienter portet, ſi frater non ſit obſtinatus, & ſalvo ſemper ordine fidei, condonando, compatiendo, orando, modeſte corripiendo &c. ut ita adimpleant mutuo (ἀναπληρώσατε, vid. Chryſoſt. h. l.) legem Chriſti, ab eo toties inculcatam, exemplo commendatam atque repurgatam. Joh. XIII. 34. ſ. XV. 12. 1. Joh. II. 6. Matth. V. 43. Eam in rem ἀυθάδειαν damnat tanquam ſtultam & deceptricem, ℣. 3. & modeſtiam commendat atq; humilitatem, oriundam ex accurato examine operum propriorum, an probata DEO, quisque certus eſſe queat; ac tum demum *de ſe ipſo* ſolum, vel in ſemetipſum, tacite, in conſcientia & coram aliis (2. Cor. I. 12.) gloriam habiturum, & *non in alium*; quemlibet enim proprium ſuum onus, peccatum & inde promeritam pœnam, reportaturum, niſi probetur ejus opus, & teſtimonium conſcientiæ fideliter adminiſtrati officii pro ſe habuerit, ℣. 4. 5. Porro ad *beneficentiam* erga verbi miniſtros & alios quoscunq;, qui in verbo veritatis erudiunt, eos hortatur, qui inſtituuntur, & *omnia bona* tribui illis vult, ſincero, non fraudulento animo, cum DEUS tenacitatem & varios obtentus illuſionem ſui & Evangelii interpretetur; contra vero liberalitatem remuneretur. Quare hactenus & monita amplificat, & accommodat generale proverbium ad ſtudium beneficentiæ: *quicquid homo*

Galat. VI. *seminaverit, id quoque metet,* & ad alia etiam extendit, illustratque a contrariis, 6.7.8. & hortatur ad perseverantiam in bono, sine defatigatione, quoad adest *opportunitas*, & quidem *erga omnes*, etiam hostes, & infideles, figillatim autem *erga domesticos fidei*, ℣. 6. - 11. Ad extremum Paulus studium suum affectumque singularem & sincerum erga Galatas inde probat, quod propria manu tam prolixe ad ipsos scripserit, ℣. 11. & Pseudo-Apostolorum studium perversum indicat, quod præ se ferant externam quandam speciem, dum legis observationem ad salutem necessariam urgeant, cogantque Galatas circumcidi, pessimo fine & scopo, licet eum occultent, ne ob crucem Christi persecutionem sustinere cogantur; (quicunque enim circumcisus erat, licet Christum crederet, a Gentilibus quasi Judæus habebatur, quia Augustus & Tiberius Judæis proprio ritu vivere concesserunt) cum tamen ne ipsi quidem legem servent, sed vanam duntaxat gloriam affectent, quasi male a veris Apostolis institutos rectius informaverint, & ad legem simul reduxerint. Illis autem se opponit, & non tantum summam concionum suarum de cruce Christi repetit, verum etiam aperte denuo profitetur, se de nulla alia re scire, dicere aut gloriari velle, nisi in cruce Domini JESU CHRISTI, *per quem sibi* totus *mundus & ipse* vicissim *mundo crucifixus sit*, ut nihili mundum æstimet, cum omnia in CHRISTO habeat, per eum ereptus sit e præsenti seculo nequam, & liberatus a malis omnibus, in eo vivat, ac merito glorietur, Gal. I. 4. II. 19. seqq. & propter CHRISTUM omnes persecutiones libenter sustineat. Quod *in CHRISTO JESV nihil valeant* aut possint, sive Judæi cum toto suo Mose, lege, cultu, templo &c. sive Gentiles, cum omni sua sapientia, potentia, regnis & imperiis, sed solum *nova creatura*, in CHRISTO JESU, Ephes. II. 10. ubi in regeneratione fides producitur, per quam justitia, vita, salus, libertas &c. apprehenditur, & CHRISTO servitur in sanctitate & justitia,

justitia, (vid. Gal. V. 6.) prout status Novi Testamenti requirit, 2. Cor. V. 17. Hanc irreformabilem *regulam*, per totam Epistolam plene planeque pertractatam, & quæ summam continet omnium scripturarum sacrarum, sedulo omnibus commendat, ut *secundum* eam unice, quoad doctrinam & vitam, incedant, ac promittit precaturque id facientibus omnia salutaria & fausta, tanquam veris Israëlitis & filiis promissionis, Joh. I. 47. Rom. II. 28. s. IV. 16. s. IX. 6. ss. Secus autem credentibus & viventibus anathema exspectandum esse, colligendum relinquit, (conf. Gal. I. 8. 9.) Proinde monet Galatas, ut in hac solida repetitione doctrinæ Evangelicæ acquiescant, nullasque posthac molestias sibi facessant, sive ipsi, sive Pseudo-Apostoli, quum eas notas Christi circumferat in corde, in doctrina, conversatione, perpessionibus, toto suo corpore, ex quibus liquido agnosci possit, quod sit verus & fidelis JESU CHRISTI servus, 1. Cor. IV. 9. ss. XI. 23. 2. Cor. IV. 7. ss. XI. 23. seqq. Tandem votum sive benedictionem Apostolicam Fratribus impertit, eoque in memoriam simul iis revocat gratiam Domini nostri JESU CHRISTI, ex qua justitia, salus, libertas, & omnia spiritualia ac cœlestia bona fluunt. *Galat. VI.*

XXVIII.

II. *ad Philippenses Ejus summa & resolutio.*

Alteram Epistolam scripsit ad *Philippenses*, per *Epaphroditum*, qui Romam ad Apostolum cum subsidio missus, in gravem morbum ibi incidit, sed D. G. reconvalescens patriam repetere gestiit, cui præsentes literas ad Philippensem Ecclesiam dedit, suo & Timothei nomine scriptam, quibus non tantum fidelem Pastorem Epaphroditum Philippensibus commendavit, sed cumprimis quoque eos in tradita ab se doctrina sincera, quam per præcipua capita repetit & stabilitum it, confirmare, ad spem vivam, certamen fidei, omneque pietatis officium excitare, paterno affectu voluit.

Phil. I. Cap. I.

CAP. I. Primo testatur omnibus fidelibus summum amorem, quo eos prosequatur semper, ac eo nomine assidue in precibus suis eorum mentionem cum gaudio faciat, DEOque gratias agat, quod participes facti sint Evangelii bonorumque cœlestium per Evangelium oblatorum, & fide acceptorum, & certus fretusque DEI benignitate & virtute in perficiendo bono opere, quod in ipsis inchoavit, in vinculis suis ardentissime oret, ut eorum charitas erga DEUM & proximum magis magisque, instar fontis exuberantis, abundet in viva fidei cognitione & sensu gustuque interiore; quo probare valeant a bono discrepantia, & bona retinere, atque ita finceri in fide & innoxii in vita sint, & fructibus justitiæ uberrimis, Christi virtute patratis, ad DEI gloriam, id declarent. Deinde, cum nosset, obtrectatores objicere vincula, & parum in fide radicatos deterreri iis posse, instituta apologia quadam, docet illa ipsa magis in profectum Evangelii cessisse, & in toto prætorio Cæsareo, cum sisteretur & causam dicere juberetur, indeque reliquis omnibus, s. civibus, s. peregrinis Romæ versantibus, innotuisse, ac quosdam ad Christum ductos, plerosq; etiam fratres suo exemplo animosiores factos, cœpisse tanto fidentius Christum prædicare, hincque etiam alios excitatos idem ausos esse facere, diverso licet studio, nonnullos quidem per invidiam & contentionem, putantes se afflictionem addituros vincto, si cum numero Christianorum odium Neronis crescceret, alios a. propensa sinceraq; in Christum voluntate & charitate, sicq; supplere impedimentum vinculis injectum sua prædicatione. Habere igitur se, de quo & hic nunc gaudeat, quia Christus annuncietur pluribus, & Evangelium sinceriore animo recipi possit ab auditoribus, quam prædicetur a Doctoribus quibusdam, & gaudere in futurum possit, cum certo sciat speretque, ista omnia sibi, precibus fidelium & Spiritus Christi ope suffulto, salutaria fore, & cessura in Christi gloriam majorem, sive vivere, sive mori contin-

contingat. Se enim vitam omneque vitæ tempus CHRISTO *Phil. I.* consecrasse, & mortem quoque pro illo obeundam in lucro ma- *& II.* ximo deputare; si autem in Ecclesiæ commoda vergat prolixior in carne vita, ambiguum fere se esse, quid eligat, cum inde cernat, sibi multo melius esse, dissolvi, & solutum omnibus curis periculisque cum Christo in gloria versari æterna: hinc utilitatem imo necessitatem majorem Auditorum perspiciat. Atque de hoc, quod scil. permansurus in vita sit, certiores reddit Philippenses, causasque exprimit, eorum profectum uberiorem & gaudium fidei, ut magis in Christo gloriari queant de iterato suo ad illos adventu. Interea dum id fiat, paterne monet, ut dignam Evangelio Christi fidem & vitam sectentur assidue, & constantes sint, quo sive absens s. præsens audiat videatve, quod athletarum instar fortiter stent, in uno spiritu gratiæ & roboris, eos confortante, & uno animo concordi concertantes pro doctrina Evangelii, nec ulla in re percellantur ab adversariorum insultibus, cum hic ipse furor pertinax iis exitii, fiducia autem & constantia Christianis certum signum sit præsentis ac futuræ salutis, DEO hoc gratiose largiente, ut non tantum in Christum credant, verum etiam pro eo patiantur adversa. Quam in rem suum exemplum proponit, idemque certamen subeundum denunciat.

CAP. II. Paræneſin cœptam prosequitur, & Philippen- Cap. II. ses per Christum obtestatur efficacissimis verbis, ut idem in doctrina fidei sentiant, eandem dilectionem habeant, unanimes in vitæ institutis, consiliis, actionibus &c. sint, & ostendant re ipsa, quod unum idemque omnes sapiant, nil faciendo per contentionem aut ostentationem, sed humilitate animi alios sibi præferendo, donis internis forte excellentiores, eorumque potius commoda quam sua spectando; ad Christi exemplum, cujus mentem induere & referre omnes fideles debeant, quippe qui, licet & verus DEUS natura esset, & humanæ naturæ as-

Phil. II. sumtæ summam divinitatis gloriam ac majestatem communicasset, non tamen ea tanquam rapina, ovantium more, uti ac ostentare voluit *æqualia DEO*, *sed seipsum*, ex immensa erga nos miseros homunciones charitate, ut affectatam a Protoplastis DEI-formitatem expiaret, *exinanivit* abstinuitque plenario usu communicatæ ex personali unione humanitati suæ Majestatis, *cum servi formam*, statum & conditionem *accepisset*, *factus hominum similis* (Ebr. II. 14.) *& habitu* quoque externo, non ut DEUS, sed *ut* quivis *homo repertus*, & quanquam regio saltem instituto dominari potuisset, amplius tamen quoque *seipsum humiliavit*, *factus obediens* (Ebr. V. 8.) *usque ad mortem* eamque ignominiosissimam *crucis*, (Joh. X. 11. 17. 18. Gal. III. 13.) Hanc humilitatem & obedientiam coronavit Pater ita, ut, omnibus rite exantlatis, in summam ineffabilemque dignitatem evexerit Filium, ad dexteram suam eum collocando, ut jam in æternum exserat & plenarie usurpet infinitas vereque divinas dotes, quas secundum H. N. acceperat, sed in statu servili exserere non potuerat, & adoretur ab omnibus proque supremo Domino habeatur & declaretur olim publice, (Rom. XIV. 10 ff.) ℣. 1.--12. In vivam hanc imaginem intueri vult Apostolus Philippenses, hancque mentem exprimere humilem & obsequiosam erga DEum & proximũ, non tantum in præsentia sed & absentia sua, ut suam ipsorum *salutem* in consilio semper habeant, *cum timore ac tremore* filiali circa eam *occupati*, &, ceu decet credentes in Christum eumque imitantes, demonstret fidem studio bonorum operum, freti auxiliis gratiæ divinæ efficacis, quam admittere atque *facere omnia* debeant, *absque obmurmurationibus* & disceptationibus, quo *irreprehensibiles* sint & *sinceri*, tanquam genuini DEI filii, in medio distortæ generationis *lucentes & firmiter tenentes sermonem vivificum*, a se illis traditum, ac ipse tandem gratulari sibi & gloriari in die Christi possit de labore non frustra impenso, in ministerio fidei, una cum

cum Philippensibus. Qua in re ut eos magis confirmet, paratum se ait pro iis immolari, & promittit *Timothei* suumque adventum, & *Epaphroditum* interea *præmissum* scribit, ut ejus conspectu recreentur, quem multis nominibus commendat. ℣. 12. -- 30. *Phil. III.*

CAP. III. Hinc summam felicitatem, quæ eos maneat, si in fide & vita Evangelica constantes permanserint, indicat, quod *lætari in Domino* Christo queant. Hoc gaudium ne amittant, caveri sedulo jubet fiduciam in carne, ejusque tumidos præcones, circumcisionem perverse urgentes: quibus opponit fideles, qui omnia in Christo habeant, & suum exemplum, quod licet in carne fiduciam præ aliis ponere potuerit, tamen adeo non confidat in prærogativis istis Judaicis, ut potius omnia, quæ lucra antea putaverit, pro damnis postea reputaverit, *propter Christum*, & nunc quoque adhuc constanter semperque *omnia*, quæ præter & extra Christum sunt, & in quibus homines aliquam justitiæ & salutis spem & fiduciam ponere possunt, optima etiam opera, nullius pretii habeat, *propter illam eminentissimam* & salutiferam *cognitionem Domini* sui *JESV CHRISTI*, (Es. LIII. 11.) ac propterea ista omnia damnosa fuisse, libere fateatur, & *stercora ducat* abjiciatque penitus, *ut Christum lucretur*, & *inveniatur* æstimeturq; in judicio DEI, *non* quatenus *habens justitiam* propriam, quæ *ex lege* ejusque observatione est, cum ea nulla sit, *sed* quatenus habens *illam, quæ est per fidem in Christum*, Mediatorem, sive eam *justitiam, quæ ex DEO* est autore, dante & imputante ex divitiis gratiæ suæ, ut terminetur *super fide* apprehendente Christum; quo ita *agnoscat*, per vivam experientiam & gustum spiritualem, *Christum*, quam sit Χρηστὸς, 1. Pet. II. 3. Ephes. I. 17, 18. 1. Cor. II. 12. ac inprimis *vim resurrectionis ejus* in nova vita spirituali, Rom. VI. 4. & spe viva, 1. Pet. I. 3. & *communionem passionum* ejus, in crucis sive afflictionum multiplicium pro eo & fidelium confirmatione, Col. I. 24. *Cap. III.*

Phil. III. Phil. I. 29. ita magis magisque *conformatus morti ejus*, atque ſummopere deſiderans & ſtudens *pervenire ad reſurrectionem mortuorum* perfectam plenamque ſanctitatem, quo quidem nondum ſe pertigiſſe ingenue ſemel iterumque profiteatur & doleat, propter inhabitans & circumcingens ſe peccatum, Rom. VII. 24. ff. Hebr. XII. 1. eo tamen omnibus viribus, pro data gratia, contendat, ut plene perfecteque aſſequatur, quia apprehenſus ſit a CHRISTO JESU, eoque *obliviſcatur* præterita tempora, opera & profectus, nec in primis ſubſiſtat, ſed ad ulteriora properet, *quæ a fronte ſint*, ſeque ad illa *extendat*, ceu curſores facere ſoleant, & totus ad metam feratur, *ad brabeum ſuperna vocationis DEI in J. C.* Sic animatos eſſe debere omnes perfectos & integros, monet, &, ſi quid aliter hac de re ſentiant, vel abrepti a falſis doctoribus, vel pigritia & tarditate impediti, id DEUM quoque revelaturum ſuo tempore ſuppliantibus promittit. Interea eos, *qui* alios *anteverterint* in iſto curſu, *eadem regula* fidei & morum incedere, ſeque & alios ſui ſimiles imitari, fugere autem debere ſeductores bene multos, de quibus ſæpe præmonuerit illos, nuncq; denuo illachrymans faciat, qui his notis dignoſcendi, quod ſint *hoſtes crucis Chriſti* (Gal. V. 24. VI. 12.) quorum *finis* & merces *perditio*, *DEUS venter*, *gloria in turpitudine*, (was bey Chriſtlichen Leuten Schande iſt/ das iſt bey ihnen Ehre/ als Freſſen und Sauffen/ Hoffart/ Weltförmigkeit ꝛc.) & qui nil niſi terrena ſapiant curentve. Quibus prorſus diſſimiles ſint Chriſtiani veri, qui cœleſtia ſapiant, ſpectent, in cœlum dirigant curſum, ex quo etiam certo exſpectent Salvatorem J. C. eis collaturum brabeum, *corpora glorificata* daturum & ad plenariam perfectionem & beatitudinem æternam introducturum potentiſſime.

Cap. IV. CAP. IV. Tanta præmia cum fideles maneant, Apoſtolus Philippenſes verbis amore plenis hortatur, 1. ad perſeverantiam & conſtantem ſui imitationem, ac ſpeciatim 2. *Evodiam*

diam atque *Syntychen*, primarias Philippis fœminas, vel πρεσβυτίδας, vel diaconiſſas, ad unanimitatem & concordiam, easque commendat Collegæ germano, *Epaphrodito*, vel *Syzygo*, una cum *Clemente* aliisque cooperariis, quorum nomina in libro vitæ ſcripta ſunt, ut illis adſint conſilio & opere, propterea quod dignæ ſint, quum vehementer ſecum certarint, ſubeundo ſuſtinendoque labores & pericula propter Evangelium. 4. Omnes atque ſingulos ſemel iterumque excitat ad *gaudium in Domino* perpetuum, ſub tentationibus & perſecutionibus gravibus, quod ne turbetur, 5. ἐπιείκειαν, ſive *manſuetudinem*, clementiam & lenitatem omnibus exhiberi ab illis vult: 6. ad ſpem fiduciamq; in Dominum præſentem & gratioſe opitulantem erigit, ut adeo nihil ſollicitudine anxia opus ſit, ſed precibus tantum aſſiduis ad DEUM, provida cura ſuis proſpicientem, ac *pacem*, tranquillitatem & lætitiam, omnem captum noſtrum ſuperantem & ineffabilem, largientem, ut cuſtodiantur corda & ſenſus, ſive intellectus, voluntas & affectus, in C. J. inculpate, ac ita muniantur, ut nullæ afflictiones ipſos præcipitent, aut iis obſint, ſed potius proſint. Quam pacem, tanquam omnium bonorum compendium & complementum, ut aſſequi poſſint, omnia Chriſtianis officia excolenda ſummatim complectitur, commendatque 1. *veritatem* ſolidam & omnimodam, 2. honeſtatem & *gravitatem* in vita & moribus, 3. *juſtitiam* univerſalem, 4. *caſtitatem* & ſanctitatem cordis, oris, operis, 5. *amabilia* quæque, 6. *bonam famam* nomini Chriſtiano parientia, 7. alias omnes *virtutes*, quæ *laudem habent*: inque his omnibus exemplum ſe ſiſtit imitandi, & provocat ad doctrinam ſuam, quam ſatis inſtillaverit & inculcaverit, ℣. 1.--10. *Claudit* Epiſtolam elogiis, ſalutationibus & votis. In *elogio* deprædicat liberalitatem Philippenſium, teſtaturque ſuum gaudium, quod tandem aliquando reviruerint in ſtudio erga ſe, licet opportunitate deſtituti fuerint deſtinata perficiendi, non *Phil. IV.*

Galat. IV. quod penuria laboret, aut donis inhiet, cum didicerit contentus esse iis, quæ adsint, & saturari & esurire, omniaque corroborante intus Christo valeat; bene tamen feciſſe Philippenſes ait, quod conſortes ſuæ afflictionis esse voluerint, laudatque, quod ſoli inter omnes ſub Evangelii initium ſubſidia ſibi miſerint, & beneficium poſtea etiam ſemel iterumque continuaverint, adeo ut cumulatus ſit acceptis iis, quæ per Epaphroditum miſerint, ac DEUM offert promittitque remuneratorem largiſſimum, eique gratias agit, ℣. 10. -- 21. Salutem precatur omnibus ſanctis in C. J. ſuo pariter ac fratrum, qui tum aderant, nomine, præſertim domeſticorum Cæſaris, ut inde Philippenſes in fide & ſpe magis confirmarentur, tandemque voto conſueto finit.

XXIX.

III. *ad Philemonem.* Tertiam dedit Epiſtolam ad *Philemonem*, Coloſſenſem, ſuo miniſterio converſum, ℣. 19. cum Phrygiam peragraſſet & in aliqua ejus urbe in eum incidiſſet; Coloſſas enim non venerat Apoſtolus, Coloſ. II. 1. Ex Epiſtola ipſa colligitur, eum inſignem fide & charitate virum fuiſſe, divitem inſuper & honoratum. Servum habuit *Oneſimum* infidelem, qui fugam furto cumulans in *Italiam* ſe recepit, ſed conſcientia tactus, & memor forte monitorum a Domino ſæpe auditorum, *Romæ* Paulum adiit, & ab eo in fide & pietate vera inſtitutus ſatisque confirmatus, hero remiſſus & de optima nota commendatus multis & efficacibus argumentis fuit, e religionis Chriſtianæ capitibus præcipuis deſumtis. Siquidem prævia fraterna ſalutatione, ℣. 1. -- 4. laudat non ſine gratiarum actione *fidem* in Chriſtum & *charitatem* erga omnes ſanctos Philemonis, & teſtatur, ſe precari aſſidue, ut magis magisque in communione fidei creſcat, & per cognitionem & guſtum ſpiritualium bonorum, fidelibus donatorum, excitetur ad charitatis officia uberius præſtanda, aliis quibusvis, ℣. 4. -- 7. idque eum facturum, colligit ex ſingu-

singulari beneficentia, sanctis jam exhibita. Tametsi igitur Apostolica autoritate præcipere posset id, quod agere conveniat, malle se tamen orare pro *Onesimo* indicat, quem, ut lubentius recipiat *Philemon*, appellat eum *suum filium*, *a se genitum*, adeoque prorsus alium, & mutatum, sibi & *hero* nunc *valde utilem*, utpote vere conversum, regeneratum & ad bona opera in CHRISTO JESU conditum; libenter igitur se illum retinere voluisse, sed id inscio invitoque Domino non ausum esse, 7.--15. Ac ne fuga turpis & furtiva remoram receptionis faceret, eam emollit Apostolus, & non tam ex mente servuli quam ex DEI providentia spectari vult, rem ita salutariter dirigente, ut, qui *ad breve tempus discesserit servus inutilis*, correctus *perpetuo* esset *hero utilis* & fidelis, non jam ut servus, sed *plus quam servus*, *nempe frater in Christo dilectus*, utrique conjunctus & accommodus in carne & in Domino, sive in corporalibus ac spiritualibus. Talem tantumque hominem *recipi* in animum inque domum a Domino petit Paulus, *ut seipsum*, &, ne quid obverti amplius queat, *sibi imputari* vult, si qua in re herum læserit, eive aliquid debuerit, ac dato chirographo se satisfacturum pollicetur, si Philemon postulaverit, qui tamen totus in suo ære sit. Ad extremum rogat denuo, simul & bene sperat, quin certo confidit, ex cognita perspectaque obedientia Philemonis erga Evangelium, ipsum sibi gratificaturum, imo plus facturum, quam petat, insuperque hospitium paraturum mox liberando & adventuro. Salutationibus amicorum & voto Epistolam claudit. Non dubium est, quin magnum pondus habuerit ea apud Philemonem, ad recipiendum & manumittendum deinceps servum, & Paulo remittendum, ut ei in vinculis pro se serviret, &, si fieri posset, illum comitaretur in hospitium præparatum. *ad Philemonem.*

XXX.

Post hæc tempora Epistola ad *Colossenses* exarata est, cum IV. *ad Col.*

Coloss. I. Onesimus Philemoni reconciliatus *Romam* denuo venisset, & *Aristarchus* captivus, *Epaphras* autem liber esset, Coloss IV. 9. 10. quod secus erat, quando Onesimus prima vice Romæ agebat, (Ep. ad Philem. ℣. 23. 24.) ac denique *Archippus* Colossis διακονίαν accepisset, successor, ut videtur, Epaphræ, vel collega datus, quando ab Epaphra, a se ad Colossenses ablegato ante, quia ipse venire non poterat, Col. I. 7. II. 1. intellexit cum de eorum fide sincera, & charitate indefessa, tum de periculo seductionis per Philosophiam & Judaizantes Pseudo Apostolos. Suii igitur officii memor ac divinitus instinctus, Colossenses in puritate doctrinæ sanctitateque vitæ Christianæ non tantum confirmavit, sed etiam deceptiones seductorum detexit ac refutavit. Orditur autem pro more (1) a gratiarum actione ardenti pro fide, charitate & spe viva, quam Colossenses hauserint ex Evangelio, ut in toto orbe sic apud ipsos per Epaphram, fidelem Christi diaconum, prædicato, non sine fructu, ℣. 3. 9. (2) Hortatur ad constantiam & augmentum in bono, ita ut simul a DEO petat postuletque illos impleri cognitione exactiore voluntatis divinæ, in omni sapientia & prudentia spirituali, quo possint dijudicare τὰ διαφέροντα, (Phil. I. 9. 10.) κενοφωνίας καὶ ἀντιθέσεις τῆς ψευδωνύμου γνώσεως (1. Tim. VI. 20.) atque etiam ambulare digne Domino, e tenebris ad lucem, mendaciis ad veritatem, ex impuritate ad sanctitatem vocanti, ut ei duntaxat placeant in omnibus, idque omnis generis bonis operibus tanquam fructibus ostendant, & crescant ita quotidie in vel *ad cognitionem* DEI vivam & practicam, DEO robur viresque sufficiente potentissime ad ea omnia, quæ facienda & patienda sunt cum gaudio, ℣. 9. - 12. memores, quæ quantaque DEUS Pater in eos per Christum contulerit beneficia, ac gratias pro iis eidem agentes, quod idoneos dignosque nos Christianos fecerit, cum neutrum in nobis esset, per Christum, ad participandam sortem sanctorum in luce, & nunc & olim, dum *eripuit* nos gratiosi-

Sensus, Epistolæ occasio & summa recensetur.

Cap. I.

tioſiſſime & potentiſſime e *poteſtate* ſat valida *tenebrarum* inte- *Coloſſ. I.*
riorum & exteriorum, *transtulitque in regnum filii ſui dilectiſſimi*, in quo qui ſunt per fidem, *redemtionem* habere aſſerit *per ejus ſanguinem*, *remiſſionem* nempe *peccatorum* omnimodam, & quæcunque inde ſequuntur beneficia innumera; propterea quod Redemtor noſter non nudus homo ſed & verus DEUS ſit, *imago DEI* Patris *inviſibilis*, vera, abſoluta, eſſentialis, *ante omnes creaturas genitus*, iisque eminentior, per generationem æternam, cum nulla creaturarum ſit, per quam vel unica res creata, in ipſo autem, per illum & ad illum omnia creata ſint, atque adeo hinc recte inferatur, ipſum *ante omnia* eſſe, tanquam creatorem, ac *in ipſo* etiam totum mundi ſyſtema conſiſtere & permanere, tanquam conſervatore omnipotente. Eum igitur potuiſſe hominibus ſpiritualia & æterna bona dare, & divinam potentiam in regno gratiæ non minus quam in regno potentiæ declaraſſe, jam probat Apoſtolus, dicendo, eundem eſſe *caput corporis* ſui, *Eccleſiæ*, quam ſanguine proprio ſibi acquiſiverit, collegerit, ſuſtentet, conſervet, ornet, augeat, & tandem in gloria perficiat, cum *principium* cauſale Eccleſiæ, *primogenitus ex mortuis*, ratione divinæ virtutis Rom. I. 4. meriti & dominii, Apoc. I. 5. idque conſecutus ſit, ut *primas teneat in omnibus* ſummæ poteſtatis & majeſtatis, perſonæ juxta ac officii ratione; *quoniam* DEO *placueri* gratioſe *totam plenitudinem Deitatis in ipſo habitare, & per ipſum* tanquam unicum & catholicum Mediatorem, 1. Tim. II. 5. 6. *reconciliare*, eque ſtatu iræ in ſtatum gratiæ reducere *omnia*, per lapſum maledictioni obnoxia, *ad ſe*, in laudem glorioſæ gratiæ ſuæ, Eph. I. 6. *pacem facienti per ſanguinem crucis ejus*, in qua conſummatum eſt opus redemtionis & reconciliationis; *per ipſum*, inquam, omnia, *quæ in terra cœliſque ſunt*, ſublata inimicitiæ cauſa & ſancito fœdere gratiæ, Epheſ. II. 13. ſſ. Luc. II. 14. XV. 10. Hocque beneficium maximum Apoſtolus etiam in Coloſſenſes redundaſſe teſtatur,

Coloss. 1. quod ut rectius solicitiusq; expenderent, priorem infelicem statum cum præsenti confert, (Ephes. II. 11. 12.) & reconciliationis finem fructumq; indicat, *ut eos* & nunc & olim sistat sanctos & *irreprehensibiles*, (Ephes. V. 27.) si modo permanserint in *fide stabiles* (Ebr. III. 14. XIII. 9. Apoc. II. 7.) quod eos per gratiam DEI posse, satis ante innuerat, (conf. 2. Cor. I. 20. 1. Pet. I. 5.) & *immobiles* a spe Evangelii, per quod fides & spes oritur & alitur, eamque ob causam illud prædicatum ait Colossensibus, ut & omni creaturæ rationali sub cœlo, secundum Christi mandatum (Marc. XVI. 15.) ceu supra jam dixerat (ỽ. 6.) per ministerium reconciliationis, (2. Cor. V. 18.) cujus ipse quoque diaconus sit, & lætetur summopere, etiam *in* mediis *passionibus*, quas sustineat pro Christo & *pro* Colossensibus illorumque multiplici bono, (2. Cor. I. 5. 6.) inprimis, ut sua προθυμία & exemplo animati corroboratique eadem παθήματα libenter subeant & læte ferant, qualem mentem ỽ. 11. ipsis precatus fuerat, cum ipse *etiam* incitatus ab aliis, 1. Thes. I. 6. Ebr. VI. 12. sancta æmulatione & juncta opera *impleat vicissim defectus*, sive quicquid restiterit *afflictionum* a Christo sibi admensarum, *in carne sua* exantlandarum, *pro corpore Christi*, *quod est Ecclesia*, ad ejus ædificationem & conformationem, nec tantum patiendo sed & agendo ita se gerat, ut *secundum* gratiosam *DEI dispensationem* & administrationem *erga* Colossenses & alias gentes, Ephes. III. 2. 3. *sibi datam*, *impleret verbum DEI* (sive veritatis Evangelicæ, supra ỽ. 5.) illud prædicando ubique ad κατοπαγὴν κέρως (Rom. XI. 15. 2. Cor. V. 18.) plene & sincere, nempe integrum & totum *illud mysterium* salutis, quod *a seculis & generationibus absconditum*, licet in promissionibus revelatum, & typis adumbratum, *nunc* autem *patefactum* fuit *sanctis ejus*, non tantum ratione externæ apparitionis, verum etiam internæ illuminationis & cognitionis, Apostolis (Eph. III. 5.) & aliis fidelibus; *quibus voluit DEus notum facere*, firmiter & perspicue

cue, *quæ* quantæque *ſint divitiæ glorioſi hujus myſterii in gentibus*, cujus materia & medulla *Chriſtus* ſit, non tantum oblatus ſed etiam donatus cum omnibus gratiæ theſauris, *in* ipſorum cordibus habitans per fidem, & omnibus bonis eos replens (Eph. III. 17. 19.) *ſpes* unica & ſolida *gloriæ* futuræ conferendæ, Rom. VIII. 18. ff. Quem propterea ipſe, una cum collegis fidis, unice *annunciet*, 1. Cor. II. 2. *monendo* primum ſevere atque ἀκριβῶς de erroribus & periculis, ac adeo, corripiendo, convincendo, vel alio quocunque modo, mentem voluntatemque flectendo, deinde *docendo*, explicando & confirmando, ubique *omnem* omnino *hominem*, 1. Tim. II. 4. ſine διαφολῇ καὶ προσωποληψίᾳ, *in omni ſapientia* ſpirituali, Spiritu σοφίας, δυνάμεως καὶ σωφρονισμῷ vires animumque ſufficiente, & omne ſtudium moderante, quoad res & verba, 1. Cor. II. 4. ſeqq. ut, qui in timore Domini tradita expenderit, τὴν σύνεσιν αὐτῷ in myſterio animadvertere poſſit, Eph. III. 4. eum in finem, *ut ſiſtat omnem* hominem perfectum perfecteque inſtructum ſalutari cognitione, viva fide & ſincera pietate, *in CHRISTO JESV*, in quo creſcere & adoleſcere debet fidelis εἰς ἄνδρα τέλειον, Eph. IV. 13. ſ. *Ad quod* obtinendum ipſe vehementer ad laſſitudinem usque *laboret*, & nulli parcat operæ, *certans* tanquam in palæſtra, athletæ vel militis inſtar, continuo, *ſecundum efficacem operationem* ipſius Chriſti, *quæ in ſe operetur potentiſſime*, ut facere & pati potuerit, quæ ad opus miniſterii arduum ſpectant. Conf. 1. Cor. XV. 10. *Col. I. & II.*

CAP. II. Atque hoc ipſum ſtudium & *certamen* ſpeciatim *erga Coloſſenſes & vicinos Laodicenſes*, aliosque omnes, *qui ſe de facie non noverant*, maximum, quod habeat ſemper in precibus, laboribus & periculis pro illis illorumque bono, teſtatur Apoſtolus, hujusque certaminis ſcopum & fructum indicat, *ut excitentur* pariter ad fortiter ſuſtinenda pro Chriſto certamina, & *ſolatio* efficaci *perfundantur* omnium *eorum corda*, quum παρηγορίαν ſuorum exemplo cognoverint, DEUM ſpiritu robo- *Cap. II.*

ris

Coloss. II. ris & consolationis ipsis adfuturum, Hebr. XII. 1. ss. XIII. 7. Jac. V. 10. ss. atque ita certi de spe viva & reposita gloriari & lætari possint in afflictionibus, Rom. V. 3. & se mutuo erigere *compactique* esse debeant vinculo *charitatis* veræ & operosæ, Joh. XIII. 34. quæ ἰσότιμον πίστιν subsequitur, Gal. V. 6. Act. IV. 32. Quod cessurum profuturumque sit *ad* obtinendam *omnem opulentiam fiduciæ*, vel plenæ certitudinis *intelligentiæ* spiritualis & apprehensionis veræ, tendentis præcipue *ad cognitionem* vivam, solatarem & salutifluam *Mysterii DEI & Patris & Filii*, de quo Cap. I. 12. ss. egit, inpr. ℣ 27. quod totam Oeconomiam gratiæ & salutis complectitur. (Conf. 1. Cor. II. 7-10 ss. Eph. I. 17. -- 20. III. 18. 19.) ℣. 1. 2. Unde brevibus verbis ejus profunditatem & utilitatem exprimit, indicatque ℣. 3. fidelem, si dictum in modum illud cognitum habeat, omnia scire & habere, quia *Christum* complectatur, tanquam scopum & nucleum, *in quo omnes* omnino *thesauri* sapientiæ & cognitionis divinæ atque infinitæ absconditi sint, non nisi fidei oculo cernendi, & ex eo hauriendi. Hoc igitur mysterium sartum tectumque servari in corde, (Cap. I. 27.) doctrina & vita, præcipit Apostolus: &, cum haud ignoraret, esse & fore in posterum seductores, qui profundiorem sapientiam promittant, & incautos ac ἀστηρίκτους *sermone fucato*, mira arte vel fraude potius composito, *circumvenire* studeant, graviter quemlibet monet, ut sibi ab ejusmodi impostoribus caveant, quos *absens* quoque *corpore* observet, cum semper *animo*, affectu, desiderio & precibus illis omnibus & singulis *adsit*, & ingenti lætitia perfundatur, quando tacita mente secum reputet, & quasi *coram intuetur* illorum ordinem in Ecclesia pulcherrimum, & consensum concordem in spiritu unitatis ac charitatis, & *firmitatem* solidam *fidei in Christum*, (Ebr. XI. 1.) tanquam petram salutis unicam & fundamentum immotum, Devt. XXXIII. 15. Jes. XXVII. 16. adeo ut nihil iis desit, nec vel addere, vel corrigere quidquam conve-

conveniat, ℣. 4. 5. 6. Hoc igitur solum ab illis requirit, ut, *quemadmodum acceperint Christum Dominum*, ei constanter adhæreant fide & obsequio, ac *in ipso ambulent* (Cap. I. 10.) fideliter, & perseverent, utpote non infantes amplius & fluctuantes, sed *radicati & superædificati* in ipso solo, Eph. II. 20. 21. III. 18. sicque coagmentati (supra ℣. 2.) inter se, & *confirmati fide* in Christum studentes, ut *in ea* magis magisque *abundent*, eamque ostendant cum aliis in rebus, tum inprimis *in gratiarum actione* pro bonis, quæ reposita sunt in cœlis constantibus Christi sectatoribus, ℣. 7. His thesauris in Christo ne quis deprædetur Colossenses, eos sedulo circumspicere jubet, ac, ut cavere sibi tanto melius queant, deceptionis modos, tum maxime vulgares & subtiles, memorat, 1. *Philosophiam*, cujus Professores omnium sectarum pro stultitia reputent sapientiam DEI in mysterio, ac ipsi stulti fiant stultosq; faciant, Rom. I. 21. s. 1. Cor. I. 14. res divinas rationis decempeda metientes: 2. Judaizantium inanem ac *vanam deceptionem*, cum, quicquid adferunt jactitantque, nihil solidi habeat; nec DEUM auctorem, aut Scripturam S. indicem, sed *secundum traditionem hominum* sit confictum, & *secundum* egena *mundi elementa*, ut ritus de cibis, festis, vestibus &c. compositum, *ac non secundum Christum*, in quo tamen omnes non tantum thesauri sapientiæ sint absconditi, sed etiam in ejus humana natura, licet humilis & abjecta videatur, *omnis* & tota illa *plenitudo Deitatis habitet*, more corporis, quod ab anima inhabitatur, & in quo etiam omnes fide illum recipientes *repleti*, dotati ditatique sint omnibus bonis (1. Cor. I. 5. 7.) quemque merito, tanquam *caput omnis principatus & potestatis*, colere debeant, ut nihil opus sit confugere ad Angelos, vel homines, tanquam Mediatores, intercessores & Doctores, e cathedra Mosis, vel ad infirma elementa, ut circumcisionem, ceu somnient Pseudo-Apostoli, quum *in eo circumcisi* sint *circumcisione non illa* externa, typica & *manu* Coloss. II.

Coloss. II. *facta*, sed spirituali, & interna cordis, Rom. II. 28. s. quæ consistat *in exuitione carnis* corruptæ *peccatorum, vi circumcisionis Christi*, & dum baptisma instituit, in quo & cum eo sepulti & vivificati fuerint & resurrexerint per fidem, Rom. VI. 4. ff. Eph. II. 5. 6. quique *deleverit illud chirographum*, ex obligatione justitiæ divinæ debitum, quod solvere non poterant homines, *una cum decretis* & statutis (Eph. II. 15.) *contrarium* & oneroſum nobis, *eque medio sustulerit, & clavis* perfossum vel laceratum *affixerit cruci*, ut omnibus constaret, plene satisfactum esse pro debitis nostris, & reconciliationem pacificationemque peractam, (de qua Cap. I. prolixius) &, exspoliatis principatibus ac potestatibus infernalibus (Luc. XI. 22.) eas quasi publice ostentaverit & traduxerit, ac *triumphum* de illis *egerit in seipso*, ut per ipsum quoque nunc fiduciam habeamus contra hostes, tanquam victos, ab illis pariter ac omni legis Leviticarumque ceremoniarum jugo liberati, ℣. 8. -- 16. Hinc valide colligit Apostolus, neminem sibi arrogare debere *potestatem* Colossenses & quosvis Christianos *judicandi*, & ex libertate a Christo parta in servitutem redigendi, *in cibo aut potu*, cum discrimen in V. T. observatum, in Novo sublatum Act. X. 13. ff. nil in se ἀπόβλητον, sed puris omnia pura sint, 1. Tim. IV. 4. 5. *nec in parte* vel portione (נתח) victimarum *die festo, novilunio, aut sabbatis* offerri solitarum, & ultro citroque missarum, 1. Sam. I. 5. IX. 32. Est. IX. 32. Nehem. VIII. 10. Rationem hanc adfert, quia ista δόγματα *umbræ* duntaxat sint præfigurantes, ὑπόδειγμα *bonorum futurorum* & rerum cœlestium habentes, *corpus autem Christi*, qui omnia impleverit, & meliora ac solida bona nobis dederit, ut veram sanctitatem ac puritatem, spirituales ferias, quietem animarum, (Matth. XI. 28.) æternum Sabbatismum, (Ebr. IV. 1. -- 12.) &c. ℣. 16. 17. Porro monet, *ne se subjugari* a quoquam finant, qui sub humilitatis prætextu *cultum Angelorum* introducere sustineat, ex temerario propriæ voluntatis arbitrio, (θέλων)

(θέλων) in ea se *ingerens*, *quæ non vidit*, nec legit revelata in Scripturis, *vane inflatus a sensu carnis* suæ corruptæ, non edoctus Spiritu Christi, nec sensum ejus habens, aut *retinens caput*, Christum, unicum Salvatorem, Sacerdotem, Doctorem & Dominum, firma fide & dilectione, *ex quo totum corpus*, sive Ecclesia, *per junctura & vincula suppeditationem* spiritus & omnis gratiæ salutaris (Phil. I. 19.) *accipit*, sicque exstructum, instructum, *coagmentatum* & conservatum *crescit augmento DEI*, 1. Cor. III. 6. 7. Eph. IV. 15 ut adeo non aliunde quam ex Christi plenitudine omnia sufficientissime & abundantissime habeant, & acquiescere in his debeant, qui Christo nomen dederunt, ℣. 18. 19. Ex his Apostolus generatim colligit, *elementis mundi* ejusve statu ante & extra Christum, non esse inhærendum, nec dogmata sive Judaica, s. Philosophica reassumenda, cum, quod ℣. 12. dixerat, Christiani in baptismo *demortui* sint *cum Christo*, & in eo bona præfigurata rudimentis Vet. Test. habeant, adeoque non conveniat vivere in isto mundi statu, qui desierit, ac dogmatibus antiquatis denuo subjici, qualia hæc sint, quando *non* debere *tangi* mulierem vel rem immundam, *non gustari* hunc illumve cibum, *nec contrectari* cadaver, vel vasa sacra &c. decreverant Pseudo-Apostoli. Quorum omnium, ac similium vanitatem inde ostendit, quod vergant *ad corruptionem* & perditionem *per abusum istum* superstitiosum, qui jam sit, *juxta præcepta & doctrinas hominum*, frustra pro divinis venditatas, (Matth. XV. 9.) ac speciem vel rationem quandam habeant *sapientiæ* alicujus singularis ex ratione petitæ, in *cultu voluntario*, quo plus præstetur, quam a DEO mandetur, & *humilitate*, si quis se coram Angelis projiciat, decretis Ecclesiæ Doctorumque subjiciat, item in *vexatione corporis*, abstinentia, jejuniis &c. esse tamen mera σοφίσματα, non σοφίαν, *nec in honore quoquam* & pretio apud DEUM & DEI amantes, & spectare tantum *ad expletionem carnis* carnaliumq; desideriorum & consiliorum, ℣. 20.--21. Col. II.

Coloss. III. CAP. III. Ab externis igitur, mundanis & corruptibilibus, ad interiora, spiritualia & æterna revocat Paulus auditores suos, fundamento adhortationis posito & repetito ex Cap. II. 12. in communione resuscitationis cum Christo, hincque totum cultum & vitam spiritualem esse debere, & omnia pietatis officia fluere, ostendit, ac I. bona solida vocat τὰ ἄνω, quæ sunt τὰ ἐπουράνια, Ephes. I. 3. II. 6. τὸ βραβεῖον τῆς ἄνω κλήσεως Phil. III. 14. & donantur cum Christo, 2. Pet. I. 3. 4. in regno gratiæ & gloriæ: II. ea vult quæri unice & semper, insuper habitis omnibus terrestribus, creaturis, angelis & hominibus, omni studio, effectu & labore, ut accipiamus, possideamus & retineamus. III. Monstrat, quis ea dispenset, nempe *Christus*, *sedens ad dextram DEI*, & gloriæ majestatisque sublimitate, & regnans in supernis, tanquam caput influens in corpus Mysticum implensque illud, Eph. I. 20. -- 23. IV. Rationem addit, *quia mortui estis peccatis*, Rom. VI. 2. 4. 6. & vivificati, *vitaque vestra* nova & spiritualis *abscondita est cum Christo in DEO*, coram carne & mundo, quibus nihil innotescit de vita DEI, Eph. IV. 18. Non tamen ista Christianorum dignitas semper occulta manebit, sed quando Christus manifestabitur glorioſe, Matth. XXIV. 30. ff. XXV. 31. qui fidelium vita est gratiæ & gloriæ (meritorie, effective & exemplariter,) tunc illi quoque *manifestabuntur in gloria cum ipso*, (Joh. XVII. 22. 24. 1. Pet. V. 4. Apoc. V. 10. XIX. 16.) ℣. 1. -- 5. Quæ spes omnino efficacissime movere debet ad deserenda terrestria & appetenda quærendaque cœlestia; ex ea igitur (℣. 5.) etiam infert Paulus paræneses generales (α) *de mortificatione & depositione veteris hominis*, &, quæ præprimis mortificanda ac deponenda sint vitia inhærentia, enumerat, ab iis, quæ magis conspicua sunt, ad latentiora procedens. Interserit autem (℣. 6.) argumentum *a damno*, quod ob ista similiaque peccata non mortificata veniat *ira DEI in filios inobedientiæ*, & *decoro*, quod ex infelici statu

ſtatu erepti fugere priſtina vitia omnia, quorum ſpeciatim quæ- *Coloſſ. III. & IV.*
dam recenſet, totumque *veterem hominem exuere*, *cum actionibus ſuis*, econtra vero *induere novum illum* debeant, cujus initium factum in Baptismo, & quod continuandum quotidie *ad cognitionem* uberiorem & interiorem *ſecundum imaginem ejus*, qui olim ipſum condidit, Gen. I. 26. Eph. IV. 22. ſſ. Ad quod omnes obſtricti ſint ſine diſcrimine, ex quacunque gente & conditione, nec quisquam aliquid conferat, ſed ſolus *Chriſtus omnia in omnibus* præſtet, ſi fide apprehendatur & teneatur, in quo etiam, *tanquam electi, ſanctificati & ſingulariter dilecti DEI*, ſigillatim induere ac exercere poſſint atque debeant officia erga proximum, ex *charitate*, quæ *perfectionis vinculum* eſt, fluentia, & *pacis* in corde Dominum obtinentis ſtudio, ℣. 7. - 16. *Medium* autem talia perficiendi monſtrat Apoſtolus, *verbum Chriſti inhabitans in cordibus copioſe* & efficaciter, *in omni ſapientia*, (Coloſ. I. 9. 10.) non tantum theoretica, ſed etiam practica, ut *alii alios doceant & moneant hymnis ſpiritualibus* varii generis, e corde prolatis, in gloriam laudemque Domini, & quicquid demum, tum ſermonum tum operum, fecerint, in nomine JESU CHRISTI faciant, cum gratiarum actione debita pro beneficiis per Mediatorem collatis & obtinendis, ℣. 16. 17. A generalibus paræneſibus ad ſpeciales progreditur tangitque tres ordines hierarchicos, & 1. officia conjugum, *uxorum*, & *maritorum*, (℣. 18. 19.) 2. *liberorum & parentum*, (℣. 20. 21.) breviter, 3. *ſervorum* autem prolixius nonnihil exponit, ℣. 22. 25. & *Dominorum*, ℣. 1. Cap. IV.

CAP. IV. A ſpeciali paræneſi redit iterum ad genera- Cap. IV.
lem, vel, ut D. *Schmid.* in Comm. h. l. cenſet, Auditorum officium erga Doctores, & ſe ſpeciatim, exponit, monetque, ut *in precibus aſſidui*, conſtantes & *vigilantes* ſint, ac *pro ſe* quoque & Collegis *orent, quo DEVS aperiat oſtium ſermonis, ad eloquendum* & manifeſtandum *myſterium Chriſti*, ceu oportet, (℣. 2. 3. 4.)

Coloss. IV. plene, plane, placide, prudenter & potenter, in demonstratione Spiritus & efficaciæ, ad conscientiam hominum, quod nemo claudere possit, Apoc. III. 8. Denique erga eos, qui extra Ecclesiam sunt, Christianos se gerere vult sapienter, circumspecte & pie, ne offendantur, sed potius convertantur, & lucrifiant, studiose tempus occasionesque omnes redimentes bene agendi, & cum exemplis, tum sermonibus eos allicientes, sibique sedulo caventes, ne peccatis eorum implicentur, atque eam ob causam requirit *sermones semper*, quando contingit, aut necesse est, colloqui cum exteris, *gratia* & *sale conditos* esse, *ut sciant*, *quomodo unicuique* respondere oporteat, atque illi verbis gratiosis simul & gravibus sensim erudiantur ad salutem. ℣. 5. 6. De suis rebus & aliis pluribus, quæ Romæ agantur, nihil scribere Paulus voluit, sed *Tychicum* de iis coram relaturum significat, quem, ut & *Onesimum*, utrumque fidelem ac dilectum fratrem, ad eos ideo misit. ℣. 7. 8. 9. Salutationes renunciat nomine *Aristarchi*, *Marci*, *Jesu*, cognomine *Justi*, *Epaphræ*, *Lucæ & Demæ*, quorum plerosque a stirpe & fide commendat, ac Epaphram inprimis, ℣. 10. -- 15. & suam demum salutationem subjungit, ac salutare suo nomine Colossenses & *Laodicenses*, & *Nympham* hujusque domesticam Ecclesiam; & monet, ut præsens Epistola etiam Laodicensibus publice legenda tradatur, & alia ex *Laodicea* ad se scripta hac occasione pariter legenda petatur, moneatur insuper Archippus, ut quæ sint ministerii a DEO accepti, sedulo curet, ejusque partes impleat. ℣. 15. 16. 17. Epistolam ab amanuense ex ore dictantis exceptam, sua manu adscripta salutatione, Apostolus obsignavit, quo Colossensibus aliisque de Autore & Amanuensis fide constaret: quos ad extremum hortatur, ut vinculorum suorum meminerint, & exse Christianæ constantiæ & patientiæ exemplum capiant, Hebr. XIII. 3. 7. In gratiæ divinæ apprecatione finit, sicut incepit.

XXXI. Sed

XXXI.

Sed ne Apostolus negligere videretur populares suos, Hebræos, ad eos quoque Epistolam misit, cum Timotheus jam vinculis solutus esset, & Paulus spem certam facere potuisset, una cum illo Hebræos invisendi, Heb. XIII. 23. Id vero nonnisi post scriptas ad Philippenses & Philemonem Epistolas fieri potuit, utpote in quibus aliquam quidem spem liberationis conceperat, certo tamen promittere haud valuerat. Cur nomen suum reticuerit, causas habuit satis graves: id tamen colligi facile potuit, cum ex stylo, tum methodo Pauli, & subscriptionis formula consueta, nec non ex D. Petri testimonio, 2 Ep. III. 15. 16. Ad Hebræos generatim scripsit, æque ac Petrus, qui nuper ad fidelem JESU CHRISTI cognitionem perducti & variis calamitatibus persecutionibusque propterea obnoxii erant, eosque graviter hortatus est (vid. Cap. XIII. 22.) ad constantiam in tradita agnitaque fide, ceu ex collat. Cap. I. 1. cum Cap. II. 1. 2. 3. 4. liquet, & vitam sanctam professione Christianismi dignam. Eam ob rem instituit repetitionem doctrinæ de Christo, & asserit solidissimis argumentis illam antiquissimam & solidissimam esse, utpote ab ipso DEO profectam, qui ut per Vates olim multis vicibus & modis, ita ultimis temporibus per proprium Filium eam elocutus fuerit, cujus præcellentiam probat ex vera Deitate & humanitate officiique dignitate Cap. I. & II. ac propterea confessionem de illo vult Hebræos sartam tectamque servare Cap. III. 1. IV. 12. nec in elementis Religionis Christianæ hærere in iisve acquiescere, sed ad profectionem tendere V. 12. VI. 1. ff. Cumque Sacerdotii inprimis JESU CHRISTI & Novi Testamenti rationem plenius ex Vet. Test. oraculis adstruxisset Cap. VII. VIII. & IX. ac demonstrasset, totum cultum Leviticum adumbrasse Pontificem JESUM, ad perseverantiam denuo hortatur X. 19. ex fidei veræ natura, cujus

Epistola ad Hebræos.

Hebr. 1. cujus proin rationem dilucide exponit propositis quamplurimis fidelium exemplis, XI. inq; calamitatibus sustinendis intueri sedulo vult Christianos supremum Ducem JESUM CHRISTUM, præcepta & promissiones DEI memori mente tenere, sese mutuo confortare, ne iram DEI incurrant & experiantur, sed ut potius ei serviant cum verecundia & timore, XII. proximoque inserviant, Ducum insuper seu Doctorum suorum recordentur, eosq; imitentur in fide, vita & morte. XIII. Quia vero tota temporum Oeconomia, &, ut *Braunius* recte judicat in præfat. Commentarii sui, *tota Veteris & Novi Test. Theologia in sola hac Epistola continetur, totumque ad animarum salutem consilium DEI*, non ingratum fore pio Lectori confido, si ejus succinctam Paraphrasin, Analysin & Exegesin, Anno 1700. editam, sed paucis lectam, ne forte pereat, hic subjicere.

Ejus analysis & paraphrasis.

Cap. I.

Doctrina Evangelii constanti fide retinenda, quia eam Deus per Filium ἐσχάτον ultimum elocutus est.

CAP. I. *Vers. 1.* Ad vos dum scribo, Hebræi, non possum non ante omnia in memoriam vobis revocare maximum & saluberrimum beneficium DEI, vobis in revelatione Evangelii exhibitum. Non ignoratis, *DEVM illum* verum Israëlis & Patrem Domini nostri J. C. pro benevola sua in miseros homines voluntate, iis sese revelasse, & consilium de salute ac Redemtione nobis cumprimis, quos præ omnibus Gentibus nationibusque in peculium sibi elegit, patefeciisse; ita quidem, ut jam *olim*, & antiquissimis retrò temporibus, per multos seculorum decursus, *multis vicibus*, per gradus, & partes quasi distributas, occasiones, circumstantiasque diversas, *multis* itidem *modis*, ac mediis, nunc in visionibus, nunc in somniis, nunc in ænigmate, nunc aperte, nunc in nube, nunc per Urim & Thummim, nunc alia atque alia specie, *locutus* ipse sit, sive per instinctum & sermonem internum, s. per vocem exterius formatam, aut alia aliqua ratione, quam variam multiplicemque fuisse, ex divinis oraculis cognitum satis perspectumque habetis, cum de omnibus creditu factuque necessariis, tum maxime

Num. 12, 6. seqq. Os. 12, 11.

ximè de Christo Sponsore, Pontifice & Mediatore, *ad Patres* Hebr. 1.
vel Majores nostros, non tantum per Angelos, aut ἀντοπροσώπως,
ut Patriarchis se manifestavit, sed, ut sese placide demitteret
& attemperaret infirmitati nostræ, *per Prophetas*, homines no-
bis quidem ὁμοιοπαθεῖς, sed illuminatos à Spiritu S. actos edo-
ctosque, inde à Mose usque ad Malachiam, quorum omnium Luc. 1. 70.
unum quasi os & unum testimonium fuit de JESU, & remissio- Act. 10. 43.
ne peccatorum salute; in ipsius nomine per fidem obtinenda:
ut adeo nil quicquam defuerit nobis ad intelligendam & perdi-
scendam voluntatem & Oeconomiam DEI gratiosam. At
hic non substitit φιλανθρωπία Patris cœlestis, sed amplius illu-
striusque eluxit in eo, quod tandem, postquam plenum tem-
pus advenit, *ultimis hisce diebus*, de quibus sæpe Vates multa Gal. 4. 4.
prædixêre, Filium suum proprium, unigenum & unicum mi-
serit, ex muliere natum, *inque Filio* & per eum *locutus* sit, ac
audiendum commendaverit, tanquam digniorem longe & ex-
cellentiorem omnibus Prophetis, utpote cujus Spiritus in illis 1. Pet. 1. 11.
erat, & qui non internuncii tantum Legative vices sustinuerat,
sed ipse λόγος verbique salutaris autor extiterat, ejusdem cum
Patre essentiæ, potentiæ ac autoritatis. Quare tanto magis
attendenda observandaque tanti Doctoris effata sunt, quia ul-
timum DEUS in eo locutus nobis est, & quidem luculentissime
atque plenissime, quoad omnes & singulas partes, simul & se-
mel, non πολυμερῶς, ut olim, nec πολυτρόπως, tot modis, etiam
obscuris, ut in N. T. sed plane, & perspicue, aperte, familia-
riter & per parabolas. Quum igitur hinc intelligere possimus,
non minorem, imo majorem nobis posteris, postremis hisce
temporibus, gratiam à DEO exhibitam esse, quam Majoribus
nostris, necesse est, attendere diligentissime audita, ac omni
cura prospicere, ne tantam salutem negligamus, quæ ab ipso
Domino JESU, sumto ejus eloquendæ initio, ab iis, qui audi-
verant, apud nos confirmata est. Cap. II. 3.

Hebr. I. Quem 1. constituit hæredem omnium, juxta H. N.

Vers. II. Atque ut eo melius clariusque Vobis constet, qualis ac quantus sit Dei Filius, cujus verba revereri & obsequiose excipere decet, paulo altius ejus naturam & characterem describam. Eum igitur Gigantem geminæ substantiæ esse scitote, &, qua homo est, subvectum etiam supra omnes; nam Pater illum *constituit hæredem & herum omnium.* Quæ dignitas sane nulli homini, nulli Angelo competere potest; bene autem Filio DEI, qui in assumta carne, & secundum humanam naturam, Dominus omnium & DEUS est, adeoque & hæres in tempore, ut fuit secundum Deitatem ab æterno. Quod vel ex Davidis hymno II. colligere potestis, ubi non tantum Gentes, sed termini quoque terræ Messiæ in hæreditatem cessisse & dati esse, à Patre dicuntur. Quare nil novi affero, sed id ipsum, quod Scriptura S. diserte affirmat, hocque eventu comprobatum in JESU est, ad dextram Majestatis exaltato; (Actor. II. 36. XIII. 32. 33.) Ex eo enim tempore hæreditatis plena administratione susceptâ, multis miraculis & operibus declaravit, se non decretum tantum & præordinatum, sed re ipsa constitutum hæredem omnium & immissum in plenarium hæreditatis usum ac universale exercitium esse, cujus jus atque possessionem inde à nativitate acceperat, (Luc. II. 11. Es. IX. 6.) Cum igitur hæres & Dominus proprietarius, absolutus & eminens constitutus sit Filius DEI ὑπαρχος, secundum H. N. omnium omnino eorum, quæ Pater habet, Joh. XVI. 15. in cœlo & in terra, Matth. XXVIII. 18. ac speciatim hominum, Hebræorum æque ac Græcorum s. Gentium, secundum promissiones & benedictiones Patriarchis & Majoribus olim in V. T. datas quamplurimas, (Gen. XII. 3. XXII. 81.) non est, cur vos, Hebræi, miremini, Gentes etiam in sortem regni ascitas & admissas esse, ac Messiæ obtemperare, aut alium exspectetis Christum, qui terram Canaan hæreditario jure occupaturus & vos in libertatem vindicaturus sit; nam & Gentes ipsi adhærere & obedire debent,

debent, Gen. 49, 10. (לו יקהת עמים) Phil. II. 9. 10. 11. & Universi Dominus est. Imo tanto magis nos attendere decet, ne, si tantam salutem, partam donatamque nobis in Christo, insuper habeamus, hæreditate atque libertate cœlesti excidamus; quia non tantum qua homo novissimis temporibus evectus est super omnia, sed jam ab æterno Auctor & Dominus extitit omnium, imo ideo hæres omnium constitutus est, quia jure creationis & originariæ proprietatis cuncta ad ipsum pertinuerunt, atque adeo Divinitatis ejus indicia & multa & maxima sunt, quæ etiam magis trahere nos ad obsequium debent. Etenim DEUS Pater *per eum*, tanquam personam à se distinctam, ad declarandum ordinem, qui in SS. Trinitate est, nequaquam vero velut ministrum aut instrumentum, cum ejus mentio nullibi in Historia Creationis fiat, nec organo opus DEO fuerit, *secula* omnia, sive mundos, XI. 3. & quæcunque unquam initium acceperunt, extiterunt & extant, sive visibilia sint, sive invisibilia, Colos. I. 16. *fecit*; ut sine ipso factum sit nihil, quod factum est, Joh. I. 3. Atque hinc facile colligi potest, eum esse Verbum illud hypostaticum, per quod in principio cœlum & terra creata sunt, creatorem & factorem omnium, αἰώνιον, & ἄϊδιον, æternum, æterna & infinita potentia præditum, cui obtemperare, & gratias agere, quem glorificare omnes debent. Conf. ℣. 10.

Hebr. I.

2. *per quem secula fecit.*

Vers. III. Neque mirum videri debet, quod per Filium Pater & cum eo secula condiderit; est enim Filius ejusdem cum Patre naturæ, majestatis & potentiæ, (ὢν) *existens* & manens semper immutabiliterque *resplendescentia gloriæ illius* vel lucis, quæ in Patre & ipse Pater est, à quo per æternam generationem, ceu Lumen de Lumine, prodiit, Sap. VII. 25. 26. adeoque Lux vera, Joh. I. 5. 8. 9. & verus DEUS, coæternus, ὁμοούσιος, immutabilis, purus & sanctus, atque à Patre inseparabilis est: unde qui Filium videt, etiam Patrem Joh. XIV. 9. videt; quia Filius

3. *Qui est ejusdem cum Patre naturæ, Gloriæ, Majestatis.*

Hebr. 1. est expressa divinitatis, gloriæ & Majestatis paternæ imago, Patrem totum in se ipso repræsentans, eumque quasi producens in apertam lucem, Joh. I. 18. Quare etiam eodem Majestatis, gloriæ honorisque cultu prosequendus est cum Patre, & in Veteri æque ac Novo Testamento Gloria ejus conspecta & adorata fuit, (Jes. VI. 3. Joh. XII. 41.) quia Angelus facierum DEI, Es. 63, 9. & ipsa DEI facies ac Gloria passim appellatur, Exod. XXXIII. 14. 15. 18. Unde colligi facile potest, Filium non qualitercunque repræsentare Patrem, aut evanescentem esse imaginem, sicut species in speculo corporis resplendens est εἰκὼν evanescens, Jac. I. 21. 22. sed esse imaginem vivam DEI invisibilis Col. I. 15. per quem Pater clare videtur, ut Sol per parhelium. Eam ob causam, ut clarius quodammodo hoc mysterium exprimam, dico, eundem Filium esse χαρακτῆρα *expressam imaginem* (ὑποστάσεως) *Personæ Patris*, ut accuratissime exactissimeque eam referat, longe melius exactiusque, quam v. g. numus matricem, aut sigillum ceræ impressum, archetypum exprimit, aut character mentis, qui perfectissimis est inter characteres, quando personam hominis accuratissime concipit, & exprimit. Characterem vero Patris Filium dico ratione personæ, secundum quam à Patre quidem est distinctus & tamen Patrem distinctissime & clarissime refert, imo ejusdem cum Patre essentiæ est, quemadmodum priore nomine indicavi. In filio igitur & per eum Patrem videmus, retecta facie, velut in speculo, 2. Cor. III. 18. quod in V. T. fieri non poterat. Hæc si abstrusiora videntur, aliis argumentis docebo divinitatem, forte luculentioribus. Cogitate ergo Patrem cœlestem inde agnosci DEUM, quod cuncta, quæ creavit, conservet ac moderetur potentissime. Jam idem Filius facit, qui non tantum, quod paulo ante asserui, secula & hoc universum fecit, sed & portavit olim, (Es. 63, 9.) ac etiamnum semper *portat omnia* omnino illa, quorum hæres & Creator est, instar Atlantis, ut con-

& potentia.

conſervet, ne corruant, gubernet & moderetur *verbo potentiæ ſuæ* propriæ, & infinitæ, liberrime atque facillime. Quare ejusdem non tantum eſſentiæ, ſed potentiæ etiam cum Patre ac verus DEUS erit. Idem vero etiam ex opere Redemtionis liquet. Siquidem unus & ſolus *per ſemetipſum*, non per ſanguinem beſtiarum, ut in V. T. Sacerdotes fecêre variis luſtrationum generibus, ſed proprium ſanguinem, ac propria divina virtute (Eſ. 44, 24.) *purgationem fecit*, feliciterque in plenum & exoptatum effectum deduxit, quod adumbratum tot Leviticis expiationibus fuit, in aſſumta carne, *peccatorum* omnium, & originalis & actualium, quantacunque & cujuscunque generis illa ſint, omnium etiam hominum. Quæ facere ipſum potuiſſe, nemo dubitabit, qui divinam perſonæ dignitatem & potentiam pie cogitabit. Tametſi vero humile abjectumque id videatur, tamen & ſalutis oeconomia id poſtulavit, & poſteaquam DEUS Deique Filius proprio ſanguine Eccleſiam acquiſivit, (Act. 20, 28.) tantam ſibi hoc opere paravit gloriam, ut major eſſe nequeat. Nam defunctus ea parte Sacerdotalis munersi, quæ in ſacrificio ſita eſt piaculari, redivivus ac reverſus in cœlum, *conſedit ad dextram Majeſtatis* divinæ & infinitæ, quæ *in altiſſimis* cœlis eſt, ac omnem celſitudinem tranſcendit, Eph. I. 20. 21. ut regnet perpetuo demonſtretque potentiſſime, quod hæres omnium & Dominus ſupremus Orbis & Eccleſiæ conſtitutus ſit.

Hebr. I.

Eſt Redemtor.

Conſedit ad dextram Majeſtatis div.

Verſ. IV. In hac ſeſſione ad dextram Majeſtatis, Chriſtus non tantum hominibus quibusvis excellentibus, quales fuerunt Patriarchæ & Prophetæ, ſed ipſis etiam *Angelis præſtantior* excellentiorque factus eſt, ſecundum humanam naturam, ac *tanto* inæſtimabiliter major cœleſtibus hiſce geniis evaſit, qui antea minor eis factus fuerat, dum purgationem fecit peccatorum noſtrorum, *quanto præ illis longe excellentius nomen*, & cum nomine rem ipſam, dona & ἀξιώματα divina & infinita

Qui Angelis excellentior a. ratione nominis.

Hebr. I. finita consecutus est & *hæreditate accepit*, Nomen videlicet *Filii*, ut mox ostendam, quod simulac in utero Matris Virginis humanam Naturam assumsit, Luc. I. 35. hæreditavit, tametsi dignitas ista, quæ vi hujus nominis sequi debuit, in statu exinanitionis conspecta non fuerit, sed in exaltatione, quando ad dextram Majestatis consedit Christus, demum se exseruit atq; exserere debuit. (Conf. Ephes. I. 20. 21. Phil. II. 9.) In placitis Majorum vestrorum est, Messiam non tantum evehendum esse supra Abrahamum & Mosen, sed etiam משרתי מלאכי Angelos ministratorios. Quod effatum sicut veritate aliqua nititur, ita illud ab omnibus pravis expositionibus repurgatum, discere ex me potestis, si, ut par est, firmiori sermoni Prophetico diligenter attenditis. Deprehendetis quippe Messiam non tantum qua DEUM, sed etiam qua hominem eminentiorem Angelis esse.

Quod prob. è Ps. 2, 7. *Vers. V.* Idcirco, ne, quod dixi, novum quid aut inusitatum Scripturæque incognitum videatur, luculentis testimoniis declarabo, Angelis longe excellentiorem esse Messiam. Ordiar autem ab ipso nomine *Filii*, quod tantum omnino est, ut, si in sua spectetur proprietate & ἐξοχῇ, Angelis non competat. *Cui enim*, obsecro, *Angelorum* omnium & Archangelorum quoque, quos בני אלהים Filios DEI vocari, non ignoro, *unquam dixit* in Scriptura, & speciatim in Hymno Davidis secundo, quem non de Davide sed de Messia intelligendum esse, negare haud potestis, quum talia ibi memorentur, quæ nequaquam in Davidem, vel ullum alium Regem & merum hominem quadrant, sed DEUS Pater ad Messiam dixit: *Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Videtis hic Patrem compellare Messiam, eumque in officio longe maximo supra omnem humanam sortem, vocare filium suum, secundum humanam quoq; Naturam, quam assumere debebat in tempore & assumsit, nec qualemcunque ob causam, vel improprie, quâ ratione largior, aliis

aliis quoque nomen Filii competere, sed vere ac proprie, cum ob ineffabilem generationem ab æterno factam, tum per & propter unionem personalem, cum à conceptione in utero hoc nomen statim hæreditaverit, licet hæreditas omnium post exinanitionem in exaltationis statu demum ad plenarium & haud interruptum usum subsequeretur. Jam, cum hoc nomen Filii, Christo qua homini datum, infinitum & supra omne nomen sit, quod nominatur non solum in hoc, verum etiam futuro seculo, infinitam quoque gloriam requirit, quæ in exaltatione se exseruit. Neque vero unus & solus est hic locus, in quo id legitur, sed similem alium etiam profero. Nostis è Samuel. libro posteriore Cap. VII. 14. quam illustre ibi extet vaticinium de Messia, è Davide oriundo, qui domum DEI stabilem & perpetuam, nimirum Ecclesiam, sit ædificaturus, & æternum regnum erecturus, quodque de eo asserat DEUS: *ego ero ei Pater, & ipse mihi Filius erit.* Conf. Psalm. LXXXIX. 27. 28.

Hebr. 1.

Eph. I. 21. Phil. II. 9.

& 2. Sam. 7. 14.

Vers. VI. Quemadmodum igitur certum exploratumque habeo, non posse vel unum indicari locum, ubi alicui Angelorum nomen Filii à DEO Patre datum sit: ita contra probare facile possum, Angelis rem, quæ nomine Filii indigitatur, denegatam fuisse, adeoque nomen iis nec datum unquam esse, nec dari potuisse. *Quando* enim Pater *iterum* s. tertium post adducta loca, per præfictionem propheticam Psalmo XCVII. magnificis verbis *in Orbem introducit primogenitum*, cui πρωτοτοκον s. primæ partes merito debentur in omnibus, non tantum secundum divinam, sed etiam secundum humanam naturam (Col. I. 15. 18.) eum manifesto Angelis haud tantum præfert, tanquam Regem, Dominum & Judicem supremum ac glorioſissimum (v. 1. 5. 6.) sed etiam eos adorare jubet tanta dignitate omnes superantem, quando *dicit*: *adoranto eum omnes* אלהים *Dii.* Ubi per DEOS Angelos DEI intelligi, facile dabitis, qui scitis, vestros Interpretes LXX. Gr. diserte Angelos reddidisse, idque à majo-

β. *ratione dignitatis, quia adorandus ab Angelis,*

Ps. 97.

Hebr. I. majorum veſtrorum placitis non abhorrere. (Vid. è recentioribus etiam R. D. K. in Comēnt. h. l.) Quare ſenſum genuinum verborum ſic expreſſero: *adorent eum omnes* omnino *Angeli DEI*, etiam qui Principatus, Dominatus & Throni inter eos ſunt. (Coloſ. I. 16.) Hinc igitur perſpicitis, quantum ſit nomen Filii, & Primogeniti, Chriſto datum donatumque & quanta inde colligantur ἀξιώματα. Conf. Phil. II. 9. ſeqq.

Quia Creator & Dominus eſt Angelorum.

Verſ. VII. Præterea, ut hanc Meſſiæ ab Angelis differentiam, & hujus præ illis præſtantiam plenius clariusque vobis oſtendam, reputate animis, quod *de Angelis quidem dicat Scriptura* S. vel David in Pſalmo CIV. 5. ubi de creatione Angelorum eorundemque præſtantia agit, *qui fecit Angelos ſuos ſpiritus*, ſive ſubſtantias ſpirituales, & *miniſtros ſuos*, illos ipſos Angelos, *ignis flammam*, ſ. ignem flammantem, ut ſint ſubſtantiæ lucis vel ignis præſtantiſſima & ſubtiliſſima, vicina divinæ & æternæ luci. Filius autem, non eſt factus & creatus ſecundum divinam naturam; ſed is, qui fecit Angelos ſpiritus, nec miniſter, ſed Dominus, lumen de lumine, non creatum, ignis conſumens, quem Angeli creatorem atque Dominum venerantur & adorant, ut modo audiviſtis. Præſtantiorem igitur longe Angelis eſſe, hinc facile colligitis. Et quanquam magna Angelorum potentia, velocitas & efficacia ſit, ceu ex ipſis vocibus conſtat, quando ſpiritus & ignis flammans vocantur; unde etiam throni, poteſtates & principatus dicuntur: infinite tamen præſtantior excellentiorque eſt Filius, quemadmodum nunc ex alio Davidis hymno declarabo.

Rex item æternus, juſtus &c.

Verſ. VIII. Quod autem ad Filium attinet, David in Epithalamio ſuo, quo Meſſiam ſecundum utramque naturam, quoad perſonam & officium deſcribit, depingit luculentiſſime, quod negare non poteſtis, inter alia his verbis eum compellat Pſal. XLV. 7. *Thronus tuus, ô DEVS*, &c. Quibus declarat aperte, Filium eſſe אלהים verum DEUM, eumque poſſidere thro-

thronum æternum, & communicatum habere ſecundum humanitatem, eſſe regem ſeculorum & æternum, quum duret *in ſecula ſeculorum*: *Sceptrum Regni* ejus, quo tanquam Rex in Majeſtate conſtitutus divina, ornatur & utitur Regnumque adminiſtrat, non eſſe ſceptrum vulgare, diſtortum aut imbecille, ut Regum in hoc ſeculo ſceptra eſſe interdum ſolent, ſed *ſceptrum rectitudinis*, ſive ipſam rectitudinem & æquitatem, immutabilem & in æternum ſibi conſtantem, juſtitiam divinam, quæ nil pravi aut tortuoſi habet, quam hominibus, qui rectitudinem juſtitiamque in Protoplaſtis connatam amiſerant, acquiſivit, donavit, & in regno Gratiæ per Verbum & Sacramenta hæc cœleſtia bona offert omnibus, Rom. XIV. 17. adeoque aperte declarat, præſtantiorem ſe Angelis eſſe, dum omnipotenter & omnipræſenter regnat, etiam ſecundum humanam naturam, non tantum inter fideles, ſed hoſtes quoque. Circa hunc thronum Angeli etiam, quos thronos alibi vocavi, Coloſ. 1, 16. tanquam famuli ſtant, juſſaque Domini exſpectant, quæ promte exſequuntur. *Hebr. 1.*

Verſ. IX. Facit hoc quoque ad excellentiam Filii demonſtrandam, quod eodem in Hymno David dicat ad Meſſiam: *Dilexiſti juſtitiam* &c. Quo innuit, eum non tantum juſtiſſimum eſſe, ſed juſtitiam quoque ita dilexiſſe, ut eam, per lapſum ab hominibus amiſſam, ex ſummo amore erga juſtitiam & noſtram ſalutem, impleverit (Matth. 3, 15.) agendo patiendoque acquiſiverit, & ipſemet juſtitia noſtra factus ſit, ac tanto *odio impietatem* & illegalitatem omnem, originalem pariter & actualem, *proſecutus* ſit, ut eandem expiaverit, aboleveritque in hominibus, quoad reatum & dominium. Hisque omnibus peractis, quæ ad regnum Gratiæ conſtituendum pertinebant, eum, qui *DEVS* verus fuit, adeoq; ſublimior omnibus Prophetis, Sacerdotibus & Regibus, in gloriam ingreſſum, pleneque immenſis ac infinitis Spiritus S. donis à DEO Patre unctum

Quia infinitis immenſisque donis unctus fuit.

Hebr. 1. unctum esse, ad satietatem lætitiarum omnium (Ps. XVI. ult.) *ultra consortes* suos quoscunque, sive homines sint, sive Angeli, cum antea, uta primo Unionis hypostaticæ momento unctus quidem etiam Spiritu S. fuerit, lætitia tamen in statu exinanitionis non comparuit, nunc autem ita effulsit, ut Spiritu lætitiæ in perpetuum fruatur, & ex ejus plenitudine omnes fideles omnia bona accipiant, præsertim gratiam cum spiritu gratiæ, Joh. 1, 16. & lætitiam Rom. 14, 17. Neque vero semel tantum dilexit justitiam & odio habuit omnem injustitiam, sed eadem adhuc illius est perpetua ac immutabilis voluntas, ut omnes aliam quam suam quærentes justitiam ac injuste agentes, puniat, veram autem justitiam sectantes & facientes (1. Joh. 3, 7.) diligat & præmiis afficiat.

Quia immutabilis est. Ps. 102, 26. seqq.

Vers. X. Etenim ad Filium quoque pertinet, quod dicit Scriptura Psal. CII. in quo Ecclesia & fideles desiderant adventum Messiæ, orantque, ut spiritualem Hierosolymam ædificet, & finem tandem captivitatis diuturnæ faciat: (vid. Dav. Kimchi h. l.) *Tu in principiis illis omnium rerum, ô Domine* DEUS, *terram* ex nihilo fecisti, eamque ita *fundasti*, ut quasi fundamentis & basibus immobilibus sustineatur, ac firma immobilisque reddita fuerit; imo *etiam manuum tuarum cœli sunt*, quæque in iis sunt, & arguunt, Te esse Creatorem omnipotentem cœli & terræ, ac his ipsis creaturis, quas incorruptibiles physici dicunt, imo Angelis longe præstantiorem & durabiliorem, etiam quoad carnem s. H. N. aliquando assumendam, cui æterna & independens duratio per unionem ineffabilem communicata fuit, quæque eam post exaltationem suam maxime exserit. (vid. Schmid. h. l.) Quia igitur Ecclesiam etiam fundasti, eandem cum membris suis conservabis, collapsam ædificabis ac firmabis, ut in ea perpetuo regnes, atque sic ostendas, Te non tantum regnum potentiæ stabilivisse, sed regnum Gratiæ & Gloriæ etiam sartum tectumque servare semper posse. Quare nihil

nihil est, Hebræi, ut interitum Ecclesiæ reformidetis. Immutabilis est Messias, etiam in promissis servandis & præstandis, modo vos immota cordis fiducia illi adhæreatis. *Hebr. I.*

Vers. XI. Expendite namque diligenter porro, quanta verborum efficacia Hieropsaltes exprimat hanc ipsam Filii DEI immutabilitatem atque æternitatem. *Illi*, inquit, *cæli*, ac multo magis etiam terra, *peribunt; Tu vero* stas & *permanes*, Rex perpetuus, sine ulla mutatione, licet tempora mutentur & homines in illis. Et cœli quidem *omnes, vestis instar*, quæ usu, attritu & vetustate corrumpi solet, *veterascent*.

Vers. XII. *Et velut indumentum*, quod propter vetustatem exui, convolvi & reponi quopiam in loco, aut abjici solet, *involves eos*, (ex LXX. Interp. Paulus habet ἑλίξεις, aut ex Jes. 34, 4.) in die magni judicii, quo glorioſe omnium Angelorum sanctorum comitatu instructus apparebis, & innovabis cuncta, & tum *mutabuntur*, ut novi fiant, (Es. 65, 17. c. 66, 22. 2. Pet. 3, 13. Apoc. 21, 1.) *Tu autem idem* semper *es* & permanes, *& anni tui*, quos homines tribuere tibi solent, quando durationem significare volunt, *non deficient*, non deficere, aut finiri unquam possunt, quum tibi ipsi & ad existendum & ad perdurandum semper sufficias.

Vers. XIII. Denique illam excellentiam Christi supra omnes Angelos declarat demonstratque omnipotens in omnes creaturas potestas & dominium eminens in omnes hostes, quod David in Psalmo CX. 1. luculenter expressit; ibi enim, quod negare non potestis, ad Filium dicit Pater: *sede à dextris meis* &c. *Cui* vero *Angelorum unquam* istud *dixit?* Nulli sane, neminem nominabitis Angelum, in quem quadret, multo minus hominem. Quantum enim, quæso, hoc est: *sede à dextris meis?* tantum profecto, ut nulla, quantumvis excellentissima creatura vel è Geniis cœlestibus, in illius communionem venire queat. Messias solus, exantlatis omnibus, quæ ad redem- *Quia ad dextram Patris consedit, & universale dominium obtinet.*

Hebr. I. tionem generis humani & devictionem hostium inferorum spectabant, evectus est, secundum humanitatem, ad divinam hanc dignitatem, ut ad dextram DEI Patris consideret, & cum eo regnaret omnipotenter atque omnipræsenter. Hoc Pater dixit ad Filium effecitque & actu demonstravit, quando Filium excitavit ex mortuis (Eph. I. 20.) & per ascensionem in cœlos dominium universale & æquale ipsi dedit, ita ut is cum Filio una eademque communi actione *positurus sit inimicos omnes scabellum pedum* suorum. Nec his peractis desinet Messias esse Rex, etiamsi regnandi actus ille, quo hostes subjiciuntur, & destruuntur, finem sortiatur, quando non supererit non subjectus. Hoc officium universalis, omnipotentis omnipræsentisq; Domini cum nullo ministerio conjunctum ac nemini Angelorum datum, constat, quippe qui non Domini sed ministri constituti à DEO sunt.

Etiam in Angelos. *Vers. XIV.* Quæro enim: *nonne Angeli omnes sunt etiam Spiritus ministratorii?* propter quod ministrandi officium Christo, qui etiam secundum H. N. Rex & Dominus omnium constitutus est, prout audivistis, longe inferiores sunt, cum non dominentur in medio hostium, sed *mittantur* potius a Christo Domino, non tantum ut jussa ejus capessant & exequantur, in subjiciendis puniendisque hostibus Ecclesiæ & Antichristis, sed etiam *in ministerium*, sive, ut præstent ministerium *propter eos, qui hæreditaturi sunt salutem*, & ingressuri regnum DEI gloriosum, cum Christus sit hæres omnium, v. 3. & autor salutis, infra Cap. V. 9. Tametsi vero etiam Filius missus sit à DEO Patre, non tamen missus est ut minister, aut inferior à superiori, sed tanquam æqualis Patri, coæternus, omnipotens &c. quemadmodum copiose hactenus & solide è sacrarum literarum monumentis demonstratum fuit.

Illatio ex anteced. CAP. II. *Vers. I.* Cum igitur ex hactenus dictis abunde satis constet, majorem excellentioremque esse Prophetis & Ange-

Angelis omnibus Filium DEI, Dominum noſtrum JESUM CHRISTUM, per quem DEUS ad nos locutus eſt in aſſumta humanitate, ultimis hiſce diebus, hinc omnino ſequitur & colligitur, quod propterea *eo magis* etiam *oporteat nos*, me æque ac vos omnes, *attendere* & obſervare quam diligentiſſime *ea quæ audita ſunt* à nobis, ex prædicatione Evangelii, ab illo ipſo Domino & DEO noſtro, J. C. facta, ejusque Apoſtolis, reputantes authorem cœlitus & antiquitus commendatum Devt. 18. Matth. 17, 5. ut cum obſequio & fide excipiamus illum & omnia illius dicta atque facta, materiam & finem Evangelii tam ſalutarem ſpectantes. Quæ omnia, quia ſæpius audita & inculcata ſunt, utique neceſſarium eſt, in animum admittere, penes nos ſemper habere & retinere, quo in tentationibus & perſecutionibus ſimus conſtantes & confidentes, & re ipſa totaq; vita oſtendamus, nos Evangelium ejusque inæſtimabiles theſauros non ſcire tantum, ſed & poſſidere, nec in verbo duntaxat id penes nos eſſe, ſed & in efficacia & in Spiritu S. & in multa gloriatione. Atque hoc quidem tanto magis omni cura animique intentione agendum eſt: quanto facilius obrepit ſomnolentia, aſtutia Satanæ & ſeductio mundi, ac quanto majus eſt periculum ex neglectu metuendum. Cavendum itaque, *ne quando*, ac ullo tempore & modo, *præterfluamus*, pleni rimarum ſimus, inſtar vaſorum perforatorum, quæ nil continent, aut præterfluere ſinamus audita, & pereamus inſtar aquarum effluentium, aut à portu ſalutis prætervehamur, ac ſalute excidamus. *Hebr. II,* *1. Theſ. I, 5.*

Verſ. II. Quæ quantaque damna & incommoda ex negligentia dictorum & auditorum promanent, dilucide oſtendam porro, comparationem inſtituendo inter Legem & Evangelium & inferendi inde arbitrium judiciumque vobis relinquendo. *Nam ſi ſermo illo* Legis à DEO ipſo quidem, ut noſtis, & merito ex Scripturis affirmatis, datus, *per Angelos* autem eorun- *Damnum ex neglectu orirundum, & majus quidem ac olim experti ſunt trans-*

Hebr. II. rundemque διαταγὰς & ministeria ordinata *dictus*, s. solenniter
gressores inter fulgura, tonitrua, buccinarum sonos, similia, ab An-
Legis. gelis excitata administrataque, promulgatus & publicatus, ut
Act. 7, 13. ab omni populo audiri ac cerni potuerit, *firmus* & ratus fuit,
Gal. 3, 19. tanquam pactum inter DEUM & Patres vestros initum, *ac* pro-
Exod. 20, inde *quælibet transgressio* præcepti cujuslibet, à quolibet homine
19. commissa, & *inobedientia* ex omissione neglectuve profecta,
Devt. V. *accepit*, inde ab eo tempore hucusq;, & accipiet porro *justam de-*
2. bitamq; *mercedis retributionem*, (per sanctionem Legis) sive
pœnam temporalem & æternam, nisi expiata & remissa fuerit.
Tametsi igitur non statim nec semper punirentur transgres-
res Legis, multa tamen extant in toto populo Israël. punitæ
transgressionis in singulis præceptis & inobedientiæ contra Le-
gem exempla illustria, quæ, utpote nota vobis, commemora-
re nihil attinet.

Ob revelationem Evangelii præstantiorem, utpote factam per ipsum Dominum, perque Apostolos propagatam.

Vers. III. Quod si igitur pœnas dederunt debitas trans-
gressores & prævaricatores Legis, per Angelos ministros & in-
ternuncios promulgatæ; *quomodo*, quæso, *nos effugere pote-*
rimus justam illam pœnæ retributionem? nulla sane ratione id
fiet: quin potius longe gravior nos manebit pœna, *si neglexe-*
rimus, & non, prout decet, atque paulo ante monui (v. 1.)
sollicite attenderimus *tantam*, tam evidentem, insignem, &
paratam uberrimam *salutem*, in Evangelio nobis omnibus obla-
tam, quæ tot tantisque Prophetarum oraculis prædicta & ex-
optata omnibus fidelibus fuit, ut Jacobo, (Gen. 49, 16.) Davidi
(Psalm. 119, 166.) & multis aliis Regibus atque Prophetis, *quæ*
hoc initium habuit, ut, non per Angelorum ordinationes, terri-
bili ratione, ad nos pervenerit, sed *per ipsum Dominum* nostrum
J. C. autorem principem, ac adeo Angelis longe eminentio-
rem, ceu superius docui, facta & *dicta sit* in assumta carne, cum
maxima humanitate, ut eum vos audire, contrectare & placi-
de cum illo colloqui potueritis. Neque minus firma & certa

hæc

hæc salutis prædicatio fuit, quam Legis promulgatio præsentibus Angelis facta; siquidem *& ab iis, qui audiverunt* immediate à Domino, Apostolis, testibus divinitus designatis, quique ab initio & spectatores, & administratores verbi fuerunt, *ad nos* usque, per aliquot annos, non unum duntaxat diem, ut in Legis promulgatione fiebat, *confirmata* & propagata ita *in nos sit*, ut stabilis manserit & perpetuo duret. *Hebr. II. Act. X. 41. Luc. I. 2. 1. Joh. I. 1. ff.*

Vers. IV. Quæ majestas promulgationis Evangelii, nec non divinæ ejusdem autoritatis & certitudinis, inde etiam elucet, quod *DEUS* ipse testatam illam salutis doctrinam *fecerit*, una cum Apostolis aliisque fidelibus, secundum promissionem suam, *signis* miraculosis & infallibilibus, aperte divinam præsentiam & operationem designantibus, & veritatem doctrinæ approbantibus, *prodigiis* item omnem potentiam & causam naturalem longe superantibus, inque admirationem & stuporem spectantes conjicientibus, & ad attentionem acceptionemque submissam rei confirmatæ inducentibus, *& variis virtutibus*, vim, efficaciam & potentiam cœlestem manifeste docentibus, *& distributionibus Spiritus Sancti*, s. donis diversis, ut linguarum, prophetiarum &c. ad salutem hominum largiter & liberrime concessis, *secundum voluntatem suam* benevolam & gratiosam, qua omnium hominum salutem omnibus modis quærit & promovet. Ex his cunctis itaque satis constat, totum hoc, quod agebatur in novissimis temporibus, non esse commentum humanum, sed divinum utique opus, atque eum, qui Evangelium prodidit, & tot tantisque testimoniis & argumentis confirmavit, primum ipse, deinde per Apostolos, non fuisse nudum hominem, vel Angelum, sed DEUM humano indutum corpore: Gratiam quoque & salutem tantam per Evangelium nobis contigisse, quanta non dari potuit ab Angelis, vel data est Angelis. *Miraculis confirmatam, Marc. 16, 17. seqq. Act. 2, 22. 1. Cor. 12, 4. 8. ff.*

Vers. V. Non enim Angelis subjecit orbem illum futurum, & Ma-

de jesta-

Hebr. II. *de quo loquimur*, quem magnæ salutis nomine indigitavimus, (℣. 3.) & quem vos avide exspectare novimus. Quanquam enim satis ampla sit illa salus, quod liberati è Satanæ & orci potestate purgatiq; sanguine Christi sumus: tamen porro illustrius illa elucebit, quando bonorum futuri seculi, quod עולם הבא vobis dicitur, Messias nos participes reddet, sive tempora ista redibunt, quibus omnia restituerentur, novum cœlum & nova terra creabitur. Hunc orbem futurum sane nuspiam Angelis subjectum legimus, sed Christo, etiam quoad humanam naturam, subjectum iri, non uno in loco legitur & innuitur, qui propterea אבי עד Pater & auctor futuri seculi vocatur Jes. IX. 6. quia hoc beatum & aureum seculum hominibus & perperit & dabit, ut illis quoque omnia subjiciantur & cum ipso regnent, tanquam filii τῦ αἰῶνος ἐκείνε. Ad quam dignitatem Angeli nunquam evecti sunt, cum eorum semen Filius non assumserit, sed homines in Christo. Quare homines etiam attendere sollicite debent, ne tantam salutem negligant eaque excidant, sed ejus potius in futuro seculo participes fiant. Quod si illam neglexerint, non poterunt effugere pœnas, quas rigidius expetet Christus, cui mundus futurus subjectus est, quam Angeli fecerunt, aut facere potuerunt; quippe quos multa peccata latuerunt, illum vero nulla prorsus fugiunt.

tem Christi, cui orbis futurus subjectus.

Act. III. 21. Jes. 65, 17. 66, 22.

Luc. 20, 35.

Quemadmodum ex Psal. 8. constat.

Vers. VI. Christo autem, & in eo humanæ naturæ orbem istum futurum subjiciendum esse, jam evidenter probabo, vel uno loco, satis vobis in lectione Scripturarum, cumprimis Psalmorum, versatis, noto. *Gravissime enim quasi interpositis testibus denunciat*, & in vim juramenti hoc confirmat alicubi aliquis θεόπνευστος author, *dicens: quid est homo, ut ejus memineris, aut filius hominis, ut visites ipsum?* Ubi non poteritis negare, sermonem de Messia esse, qui licet Filius DEI sit & verus DEUS, ut copiose superius demonstravi, tamen etiam verus homo est, atque adeo secundum humanam naturam in se spe-

spectatam, inferior longe Angelis est, & tamen non Angelis subjectum iri orbem illum futurum his verbis significatur, sed homini Messiæ. Quod merito in admirationem rapuit Davidem, cum lumine Spiritus sancti colluſtratus id pia mente secum expenderet, & in hæc verba prorumperet: *quid est homo ille miser* & nobis per omnia similis, (אנוש) ceu externo habitu in vita & morte videtur esse, *quod ejus* ita *memor fueris*, ô Pater cœlestis, *ut* tandem *ei omnia subjeceris*, tanquam Regi & Domino supremo, & tam gratiose illum hominis Filium *visitaveris*, ut tanto honore & gloria eum condecorares? Hoc omne pro sapientia & misericordia tua ineffabili feciſti ad gloriam tuam & hominum salutem, quæ proinde quanta sit, hinc evidenter colligitur. *Hebr. II.*

Vers. VII. Minorem quidem *eum* hominem & filium hominis *feciſti per breve* & exiguum temporis *spacium*, in statu exinanitionis, quo gloriam & majestatem divinam, quam secundum humanam naturam acceperat in ipso incarnationis momento per unionem personalem, deponere & plenario ejus usu abstinere debuit, ut Redemtionis opus rite perficeret, *infra Angelos*, & ipse etiam assumpta servili forma se ipsum adeo diminuit & dejecit, ut obediens fuerit usque ad mortem, ac Angelo confortatore in graviſſimis perpessionibus indiguerit: *sed gloria* divina prorsus & immensa majestate, *atque honore* summo, non intermedio quodam inter Angelicum statum & divinum, qualem nuspiam legimus, *coronaſti eum*, tanquam victorem & triumphatorem, adeo ut adorari etiam ab Angelis debuerit, quemadmodum suo supra loco asseruimus, *& constituiſti* eum Regem ac Dominum (תמשילהו) *super opera* omnia *manuum tuarum*, ut actu & ratione exercitii regnum summum administraret, omnipotenter & omnipræsenter. *Quia ex parte impletus est,*

Vers. VIII. Omnia, sive visibilia sive invisibilia, in hoc & futuro seculo, *subjeciſti pedibus ejus*, in signum pleni Dominii *Phil. II. Joh. 17, 5.*

& porro implebitur.

Hebr. II. planeque divini. *Etenim omnia ei subjiciendo, nihil reliquit ei non subjectum*, præter se, qui ei subjecit omnia. Quod vaticinium nondum ex omni parte perfectum est. *Nunc* enim in hoc seculo præsente, & quousque hic mundus durabit, *nondum videmus*, cognoscimus aut intelligimus, vel ex Scriptura, vel experientia, *illi subjecta esse omnia.* Mundus quippe & maxima Orbis pars nondum obsequium subjectionemque præstat Christo, sed rebellant adhuc impii & diabolo potius parent. Ecclesia etiam conflictatur hodienum cum hostibus, & persecutionibus diris vexatur. Quare necesse est, ut in futuro seculo ei omnia subjiciantur. Unde toti orbi innotescet, quanta sit & Christi gloria, & fidelium salus, qui coronas è manu Regis sui accipient & cum ipso in secula regnabunt. Hæc sane movere cunctos debebant, ut promtis obsequiosisque animis se tanto Domino nunc subjicerent, ne inviti coactique experiri ejus iram & pœnam in futuro seculo, necesse sit.

Passio C. & mors Christi non impedit gloriam, sed est via ad eam.

Vers. IX. Quanquam vero nondum omnia impleta, quæ ad Gloriam honoremque Christi faciunt, sed in futuro seculo expectanda sint; negari tamen nequit, quædam esse perfecta. *Illum* enim, quem dixit Psalmus *ad breve* quoddam tempus *infra Angelos minorem redditum*, *nempe JESVM*, salutis tantæ, quantam deprædicavi hactenus, autorem, Optimum, Maximum, *videmus* atque cognoscimus *per perpessionem mortis gloria & honore coronatum*, & hac via ingressum esse in gloriam, per resurrectionem, apparitiones post resurrectionem, ascensionem in cœlos, sessionem ad dextram DEI, effusionem Spiritus Sancti miraculosam, confirmationem Doctrinæ salutis per signa & prodigia &c. Quæ sane omnia luculenter edocent maximam ejus gloriam, ut licet Angelis inferior in passione factus fuerit, quippe qui nullis perpessionibus nec morti obnoxii sunt: nunc tamen iis longe superior sit, undique cinctus gloria & honore. Illæ ipsæ autem afflictiones, quas sustinuit JESUS,

Luc. 24, 26.

SUS, nequaquam ignominiæ cedunt ei, quum non sua sed nostræ salutis causa illas subierit, & exantlaverit, *ut*, pro voluntate benevola, & *gratia DEI* Patris, qua saluti nostræ consulere voluit, *pro unoquoque* s. *omnibus* & singulis hominibus *mortem*, non temporalem tantum sed & spiritualem, quam nos totam cum omnibus ejus malis & adjunctis recipere debebamus, sentiret & experiretur; quam tamen superavit & destruxit, atque adeo tanquam victor merito coronatus est, nosque ad immortalitatis & gloriæ consortium evexit. *Hebr. II.*

Vers. X. Hoc ita factum esse, nolite mirari, aut in dubium vocare, Hebræi! Imo aliter fieri non docuisse nec potuisse, persuasissimum habetote. *Decebat enim eum*, visumque justum atque maxime necessarium erat DEO Patri, *propter quem omnia & per quem omnia sunt*, non committere, ut perirent ista, sed prospicere potius creaturis suis, præsertim rationalibus, easque reducere ad salutem, ad quam illas condiderat. Jam, cum pro gratia & sapientia sua DEUS & Pater noster per Filium decrevisset tam salutare humano generi, in peccata prolapso & perdito, opus perficere, justum hoc ipsi & decens videbatur & erat, ut, *qui adducturus esset ex* φιλανθρωπίᾳ & benignitate sua non unum alterumve, aut paucos, sed *multos*, ac tam multos quidem, quam multi sunt omnes homines, pro quibus mortem gustavit JESUS, *filios*, id est, nomine, titulo & jure filiorum, non ex sua dignitate aut meritis, *in gloriam* hæreditatis æternæ, *Ducem* & authorem tantæ tamque gloriosæ *ipsorum salutis, per passiones* & cruciatus varios, ac ipsam denique mortem, *consecrare*, ceu Sacerdotem & sacrificium perfectissimum atque omnibus numeris absolutum, & *consummare* tandem gloria perfectioneque infinita. Hic ordo sane decentissimus & convenientissimus fuit divinæ gratiæ, justitiæ & sapientiæ, ut, qui aliis omnibus salutis ac gloriæ Dux & autor extitit, ipse perfectis omnibus rebus, ad summam gloriam eveheretur, ac ei omnia subjicerentur. *necessaria & nobis salutaria.*

Hebr. 11. divinitus ordinata,

Verſ. XI. Cur ita decuerit fieri, ut dixi, hæc etiam ratio eſt: *Nam qui ſanctificat*, JESUS, & קדוש ישראל Sanctus Iſraëlis toties in V. T. appellatur, & ab eo *ſanctificati* homines, ſanctitate inprimis imputata, & deinde ſubjectiva, *ex uno omnes* ſunt & eſſe debent, DEO ſc. tanquam filii in gloriam introducendi, quam nemo non ſanctus intrabit. Hanc ſanctitatem, quam olim habuimus in imagine DEI creati, ſed per lapſum amiſimus, unigenitus & naturalis DEI Filius nobis acquirere & donare debuit, ut divinæ naturæ participes redditi ex DEO ad DEUM venire ejusque gloria frui potuerimus, nati ex DEO & Filii DEI adoptivi facti. Unde mutua quædam eſt & eſſe debuit inter Sanctificantem & Sanctificatos participatio, ut nos Chriſto & ille nobis fieret ſimilis. *Propter quam cauſam non erubeſcit* ille ſanctificans ſanctificatos *fratres ſuos appellare.*

& prædicta Pſal. 22.

Verſ. XII. Dicens in Hymno Davidis XXII. quem illuſtre admodum de Meſſia ejusque paſſione & morte, qua ſanctificavit & purificavit nos & Filiationis jus nobis recuperavit, de liberatione item ex morte & beneficiis plurimis exhibitis, teſtimonium continere noſtis, & inficiari non poteſtis: *Annunciabo* ſ. enarrabo numeratim, ſigillatim & ſedulo *nomen tuum* ſanctiſſimum, & quicquid de Te tuaque voluntate benevola nomen nari poteſt, ut ſanctificetur ubique, *fratribus meis*, ut & ipſi in veritate ſanctificentur, (Joh. 17, 19.) *in medio Eccleſiæ celebrabo te*, ubicunque congregati homines fuerint ad te laudandum & evehendum. Quæ impleta in JESU ſunt, quando non tantum ipſe ante & poſt reſurrectionem nomen Patris ſui in Synagogis, in Templo, in ædibus privatis, in monte, navi &c. publice privatimq; prædicavit & collaudavit; ſed etiam per Apoſtolos, quos fratrum nomine non ſemel compellavit, (Matth. 28, 10. Joh. 20, 17.) congregavit, myſteria regni cœlorum ipſis expoſuit (Act. I. 3. 4.) & omnibus gentibus exponi juſſit, ut inter illas enim DEUS celebraretur, (Pſal. 18, 50. Rom. 15, 9. &c) &

& nomen DEI sanctificaretur. Quod cum nondum à cunctis nationibus fiat, & reliquæ sanctificandæ Deoque Patri à Duce Salutis adducendæ atque subjiciendæ sunt, (conf. Phil. II. 11.) ut omnes ex uno & unum fiant, (Joh. 17, 11.) *Hebr. II.*

Vers. XIII. Idemque iterum alibi non semel sed sæpius dicit: *confidam ego illi*, Patri meo cœlesti, qui me misit ad Redemtionis & Sanctificationis opus peragendum; cum enim eo ordinante & volente id faciam, mortemque pro omnibus gustem, fretus illius ope, πεποιθὼς εἰμὴ, certus securusque sum, de auxilio non tantum potenti, sed etiam eventu felici. Hominum quippe, quos ad salutem pervenire cupis, gratia, me sanctifico, consecro & ceu victimam piacularem, sanctam immaculatamque, mactandum offero, ut & illi sanctificentur. Cognita vobis sunt, Hebræis, ejusmodi loca, quibus fiduciam erga DEUM exprimit Messias, ut Psal. XVI. 1. ff. XVIII. 3. 2. Sam. XXII. 3. Es. VIII. 17. ac una docet, ita similes nos ipsi esse, non tantum origine & natura, utpote fratres ejus, sed etiam confidentia in perpessionibus, imo se intercessione quoque fiduciali apud patrem adesse nobis & certissimos nos de futuræ gloriæ adeptione facere, per Spiritum S. qui Spiritus est adoptionis & gloriæ. Cumprimis autem diligenter expendi velim à vobis verba illa Jesaiæ VIII. ubi Messias, quem tanquam Dominum DEUM exercituum sanctificandum & timendum, & in sanctuarium futurum, prædixerat Propheta ℣. 13. 14. ita loquens introducitur: *ego confidam ipsi* DEO Patri, qui occultavit faciem suam à domo Jacobi, offensa humilitate mea, & propterea ex justo DEI judicio rejecta ad tempus, *confidam* inquam, *ipsi*, cum sciam, fore, ut iterum aliquando sanctificentur & convertantur, ac dicere queam: *ecce ego & filii, quos mihi dedit Dominus*, ut eos sanctificem totos corpore & anima, (conf. Joh. XVII. 6. ff.) ac tales sistam tibi, (Ephes. V. 27. 1. Cor. XV. 24.) Hinc perspicitis, Filium DEI, Sanctificatorem, *& alibi in Scriptura S.* Joh. 17, 19.

Hebr. II. rem, Goëlem & Redemtorem accepisse genus humanum à Patre sanctificandum, & in hoc opere confidenti animo victoriam sibi pollicitum, cum hominibus in communionem naturæ veniisse, eos fratres & filios suos appellasse, adeoq; ex uno omnes esse, & eum, qui sanctificat & qui sanctificantur. (Conf. Jes. XLI. 14. XLIII. 11.) Hominum igitur causam Christus suam facere debuit, & fecit, tanquam Goël & Immanuel, quia Dominus & Frater noster est, ac hanc ob causam verus homo & filius hominis fieri debet.

Eum in finem incarnari debuit, ut similis nobis esset, & nos e potestate diaboli, morte,

Vers. XIV. Quandoquidem ergo Messias, ut ex veteris Testam. oraculis hactenus adductis liquet, Immanuel, & Frater noster esse debuit & dictus est, ac nos similes sibi facere voluit, hinc, *sicut pueri carnis & sanguinis*, sive humanæ naturæ & substantiæ, vere per generationem, una cum anima rationali, & infirmitatum quoque, (quæ per בשר ודם exprimere soletis) *participes facti sunt, ille ipse quoq;* æterni Patris Filius & character personæ ejus, *similiter participem seipsum fecit eorum*, assumendo nimirum in hypostasin suam humanam naturam, cum infirmitatibus non peccaminosis, hunc in finem, *ut* facere ac pati posset omnia pro nobis, ac ita tandem, omnibus iis, quæ præstanda erant, exantlatis, per *mortem* suam victoriosam & satisfactoriam, utpote quam pro omnibus gustavit, *aboleret* & destrueret, in nobis & extra nos, *eum, qui mortis*, tam temporalis quam æternæ, *potestatem habebat* sibique arrogabat propter peccata, quibus utramque mortem contraxerunt & in se derivarunt homines, *id est, Diabolum*, accusantem nos quotidie, pœnam à DEO expetentem & tyrannice exercentem; ita, quod mirandum omnino est, Diabolus, qui per mortem olim vicerat, per eandem victus fuit, prædicente Domino in Paradiso, Gen. III. 15. Unde quanta sit Christi potestas, & quanta mortis illius vis, intelligi datur, non sane tantum humana, nec Angelica, sed divina prorsus & invicta, ac proinde humanæ natu-

naturæ, quæ victorioſam mortem ſuſtinuit, divina idiomata communicata oportuit. Nihil ergo metuendum ampliuseſt hominibus, qui fructus incarnationis, paſſionis & mortis Chriſti participes fiunt. Nihil eos ſeparabit ab amore DEI, qui eſt in C. J. Domino noſtro, neq; anguſtiæ, neq; vexationes aut perſecutiones, ac ne mors quidem (Rom. VIII. 35. ſſ.) temporalis, cujus vis ſublata fuit, ut ab morte teneri nequeamus, quemadmodum impoſſibile fuit Chriſtum ab illa teneri, Actor. II. 24. *Hebr. I.*

Verſ. XV. Quod quantum beneficium ſit Chriſti Goëlis & Vindicis, uberius declarabo. Eam enim ob cauſam hominum naturam induit, non tantum ut deſtrueret regnum Satanæ ejusque poteſtatem infringeret; ſed *etiam* ut reconciliaret & rite pleneque reconciliatos, (conf. Col. I. 20. 21.) ſive redemtos dimitteret libertatique reſtitueret *eos, quotquot metui mortis*, ſemper imminentis, & ex lege incumbentis propter peccata, *per totam vitam obnoxii* ſubjectique erant *ſervituti* peccati & Diaboli, ut nil exſpectare aliud poſſent miſeri homunciones, niſi ut per mortem temporalem ad æternam præcipitarentur. Non ergo tantum à morte ipſa ſed & metu mortis, qui ſæpe terribilior eſt morte, liberavit nos Filius DEI incarnatus, & hanc ipſam ob cauſam carnis & ſanguinis participem ſe fecit, ut nos hujus beneficii participes faceret. *ac metu mortis liberatus.*

Verſ. XVI. Hoc ipſum, quod hactenus dixi, de magno pietatis myſterio, toties probat & declarat Scriptura S. quoties ſeminis Abrahæ promiſſi meminit. *Non enim ſane uſquam* legitur in ſacris literis, quod *Angelos aſſumſerit*, aut ulli eorum hoc honoris beneficiiq; tribuere voluerit Meſſias, ut illius aſſumta natura frater ei fieret; *ſed ſemen Abrahæ* Meſſiam *aſſumturum* & futurum, plurimis in locis, vobis ſatis cognitis, perſcriptum extat. Ejusmodi promiſſiones impletas in JEſu videtis; quandoquidem ſemen Abrahæ ita *aſſumſit*, ut ex Abrahamidæ virginis ſemine ſanctificato conceptus, carnis & ſanguinis una cū anima *tanquam ſemen Abrahæ promiſſum.*

par-

Hebr. II. particeps factus, verus perfectusque homo & filius Abrahæ natus fuerit, ut Goëlis jure vindicare & in libertatem asserere homines posset. Quæ immensa fuit charitas erga genus humanum, quod Filius DEI fugientem & procul à se abeuntem humanam naturam insectatus quasi & adeptus sit, eandemque firmissime apprehenderit & sibi univerit, ut nunquam deposuerit, aut deponere velit.

Patri reconciliaret, & sibi similes faceret.

Vers. XVII. Unde, si Filius DEI non debuit Angelos assumere, nec potuit in iis assumtis nos liberare per mortem à morte, sed necesse fuit, semen Abrahæ assumere, inde omnino sequitur, quod *debuerit*, requirente ita justitia & voluntate divina, & miseria nostra, *per omnia* reliqua, juxta naturam, de qua dixi satis, humilia scilicet & infirmitates, hominibus omnibus, quos fratres appellat, *similis fieri*, ut, sicut nos revera infirmi, humiles, tentationibus & morti obnoxii sumus, ipse quoque humilis, perpessionibus & morti obnoxius fuerit, nimirum *eum in finem*, quem quidem indicavi hactenus non semel, hic tamē repetere denuo & pluribus verbis explicare visum est, *ut esset misericors*, sentiret miseriam nostram, eoque majori συμπαθείᾳ erga nos afficeretur, & cum effectu perfecte nostrùm misereretur, & apud Patrem flagrantius pro nobis intercederet, *atque fidelis Pontifex*, præstando & rata faciendo pollicita, homines consanguineos, & fidei suæ commissos non deserendo, sed salutem eorum fideliter promovendo & exsequendo cuncta, *quæ* apud vel *inter DEVM* & homines agenda *erant*, ita quidem, ut sacrificio oblato placaret DEUM ob peccata iratum, & *expiaret peccata populi* sibi dati, sive totum genus humanum, cui

Lev. 16. similis factus est, non ut sumus Sacerdos Vet. Test. qui saltem populum Judaicum universum in solenni expiationis die DEO placavit certo sacrificii genere, quod Messiam respiciebat. Maximam igitur misericordiam & fidem Christi erga genus humanum fuisse hinc liquet, quod non tantum summi Sacerdotis

dotis munia expleverit, victimas alienas pro eo offerendo, sed quod semetipsum hostiam piacularem dederit, & etiamnum miseria nostra tangatur, eaque tactus subveniat miseris. *Hebr. III,*

Vers. XVIII. Nam in eo omni, *in quo passus est ipse* & pati debuit, varie *tentatus*, inde à principio vitæ usque ad finem ministerii publici, à DEO, Satana, & mundo, *potest* omnibus in casibus, experientia edoctus, & vult etiam pro misericordia & fide sua, *tentatis* hominibus s. fratribus omnibus, *succurrere*, cum Spiritus S. gratia, tum intercessionis efficacia & præsenti omnipotentique ope. Novit quippe non solum ut DEUS, sed etiam ut homo, omnes afflictiones & tentationes, sed potest etiam ex iis eripere, & eripit cunctos ad ipsum se recipientes. *tentatisq; succurreret.*

CAP. III. *Vers. I. Quapropter*, cum hæc ita sint, &, ut omnia hactenus dicta in brevem summam colligam indeque officii debiti vos commoneam, *fratres sancti*, quos dignatus est Christus fratres suos appellare, quosque sanctificavit, tanquam verus & supremus Sacerdos vere, non ut Leviticus quondam per sacrificia & sanguinem bestiarum, sed proprio suo sanguine, imputatione item sanctitatis suæ & renovatione Spiritus S. in ipso statim Baptismo gratiose concessi, & largissime effusi, ut adeo non tantum vocati per sanctum Evangelium vocatione sancta, sed etiam *vocationis supracœlestis participes facti* sitis, beati cumulatique bonis in æternum permansuris, quorum umbram duntaxat Majores nostri habuerunt & viderunt, quando evocabantur ex Ægypto in terram sanctam, & typos figurasq; eminus prospiciebant, quibus involvebantur spiritualia atque cœlestia beneficia, quæ in Novo Test. revelata, à Christo parta & collata sunt: *Considerate*, omni cura animique attentione, quam hæc mysteria & beneficia postulant, perpendite, ut ad fiduciam & perseverantiam atque observationem muneris excitemini, quem quantumque habeatis *Apostolum*, à DEO Patre missum in novissimis diebus, ut ipsius beneficam voluntatem *Concluf. ex antecedent. Confessionem de Christo tenendam esse.* Cap. II. 11. Tit. III. 5. 6. 2. Tim. I. 9. Ephes. I. 3. II. 6.

Hebr. III. II. 3. tem patefaceret humano generi, maxime vobis Hebræis, quod eum feciſſe, ſuperius dixi. Prophetam itaque illum Moſi parem, imo longe ſuperiorem reputate, ad vos docendos & liberandos participesque faciendos vocationis cœleſtis, miſſum, Ex. III. 15. quemadmodum Moſes olim ad Patres veſtros in Ægypto miſſus erat. Verum non tantum ceu Apoſtolum ſummum & ſingularem habetote, ſed etiam ut *ſummum Pontificem Confeſſionis*, Profeſſionis publice & concordis, ac adſtipulationis *noſtræ*, *JESVMCHRISTVM*, quem hactenus in vera fide profeſſi, à quo ad fœdus pacis gratiæ, ſalutisque æternæ benevole invitati, & efficaciter vocati, ac cui adſtipulati ſumus in Sacramento Initiationis, quod velimus eum conſtanter profiteri, tanquam ſponſorem & Angelum fœderis promiſſum & miſſum, nos totos illi committere, omnem fiduciam & gloriationem ſpei, IV. 14. X. 23. quam cœleſtis vocatio obtulit & exhibuit, in eo reponere & retinere, eidem denique, ut par eſt, pro tot ac tantis beneficiis nobis exhibitis, obtemperare & gratias agere.

Quia fidelitate in tota domo DEI Moſen ſuperat, *Verſ. II.* Cauſam, cur ita attendere accurate debeatis CHRISTO JESU, non unam proferre poſſum; ſed prima fere & præcipua illa eſt, *quod* Apoſtolus & Pontifex noſter, maxime *fidelis ſit*, & talem ſe præſtiterit ſemperque præſtet, non ſolum nobis, in utroque munere, nunciando fideliter partim immediate, partim mediate ſalutem Evangelicam, & dando Apoſtolos, Prophetas, Evangeliſtas, Paſtores & Doctores, Eph IV. 21. ſeq. ad compactionem ſanctorum; redimendo item & expiando 1. Sam. XII. 6. nos fideliterque intercedendo ſemper pro nobis apud Patrem; Act. II. 36. ſed etiam *DEO*, *qui fecit*, conſtituit & evexit ipſum ad tantas dignitates, ſecundum humanam naturam, cum ſolum in cœlo & terra dignum habuiſſet & reperiſſet, cujus fidei integerrimæ & ſanctiſſimæ cuncta committeret. Fideliſſimum quoque ſe CHRISTUS JESUS erga patrem exhibuit, faciendo omnia, II. 17. quæ neceſſe erat facere, ad ejus gloriam & hominum ſalutem; unde

unde paulo ante asserui atque demonstravi, Filium DEI propterea debuisse hominem fieri, ut isthoc officio rite fideliterque perfungeretur. Quare nihilo minor est *Mose*, cui testimonium insigne perhiberi novi, quod *fidelis* fuerit in *tota domo* DEI, & cunctis rebus ad eam constituendam, ordinandam regendamque pertinentibus; cui proinde etiam tanta præ aliis omnibus Prophetis excellentia revelationis, potestas & authoritas contigit, ut merito ei obediendum ac verbum ejus attendendum retinendumq; esse judicetis. At CHRISTUM JESUM nec dignitate, nec fidelitate inferiorem, sed superiorem quoque ipso Mose esse, fas est considerare & credere; cum Moses typicam duntaxat domum administraverit debita cura atque fide, JESUS autem anttiypicam, sive Novi Testamenti Ecclesiam, ad quam ipse etiam Moses & fideles sub Vet. Testamento pertinent, eamque non ad breve tempus constituerit, sed etiamnum fidelissime regat, tueatur, juvet cunctis in rebus ad salutem necessariis. Quocirca non minori sed majori etiam fidelitate excipere & retinere constanter debetis tam fidelem professionis & sponsionis nostræ Apostolum & Pontificem, CHRISTUM JESUM. *Hebr. III.* Num. XII. 7.

Vers. III. Atque ut assertis fidem faciam probemque, Mosen typum solum, Christum autem ejus in fidelitate antitypum, adeoque illo longe superiorem dignioremque esse, id vobis non refragaturis sic conficio atque declaro: quilibet architectus, qui domum aliquam construit, majore dignus honore habetur, quam domus ipsa. Jam *iste* commemoratus Christus JEsus longe *majorem gloriam* honoremque *merebitur*, *quam Moses*, quia constat satis è sacris, illum esse summum architectum, qui authoritate sua & ad suam gloriam *domum* DEI omnibus seculis & locis *ædificat*; Moses autem non erat architectus vel opifex supremus, sed minister duntaxat, & pars domus, in qua fidelem se præstitit, debebatque omnia facere secundum formam præscriptam & ostensam, imo factura s. opus DEI fuit; *ac majore gloria dignus est*,

Hebr. III. DEUS enim Mosen & Aaronem feciſſe legitur 1. Sam. XII. 6. Quanto cauſa nobilior eſt ſuo effectu, tanto utique Chriſtus ampliorem præ Moſe habet gloriam, quæ infinita & ſumma eſt, quemadmodum ex ſequentibus patebit clarius & plenius.

Quia verus Deus omnia præparans,

Verſ. V. Et hoc iterum, quod modo innuebam, habere ſe Moſen ut domum, Chriſtum vero ut eum, qui domum præparavit, per theſin & hypotheſin luculenter & breviter demonſtrabo. *Omnis namque domus* vel familia, quantacunque ſit, & cujuscunque excellentiæ, *præparatur ab aliquo*, ab eo dependet, ac proinde illo minor eſt: qui vero eam exſtruit ac præparat, non dependet ab ea. Jam quod ad Moſen & Chriſtum attinet, Moſes à Chriſto præparatus eſt, Chriſtus autem à nemine præparatus, ſed ille potius eſt, *qui præparavit omnia*, & condidit ſecula, portatque cuncta verbo potentiæ, ceu prolixius adſtruxi ſub Epiſtolæ initium; unde etiam Eccleſiam præparat omnibus temporibus, adeoque facile colligi poteſt, ipſum eſſe verum *DEVM*, qui ab ullo factus non eſt, ſed omnia fecit. Quare & in honore & in opere maxima eſt differentia inter Moſen & Chriſtum, & majori Chriſtus gloria dignus eſt præ Moſe, non tantum ſecundum divinam naturam, ſecundum quam jam in V. T. Meſſiæ officium in præparanda ædificandaque Eccleſia adminiſtravit; ſed etiam ſecundum H. N. dum per unionem perſonalem factus eſt is, qui præparavit omnia, & verus DEUS, veniens, ſecundum Malachiæ vaticinium, in templum ſuum, III. 1. &c. (vid. Seb. Schm. Comm. h. l.) Eccleſiam Novi Teſt. inprimis ædificans, ſanctificans, conſervans per totum terrarum orbem Matt. XVI. 8. Eph. II. 20. ff. V. 26.

& Dominus eſt domus, non ſervus, ut Moſes,

Verſ. VI. Neque vero propterea debitam gloriam Moſi detractam velim, quando Chriſtum immane quantum ſupra ipſum extuli. Cavendum tamen viciſſim inprimis vobis eſt, ne nimium Moſi tribuatis honorem. DEI & Scripturæ judicio ſtandum eſt. Ubi non ignoro nec diſſimulo, quod *Moſes quidem,*

dem, ut paulo ante commemoravi, *fidelis* fuerit *in universa domo* DEI; quæ laus sane magna est, cum ipse DEUS verax hanc ei tribuerit: at reputare debebatis, non Domini sed servi partes atque munia Mosen obiisse. Fidelis fuit, *tanquam servus*, quem dominus suum appellat, cum fidelem illum existimaverit & fecerit, cui domum suam typicam V. T. committeret. Itaque fidelis obsequiosique servi gloriam ipsi merito relinquimus, qui in domo Christi, Domini sui, optima fide versatus sit, ut ingenuus servus & minister; umbræ tamen tantum serviit & futuris rebus, *in testimonium eorum, quæ* postea *erant dicenda*, explicanda uberius à Prophetis & ab ipso filio DEI incarnato, quem præfigurabat tabernaculum, cum omni suo cultu, sacrificiis, & ceremoniis. Sic etiam Christo ejusque Evangelio testimonium perhibuit fidele, & literis tradidit in usum omnis Ecclesiæ, etiam futuræ; non enim sibi istud administravit. Propter hoc tam insigne ministerium & testimonium magnæ authoritatis, fidei, & gloriæ apud nos est Moses. *Hebr. III.* Jo. V. 36. 39. 1. Pet. I. 12.

Vers VI. *At vero Christus*, etiam qua homo, & officii mediatorii ratione, longe ampliore gloria dignus est, quam Moses, cum non sit nudus homo, sed & Filius DEI, ac *tanquam Filius* (DEI) verus & naturalis, non adoptivus, qualis Moses quoque fuit, *super domum suam*, non alienam, sed proprio sanguine partam & extructam, constitutus, & per ac propter unionem personalem jus atque Dominium summum consecutus super eam sit, gratiosa præsentia & omnipotenti gubernatione illi fidelissime perpetuo adsit. Quæ domus non typica est, in terrenis elementis, umbris figurisve consistens, sed antitypica & spiritualis. Si quæras, quæ & ubi sit illa domus? respondebo: *Ejus domus*, tabernaculum & sanctuarium, *sumus nos*, fideles cuncti, & ad finem usque semper manebimus, *si modo fidem* veram, vivam & solidam, quæ est *fiducia* s. confidentia, quando freti JESU CHRISTI merito & intercessione efficaci, accedi- *& domus quidem non typica sed spiritualis.* Hebr. IV. 16. X. 19.

Hebr. III. Rom. VIII. 1. Joh. V. 14. Rom. V. 2. 3.

cedimus libere ad thronum gratiæ, & petimus, velut infantes, à Patre cœlesti omnia necessaria & salutaria, *ac gloriam spei*, qua certi securique de vita æterna & cœlestibus bonis, lætamur & gloriamur in Domino adversus hostium minas, *ad finem usque firmam* & illabefactam, cum cura & studio totisque viribus in omnibus tentationibus & persecutionibus *retinuerimus*. Hoc enim postulat ὁμολογία τῆς ἐλπίδος, qua Apostolum & Pontificem nostrum maximum recipimus & approbamus. Vid. ℣. 1 conf. cap. X. 23.

Ad quam constantiam Confessionis Spiritus S. hortatur Psal. 95.

Vers. VII. Quapropter merito ad constantiam & perseverantiam ὁμολογίας vos cohortor, &, ut pondus habeat mea admonitio, ipsum *Spiritum S.* monitorem vobis sisto, qui, in familiari & notissimo hymno, die σκηνοπηγίας decantari solito, quem ad Christum & tempora Christi novissima spectare, ipsimet nostis, ad Messiam excipiendum & retinendum, his verbis usus est gravissimis: *hodie*, sive eo ipso tempore, quo Messias, Rex vester, & Petra salutis &c. ℣. 1. in assumta carne ad vos loquetur, ac deinceps semper, quamdiu hodie appellatur, *quando audiveritis*, ut certe auditis, & audire potestis, *vocem ejus*, quæ in omnem terram exivit per Evangelii promulgationem & prædicationem,

Vers. VIII. Ne obduretis corda vestra, repugnando resistendoque malitiose Spiritui ejusque motibus, quos excitare in cordibus hominum vult per divini verbi sui vocem, negligendo vel interrumpendo in principio conversionis pædagogiam in externa auditione, aut in progressu non admittendo interiores pulsus, nec cedendo; sed finite potius emolliri corda vestra, audiendo libenter & assidue, imo quotidie Evangelium Christi, & accipiendo alacriter Spiritus intus operantis operarive volentis eoque pulsantis sæpe, gratiosos motus & ductus. Nolite, quæso, facere juxta id, quod in *ista exacerbatione*, gravissima & notissima, contigit *in die illius tentationis in deserto*, Exod. XVII. *Vers. IX.*

Vers. IX. *Vbi* sæpius, præsertim in Meribba & Massa, quæ loca inde sua nomina sunt sortita, *tentaverunt me*, inquit ille ipse Messias, *Patres vestri*, s. Majores, quos Patrum loco habetis, sed in hujusmodi turpissimis factis imitari non debetis, diffidendo dictis, & audendo temere periculum facere præsentiæ, providentiæ & potentiæ meæ, petendo miraculum aliquod insigne, quum ii à DEO tentarentur, defectu aquæ & ciborum, an in ipsum crediturí & se totos fideli Salvatori essent commissuri; ubi sane acquiescere in verissimis promissionibus debuissent atque potuissent, utpote satis eas experti in gratiosissima potentissimaque populi in Ægypto, sub plagis immissis, conservatione & eductione ex domo servitutis per mare rubrum. At non tantum variis modis me tentarunt, sed & identidem *probaverunt* atque exploraverunt me, velut perscrutaturi arcanos potentiæ, bonitatis, & sapientiæ meæ recessus, *ut viderent opera mea*, & in oculis haberent, quæ in mentibus fidelibus reposita habere oportebat, *quadraginta annis*. Potuissem equidem iis denegare, quæ temere ita & impatienter petierunt, sed, ut longanimitatem meam declararem illis, viderunt opera mea, dedi enim, quoties petiverunt, vel panem, vel aquam &c.

Hebr. III, apostasiam exprobrat, 1. Cor. X. 9.

Vers. X. *Quapropter* etiam quadraginta istis annis magna cum molestia supportavi perversam *illam generationem* Israëliticam, quæ me toties tentavit, eamque *fastidio habui*, &, ut id proderem haud obscure, *dixi* palam, & erga Mosen aliosque Prophetas conquestus sæpissime sum, & hanc cordis duritiem atque vafritiem impiæ nationi exprobravi, in hanc sententiam: *semper errant corde*, &, ut David effert, populus errantium sunt, quibus frequens, solenne & in more positum est errare, & habitum quasi errandi contraxerunt, nec errant ex infirmitate, quibus libenter pro paterno meo affectu condonarem; sed ex malo cordis proposito, mente pravis affectibus

Apostatas nauseat, Num. XIV. 10. 21.

Hebr. III, seducta, scientes volentesque peccant, & magis magisque in errores incidunt, ac retrahi se à deviis non patiuntur; tales enim *illi* sunt homines, qui *non agnoscunt*, nec cognoscere aut intelligere volunt & possunt, præ cœcitate & obduratione cordis, *vias meas*, quibus ad eos hactenus ivi, me iis manifestavi, per verbum & opera misericordiæ, potentiæ & justitiæ, ut illis probe cognitis perspectisque, per fidem veram vivamque ad me venire, mihi inservire & obtemperare potuerint.

& punit. *Vers. XI.* Propterea quia tot tantisque tentationibus & peccatis populi commotus & provocatus fui, fastidium merito concepi contra illum, quadraginta istis annis contra me insurgentem, ut tandem *juraverim in* justa *mea ira* per me ipsum, vitam & veritatem meam, (Num. XIV. 21. 23. 28. Devt. I. 14. 35.) me non fore amplius DEUM, *si introituri sint* istiusmodi prævaricatores *in requiem meam*, quam promisi, & destinavi præparavique, non tantum in terram Canaan, sed etiam, quod typus ibidem simul innuit, in requiem meam cœlestem, si in incredulitate perseveraverint & pœnitentiam non egerint. Conf. cap. IV.

Cavenda igitur omnis apostasia. *Vers. XII.* Quæ cum ita sint, & ad omnium νουθεσίαν scripta atque dicta à Spiritu S. in hymno Davidis (℣. 7.) quæ inde adduximus, *videte*, *fratres* charissimi, ut sedulo attenteque audiatis vocem Messiæ, & caveatis diligentissime, ne obduretis corda vestra, & *ne quando sit in ullo vestrum cor malitiosum* s. maligna mens, pravitate plena, ut ad apostasiam & infidelitatem inclinet, ac eo usque incredulitatis procedat, *ut deficiat* recedatque iterum ex postfacto, à Christo, cui per fidem vos dedistis, ac cujus participes facti estis, quæ apostasia sane turpissima & damnosissima est; quia fit ab eo, qui *DEVS vivus* & verus est, vitam in se ipso habet, & hominibus vitam æternam atque quietem cœlestem peperit & dat, ac cum semper vivat, pœnas etiam sumere semper potest ab apostatis, qui, dum à

1. Joh. V. 20.

DEO

DEO vivo deficiunt, ad Judaismum vel Ethnicismum delabuntur, aut quacunque alia subtili ratione fontem vitæ deserunt in corde suo, mortui merito censentur, & è vita æterna excluduntur. *Hebr. III.*

Vers. XIII. *Verum* contra potius *exhortamini* variis rationibus, & maxime etiam consolationibus, *vosmetipsos* singuli, & alii alios, *quolibet die*, (ut enim corporis sic mentis pabulo in dies singulos, quin & in horas, opus habemus, ac momenta, & quia ipsimet cito languescimus, alii alios invicem cohortari & excitare debent,) quamdiu *illud* hodie in Psalmo citato indicatum, *appellatur* & durat; (non enim unam duntaxat diem, sed omnem, inde à tempore N. T. usque ad ejus finem, declarat,) *ne induretur aliquis ex vobis*, tamdiu quippe exhortationibus insistendum quotidie est, quamdiu nondum obduratum hominem videatis aut certo sciatis. Initiis etiam obdurationis monitis gravibus & salubribus obviam eundum, quia facilis est ad lapsum via, *seductione peccati* fallaci, & subdola, in intellectu & voluntate; mutuas enim hæc duo tenebras sibi conciliant, & invicem imposturam faciunt & patiuntur, Eph. IV. 22. Jac. I. 14. unde deinceps apostasia sequitur. Ne igitur bonum apparens, quod peccatum suggerit, statim arripiamus, sed credamus, cur nostrum esse ita fraudulentum & perversum supra omnia, ut mille vias & modos perversitatis atque seductionis habeat. Sumus etiam φίλαυτοι & in propriis rebus cœci, ut vel hanc quoque ob causam utile sit, habere monitores probos, sedulos & expertos, qui nos excitent, corrigantque, si seducti fuerimus, & doceant, quomodo cavere nobis à fallaciis & deceptionibus mundi, diaboli & carnis, possimus. *mutua exhortatio observanda.*

Vers. XIV. Nemo sibi persuadeat, sufficere, quod bene cœperit, & Christi semel particeps factus fuerit: nemo securus sit, quasi Christum non possit amplius amittere. *Nam Christi* quidem *Perseverantia necessaria est.*

Hebr. III. quidem & in eo bonorum ſupracœleſtium *participes* revera
Gal. III. *facti ſumus*: ſimulac eum induimus in baptismo, credimusque
23. in eum, habitat in nobis, replet nos omni plenitudine divina.
Rom. VI. Quæ ſane maxima ſunt munera, & digna fideli cuſtodia, ne per-
5. damus ea. Perpetua autem nobis eſſe vult iſta omnia Chriſtus,
Eph. III. *ſi modo* non deficiamus ab ipſo infidelitate, (℣. 11.) ſed *princi-*
17. *pium illud immotæ conſiſtentiæ* ſ. fiduciæ, aut fidem ipſam, qua
ibid. ℣. 19. in Chriſto ſubſiſtimus, ejus participes & concorpores cum illo facti, in eo gloriamur & ſperamus (℣ 6) *usque ad finem firmam* & conſtantem *retineamus*, memores ſtipulationis in Baptismo, ſervandæ religionis & ſanctitatis, & ſimul renunciationis, diabolo & omnibus ejus operibus factæ. (Conf. Eraſm. Schmid.) Mutua autem iſta exhortatio, ad quam vos hortatus ſum, (℣. 13.) huc multum facit.

quia Spiritus S. ad eand. Pſ. cit. hortatur,

Verſ. XV. Quomodo igitur id conſequi poſſitis, non opus eſt, ut prolixe commemorem, aut repetam. *Per hoc* ipſum, vel obſervando id, *quod dicitur* in Hymno Davidis: *hodie* &c. Et hæc etiam cauſa eſt, quod facere debeatis, quia monet vos DEUS ad conſtantiam & perſeverantiam. Quare per & propter iſtud ipſum, quod dicitur: hodie &c. Hoc enim nobis etiam hodie & quotidie dici, exiſtimare debemus, ut excitemur ad perſeverantem obedientiam, & evitare diſcamus apoſtaſiam & obdurationem.

& remuneratur conſtantiam.

Verſ. XVI. Poteſt enim Gratia DEI & ſalus æterna amitti & ſervari, quemadmodum ea ipſa Hiſtoria, ad quam digitum intendo, luculenter docet. Non enim ad unum omnes in illa famoſa exacerbatione deſciverunt, qui exiverant ex Ægypto, ductore Moſe divinitus dato, ſed *quidam* ex illis, qui olim Moſen in Ægypto audiverunt eique crediderunt, ut etiam agnum paſchalem mactaverint, & ducem ſecuti in deſertum fuerint, deinceps *exacerbarunt* DEUM; *non autem omnes duce Moſe ex Ægypto egreſſi*, in eodem crimine erant: noſtis quippe

quippe Josuam & Calebum, Levitas item & mulieres, liberosque excipi, Num. XIV. 24. 29. quibus, utpote DEO constanti fide adhærentibus, datum est pervenire in requiem promissam. Horum igitur potius exemplum imitamini, quam illorum apostatarum, ut DEUM habeatis propitium. *Hebr. III.*

Vers. XVII. Neque enim omnibus sine discrimine infensus fuit DEUS. Unde vos ipsos compellare & interrogare audeo: *quibus autem infensus fuit quadraginta annis? nonne iis, qui* tam enormiter *peccarunt*, multiplici peccatorum genere, inprimis vero incredulitate DEUM offenderunt, *quorum membra*, cadavera & ossa, *conciderunt in deserto*, ac dispersa passim fuerunt, secundum comminationem DEI severam, Num. XIV. 23. 29. quæ prostratio typus erat illius exitii, quod eos manet, qui in contumacia sua ad exitum usque perseverant. 1. Cor. X. 11. *defectionem autem punit temporalibus*

Vers. XVIII. Quæro similiter: *quibus vero juravit*, ac interposito juramento minatus est, *quod non essent ingressuri in requiem suam, nisi iis, qui* tot tantisque miraculis & promissionibus persuaderi se non sinebant, & *non credebant*, sed redire in Ægyptum volebant. *& aternis pœnis.*

Vers. XIX. Videmus etiam & cognoscimus evidenter ex historia exacerbationis & hymno Davidis, *quod* impii Israelitæ *non potuerint intreire in requiem* promissam, *propter incredulitatem.* Eadem quoque pœna manebit omnes incredulos, qui à Christo Duce deficiunt, & contra eum murmurant, quando calamitatibus variis tentantur, ut fidei experimentum edant. *exemplo Israelitarum.*

CAP. IV. *Vers. I. Timeamus* itaque omnes, ego vobiscum, & vos mecum, & discamus cauti studiosique esse, hoc exemplo Israëlitarum incredulorum eorundemque pœna territi, *ne ullo unquam tempore aliquis* in eam deveniat securitatem, & negligentiam, ut *relinquat promissionem*, cujus in Christo factus est particeps, *introeundi in requiem ejus*, atque ea Cap. IV. *Israelitarum exemplo moniti intrare in requiem nitamur.*

Hebr. IV. ea ita turpiter derelicta nihilominus tamen *videatur & placeat* sibi in hoc *quis ex vobis*, securitatemque sibi de eo persuadeat, *quod remansit*, quasi nihil referret, cum tamen in rei veritate id nihil aliud sit, quam ὑστερηκέναι *remansisse* & tardando exclusum frustratumque esse, cum maximo intervallo à porta requiei relictus sit, ut intrare eam deinceps nequeat. (Vid. Matth. XXV. 10. 11.) Non enim semper patebit porta aut introitus per eam. Quare præsens gratiæ tempus observandum & omni nisu contendendum est, ut citato rectoque gradu & itinere in patriam festinemus, non respicientes, quæ reliquerimus in Ægypto terrena, cum ea cœlestibus bonis largissime compensanda sint, ut obliviscì mundana libenter velimus.

Quia nobis etiam in Evangelio promissa & parata via est per fidem ad requiem.

Vers. II. Etenim & nobis annunciatum est Evangelium, inque eo promissa & oblata, ut cœtera bona, ita quoque ingressus in requiem divinam atque cœlestem, *sicut & illis*, Patribus nostris in V. T. quoad substantiam & rei summam, ut adeo illi etiam vitam æternam per gratiam Domini nostri J. C. sperare & consequi vera fide potuerint; imo propius longe & clarius nobis revelata omnia sunt, quam illis. Tanto magis ergo cavere debemus, ne excidamus & privemur istis muneribus per somnolentiam, teporem, tarditatem & negligentiam nostram, sive, ut uno verbo dicam, infidelitatem, ac nobis usu veniat, quod Majoribus, qui habuerunt idem Evangelium, *sed non profuit illis sermo auditionis*, sive auditui destinatus & accommodatus, cum in finem datus ad omne tempus & dictus, ut auditu percipi debeat atque per auditum efficaciam in corde ad salutem exerat audientium; quia *non* contemperatus & *commixtus fide* erat apud eos, qui *audiverunt*, ita ut factum in illis sit verbum quasi vitale quoddam principium, vires suggerens ad vitam divinam & operationes sanctas, utpote in succum quasi & sanguinem conversum, adeoque ἔμφυτον & manens in ipsis, sed evomuerunt iterum cibum illum animæ nauseabundi,

Act. XV. 11.

Jac. I. 21. Joh. XV. 7.

bundi, ut magis obfuerit ipsis, quam profuerit. Hæcque causa erat, quod excluderentur ex requie. Ne idem nobis contingat, non audire duntaxat verbum sed etiam fideli obsequio excipere & retinere constanter debemus. *Hebr. IV.*

Vers. III. *Ingredimur namque*, & ingredi possumus, omni tempore, in requiem istam, si audiverimus ita, ut verbum auditum cum fide temperetur, s. si crediderimus fide viva, obediente & perseverante, *quemadmodum dixit* Spiritus S. in hymno sæpius indicato, quo invitantur gratiose & monentur omnes ad ingrediendam viam, quæ in requiem ducit, hancque ingrediuntur, qui fideli animo obtemperant, excluduntur autem infideles, *quibus*, inquit ibi DEUS, *juravi in ira mea, si introibunt in requiem meam, & quidem* eam, quam habui inde *ab operibus a fundatione mundi perfectis*, in cujus requiei communionem fideles ingredientur. *quod probatur ex Ps. 95.*

Vers. IV. Quæ requies DEI in die Sabbathi innuitur; *dixit enim alicubi* Spiritus S. *de die septima sic: & requievit DEus die 7. ab omnibus operibus suis*, beatitudine, quam in se ipso habet, fruens, cujus etiam nos participes reddere vult, & propterea typum ejus fecit illum ipsum septimum diem, quo requievit, quemque sanctificavit homini, ita ut non solum opera divina expenderet sedulo, verum etiam æternam quietem sive vitam, ad quam conditus & in quam collocandus aliquando erat, meditaretur, & caveret sibi, ne unquam illa spe excideret. *& historiæ creationis* Gen. II. 3.

Vers. V. *Et in hoc Psalmi loco iterum* diu postea de quiete ista beata dicit: *si introibunt in requiem meam.* Quæ requies vere DEI & illa ipsa est, qua priori loco DEUS quievisse dicitur, & in quam ut ingrediamur, David monet, cujus typus & umbra duntaxat erat occupatio & quieta possessio terræ Cananææ. *quæ idem exprimit quod Psalm. citat.*

Vers. VI. *Quandoquidem itaque*, ut ex ante dictis colligi potest, *Id vero non*

Hebr. IV. impletum fuit in V. T.

poteſt, *relinquitur*, non inanem fore illam promiſſionem quietis beatæ, ac *reliquos in eam introituros*, cum conſtet, illos, *quibus prius annunciatum Evangelium fuit*, *non ingreſſos* eſſe *propter infidelitatem*, promiſſio autem DEI inanis non eſt, ſed impleri debet, atque ut impleatur in credentibus, non ceſſat DEUS alios vocare ad gratiam & quietis occupationem.

Unde aliud tempus N. T. David definivit,

Verſ. VII. Inde nactus eſt DEUS occaſionem, aliud tempus pro populo Novi Teſt. conſtituendi, quo ingrederetur requiem; hinc *iterum alium* aliquem diem, velut certum fixumque, definit & promulgat, atque eum commendat ſedulo, ut obſervetur probe, *hodie per Davidem* dicens, *poſt tantum tempus*, ex quo primum diem per Moſen in Geneſi definiverat, *ſicut ſupra dictum eſt, hodie*, inquam, *ſi vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda veſtra.* Durat igitur adhuc illud hodie, & viret vigetque hoc inprimis tempore vocatio DEI gratioſa, poſt introductos quosdam in Cananæas regiones, ubi quiete agebant.

poſt occupatam terram Canaan;

Verſ. VIII. Aliam autem in Pſalmo intelligi requiem, quam illam, in quam populus Iſraëliticus per Joſuam introductus eſt, ſic conficio: *ſi enim illos* Judæos Jeſus Nave filius *in requiem* veram, plenam perfectamque *introduxiſſet*, DEUS *non de alia locutus fuiſſet poſt hæc die*, qua alii ingredi debeant. Jam vero manifeſtiſſimum eſt, quod aliud definitum ſit tempus à Davide, cum Iſraëlitæ in quiete typica jam eſſent, hujus Regis ævo; qui etiam nullam habuiſſet rationem hortandi homines ſuæ ætatis & ſequentium ſeculorum, ut caverent ſibi, ne imitarentur veteres Iſraëlitas, quos incredulitas quiete promiſſa excluſerat, ne ſimiles pœnas DEO darent. (Cleric. ad Hammond. h. l.)

cujus illa typus tantum fuit.

Verſ. IX. Itaque ſupereſt adhuc alia requies, & quidem longe excellentiſſima, non talis, qualis in terra Canaan fuit, ſed quæ ſit σαββατισμὸς, perfectus *Sabbatiſmus*, ſive ceſſatio aut feria-

riatio quieta ac perpetua ab omnibus laboribus & operibus,& illa quidem *populo DEI* ſ. credentibus ac in fide perſeverantibus deſtinata atque parata, cujus quietis typus tantum fuerunt Sabbathi feriæ, anni Sabbathici & Jubilæi, ac ſimilia his inſtituta, quibus populus Judaicus diſtinguebatur & fruebatur aliquamdiu in terra Canaan. Plenus itaque Sabbatismus ſpiritualis & æternus reſtat, in quem cœleſtis Joſuas, Jeſus, nos introducet. *Hebr. IV.*

Verſ. X. Hocque probo & deduco ex Geneſeos loco paulo ante indicato, ubi de iſta requie dicitur diſerte: וישבת & ſabbatizavit DEUS, atque adeo innuitur, talem eſſe requiem populi DEI, qualis eſt DEI; hanc autem eſſe veram, omnibus numeris plenam, perfectam & æternam, nemo inficias ibit. Quare fidelium etiam Sabbatismus exoptatiſſimus & feliciſſimus erit: *Quicunque enim ingreditur in requiem ejus*, ille *ipſe etiam requieſcit* ab omnibus operibus ſuis: hicque jam incipit quieſcere in DEO & Salvatore ſuo, (Matth. XI. 28.) in regno gratiæ, collocatus in ſupracœleſtibus, Eph. II. 5. 6. à peccatis inprimis ſ. ſervilibus peccati operibus, Rom. VI. 4. 28 ibi vero in regno Gloriæ futuro conſummabitur, ubi Sabbatum continuum erit, Eſ. LXVI. 23. Apoc. XXI. 23. ſeq. *qualis Sabbatismus* Gen 2, 2. *innuitur.*

Verſ. XI. Cum *ergo* introitus ad tantam requiem & Sabbatiſmum nobis pateat, æquum profecto eſt, ſalutare, & neceſſe, ut omnem curam *diligentiamque adhibeamus*, *ingredi endi in illam* tam beatam & exoptatam *requiem*, per fidem hactenus deſcriptam & inculcatam: ac ita quidem & tanto zelo ſtudeamus, ut, ſi fieri poſſit, *ne unus* quidem *incidat in idem exemplum incredulitatis.* Hoc enim ideo dico, fratres, & vos hortor atque rogo, ut ſtudioſe eviteris defectionem, ac ne calamitatibus abſterreri vos ſinatis à conſtanti in Chriſtum fide. *Ad quem aditus patet per fidem.*

Verſ. XII. Nihil autem enim no nobis deeſſe ad introeundum in æternum regnum ſive Sabbatismum Domini noſtri & Salvatoris J. C. liquet. *Nam vivens eſt* ſimpliciter & abſolute, *& Verbum Dei vivum atque efficax*

Hebr. VI. in fideles atque ac contumaces, Joh. V. 26. XIV. 6.

lute, ut Pater ζῶν appellatur, *illud* æternum *Verbum DEI* hypostaticum, JESUS, Dux, autor & consummator Salutis nostræ, qui non tantum vitam in se ipso habet, ac ipsa vita est, sed vitam quoque nobis dat, tum naturalem, tum maxime spiritualem, ac æternam, & in nobis credentibus vivit per verbum Evangelii, quod conscientiis nostris inseruit, ex quo audivimus & per quod nos intus in conscientiis nostris convicit, ut crediderimus, & confessi simus hactenus Pontificem nostrum, ac spem certam habeamus, in plenam perfectamque ejus requiem intrandi, nec sit, cur de promissionis Evangelicæ veritate & potentia divina dubitemus. Est *& efficax*, actu ipso operosum, tum in fideles & obsequiosos, ad salutem atque requiem, tum in contumaces, ad ruinam & exitium; quod ipso opere experimur. Est enim idem verbum hypostaticum in & cum suo verbo prædicato ingentis virtutis & efficaciæ, in conscientiis nostris, ita ut sit *magis secans, quam* ullus *gladius anceps*, motus à pugile & strictus, utrinque operans, inde ad salutem, si verbum admittatur & excipiatur fideli obsequio, hinc exscindendo & occidendo impios & Apostatas, qui, licet pertinaciter illud repudient, gravissimos tamen in corde aculeos & angores sentient atque æternum torquebuntur. Nam quemadmodum gladius anceps penetrat usq; ad divisionem corporis & animæ: ita Filius DEI per verbum suum eam virtutem divinam in nobis exercet, ut perveniat usque *ad divisionem animæ & spiritus*, atque ostendat, quid naturales & spirituales hominis vires valeant, ut convertat, illuminet, carnem subinde magis magisque aboleat, spiritum contra vivificet: *pertingit etiam usque ad divisionem compagum*, sive nervorum, quibus ossa & artus colligantur, *& medullarum*, ut homo, sentiens Verbi tantam vim, compungatur & ita cohorrescat, atque ipsæ artuum ossiumque compages dissilire videantur. Et denique verbum, Christus, *Criticus*, s. cognitor, examinator & judex rigidus cogi-

Es. 49, 1. Apoc. I. 16.

cogitationum, & arcanorum & consiliorum conceptuum e cordis, vel, uno verbo, καρδιογνώστης, adeoque non novit tantum aut intelligit, quid & qua intentione quisque cogitet ac velit, sed judicat etiam secundum verbum suum. *Hebr. IV.* Jo. XII. 48.

Verſ. XIII. *Et*, ut ex dictis facile liquet, *non est* ulla prorsus *creatura*, sive in cœlo, sive in terra, nec ulla creaturæ affectio aut qualitas, *non apparens in conspectu illius* Verbi hypostatici, ut adeo nihil omnino ipsum lateat, non hypocrisis, non infidelitas, utcunque eam mortales occultent: *contra vero omnia nuda* & ita cognita atque perspecta sunt *oculis illius*, verbi nimirum, *de quo sermo nobis* hucusque fuit ex instituto, ut victimæ à collo ad caudam usque per mediam spinam dorsi dissectæ patuêre Sacerdotibus, num integræ essent, vel secus. Accuratissime cognita habet corda eorundemque recessus intimos, nec quisquam ejus oculos manusque vindices effugiet, licet hypocrisi tegere se & occultare conetur, simulando Christiani nominis professionem, dum interea corde deficiat à DEO & Verbo vivo (Ebr. III. 12.) nec quietem promissam intrare serio cupiat. *Quod nihil latet & fugit.*

Verſ. XIV. *Quia itaque habemus Sacerdotem Principem Maximum*, potentissimum, omniscium, ut in conscientia convicti sumus, ejusque efficaciam sensimus in cordibus nostris, (℣. 12. 13) *qui* peractis omnibus ad salutem hominum necessariis, non ingressus est sanctum sanctorum Templi manibus structi quemadmodum Pontificibus maximis V. Test. solenne erat, sed *penetravit cœlos* omnes, & in majestatem divinam, secundum humanam naturam, supra cœlos intravit, adeoque aditum nobis aperuit ad cœlestem requiem, & nos cunctos post se trahere vult, *JESVM Filium Dei, teneamus* firmiter ad finem usq; *confessionem*, sive fidem, qua eum profitemur, confitemur atque in illum credimus, ut ingrediamur in Sabbatismum perpetuum. *Quare teneamus confessionem Pontificis maximi, JEsu,*

Verſ. XV. Nec est, quod vel Majestas Christi, vel nostra *freti in*

Hebr. IV. adversitatibus ejus συμπαθείᾳ & ope,

infirmitas, nos deterreat, quin potius erigat soleturque Pontificis nostri clementia & συμπάθεια, *Nullo modo enim* nos, quotquot sumus opis ejus indigi, *habemus Pontificem summum, qui non possit tangi sensu imbecillitatum* & infirmitatum generis humani, sive corporis, s. animi, dolorum, afflictionum, persecutionum &c. *contra* vero potius habemus Pontificem *tentatum secundum omnia* malorum genera, atque expertum cunctas hujus vitæ ærumnas & miserias, easdemque, quales nostræ sunt, *juxta* veram perfectamque *similitudinem* & proportionem, ut pro omnibus æquivalentes tentationes ratione meriti & satisfactionis perpessus sit, *absque* tamen *peccato*, quale nec habuit, nec fecit, adeoque nec à peccato, nec à Diabolo, interne tentari potuit, quia alioqui nostras infirmitates non sanare valuisset. Tentatus tamen in anima fuit terroribus mortis & iræ DEI, propter peccata humani generis, & victor repetiit cœlos, intelligit omnes adversitates, & vexationes nostras sentit, & exaudit omnes vera fide ad se accedentes.

& cum fiducia accedamus ad eum.

Vers. XVI. Quare tanti Pontificis mansuetudine & ope freti, *accedamus* semper, & quibuscunque in adversitatibus, propius, *cum* plena & ingenua animi *libertate* audaciaq; quodvis bonum petendi, & cum *fiducia* exauditionis filiali, *ad* eum, tanquam *thronum Gratiæ*, sedentem quidem in Majestate summa, ad quam evectus est, conseditque in throno dextræ Majestatis, sed tamen ex compassione cum nostris infirmitatibus gratiam & misericordiam dispensantem, *ut accipiamus* & actu consequamur, quod ante paratum nobis erat, *misericordiam* ad remissionem peccatorum s. justificationem, *& gratiam inveniamus*, quæ nos cœlestibus bonis instruat, ditet, & *ferat opportunum auxilium*, promtum & omni tempore paratum, in omnibus tentationum generibus, quoad hujus vitæ curriculum durat. Non amplius procul standum, quod ad Oeconomiam Vet. Test. pertinebat, sed in sanctuarium ipsum ingredi & ad

ad ἱλαστήριον accedere nobis licet. In tempore tamen adeundus est Pontifex noster, dum est Gratiæ locus & in Gratiæ throno considet, nam si in Justitiæ throno consederit, nullus deinceps misericordiæ sed pœnæ locus erit. Tempus autem est hodie. Conf. supr. Cap. III. 7. 13. 15. & 2. Cor. VI. 2. *Hebr. V.*

CAP. V. *Vers. I.* Posse autem nos confidenter ad Pontificem nostrum J. C. accedere, tanquam thronum gratiæ, facile probari potest, si comparatio instituatur inter Pontificem V. T. & Christum; hinc enim constabit, JESUM omnia habuisse & expleviſſe, quæ in Pontifice typico reperiebantur. Primo enim *omnis summus Pontifex* sub V. T. inde ab Aarone usq; ad ultimum, *qui ex hominibus*, prævia legitima vocatione, *assumitur* & assumi solebat, & *pro hominibus*, eorumque bono & loco *constituitur*, *quoad ea, quæ ad DEum pertinent*, quibus colitur, & placatur, videlicet ut juxta preces *offerat donaria* קרבנות generatim & inprimis *sacrificia pro peccatis* (אשם Lev. IV. 3. ff.) expiandis. Cum enim populus, utpote impurus declaratus, non posset ad DEUM appropinquare, ejus loco Sacerdotes fuerunt electi, interque illos summus sacerdos, qui solus suo modo perfecte ad DEUM accedere poterat, utpote cui soli permissũ ingredi sanctuarium cum sacrificiis rite peragendis.

CAP. V. *Quia omnia habet & explevit, quæ Pontifex V. T. adumbravit, cujus officium erat 1. populi vices agere apud DEum.*

Vers. II. Alterum, quod in Pontifice maximo requirebatur, hoc erat, *ut*, quemadmodum debebat, *posset* μετριοπαθῶς, i. e. alterius malis affici, nec rigide nimis & severe, sed humaniter & placide de aliis judicare, eosque vel excusare, vel purgare, ac illorum causam tanquam suam agere, ex propriæ infirmitatis conscientia, atque sic *compati* vel æquanimis esse *ignorantibus & errantibus*, sive omnibus illis, qui vel ex ignorantia, vel ex errore animi, seu infirmitatis seu malitiæ, peccant; *quandoquidem & ipse circumdatus est infirmitate*, nec extrinsecus tantum circa se videt, sed in se ipso quoque satis experitur imbecillitatem ejusmodi, unde ignorantia & aberratio

2. *compati.*

Hebr. V. oriuntur, quales in aliis deprehenduntur. Quare potest quidem μετριοπαθεῖν sive dolere, ob communem infirmitatem & sortem, non tamen συμπαθεῖν, h. e. vero perfectoque amore miserari & facere, ne periret miser peccator; quod non nisi is potuit, quem præfiguravit.

Vers. III. *Et propter* hanc ipsam *infirmitatem*, qua circumdatus erat, *debebat*, ex singulari mandato divino, *quemadmodum pro populo, ita etiam pro se ipso offerre pro peccatis* victimam, pro efficacius distinctiusque & imbecillitatis propriæ admoneretur, & hoc ipso magis ad compassionem debitam incitaretur atque commoveretur. Tametsi enim, eum totum populum oblato sacrificio expiaret, suam quoque causam simul agere & fateri infirmitatem, satis intelligi posset, tamen seorsim pro se, ut alias, (Levit. IV. 5.) ita cumprimis in solenni expiationis festo pro suis suæque familiæ peccatis expiandis victimam offerre debuit, Lev. XVI. 6. quo anxius anhelaret Redemtorem, populi imbecillitate tenerius afficeretur, & ardentius pro eo apud DEUM intercederet.

3. Vocatio legitima. *Vers. IV.* *Præterea* ad Pontificatum legitima requiritur vocatio. *Non* enim *sibi ipsi quisquam* propriove ausu, pro se ipso *sumit*, ac sumere debet, *illum* Pontificatus *honorem*, qui sane maximus est & honorificentissimus; *sed qui vocatur à DEO*, is tantum sumit eum; *quemadmodum & Aaron*, primus Sacerdos, ad cujus exemplum reliqui omnes sumere debebant, nondum vocatus sumsit. Lev. VIII. 2. Numer. XX. 25. Koraeh, Dathan & Abiram cum sociis tentarunt sibi sumere renitente DEO, sed male ipsis cessit.

Applicatio ad Christum, & probatur 1. Vocatio ex Psalm. II. *Vers. V.* His omnibus in partibus, quas recensui, CHRISTUS JESUS legitimi Pontificis notas habuit, quemadmodum eas eidem accommodanti facile constabit. Nam, ut de ultima nota primum dicam, CHRISTUS, Pontifex noster maximus, quem habemus & profitemur, *non seipsum glorificavit*, vel

vel semetipsum in glorioſiſſimum Sacerdotii Antitypici honorem ingeſſit, ac ſibi ipſi ſumſit, ſine legitima vocatione: *ſed is, qui dixit ad ipſum: Filius meus es tu, ego hodie genui te,* quem Patrem facile intelligitis, tanto honore eum ornavit, ſecundum humanam naturam. Meſſiam enim, vel *unctum Domini* ejus in Hymni initio dici noſtis illum, quem Hebraica gens avide exſpectabat Redemtorem. Unctus autem appellatur, non ob Regium tantum munus, ſed & Sacerdotale, cujus haud obſcura ibidem veſtigia extant, quando ſtatutum decretumve Redemtionis enarraturum & gentes in hæreditatem ſibi concedi, poſtulaturum ipſum, David prædixit. Quo ſane interceſſio innuitur pro Gentium converſione, quæ, ut efficacia Prophetici & Regii officii, ita & cumprimis etiam merito Sacerdotii comparata eſt. Unde Filius, cum Pater in ſacrificiis Levit. non acquieſceret, ſe obtulit, Pſ. XL. 7. Qualis igitur quantusq; ſit Pontifex Chriſtus, hinc colligitur, non merus tantum homo, ſed & verus DEUS, Filius DEI, qui idem & Rex & Sacerdos conſtitutus à Patre fuit, ac cui etiam jure διάδοχῳ Pontificatus ſumi dignitas competebat, pro more in familia Patriarchali olim recepto, Geneſ. XXVII. 21. ſſ. XLIX. 3. *Hebr. V.*

Verſ. VI. Quemadmodum etiam alio in Hymno idem aſſeritur, quando Pater hunc in modum ad Filium dicit: *Tu es Sacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedeki.* Quo vocatio aperte innuitur. Dum enim Pater eum appellavit ſecitque Sacerdotem, & ab omnibus talem haberi voluit, utique illum vocavit ad tantam gloriam, qua omnes Leviticos Sacerdotes Pontifices q; ſuperat, cum & Rex & Pontifex ſimul ſit, ut Melchiſedek erat, de quo ſuo deinceps loco uberius diſſeram. Nunc id ſaltem indicare viſum fuit, quod ad inſtitutum præſens ſufficit, nempe Chriſtum Sacerdotale munus non rapuiſſe, ſed à vocante Patre accepiſſe, ſecundum oracula Vatum, adeoque pro ſummo Sacerdote merito habendum à vobis eſſe. Ac ne *& Pſ. CX. 3.*

Hebr. V. nomen tantum titulosque ejusmodi insignes ipsum habere existimetis, sine re, ostendam quoque breviter, nihil desiderari hic à quopiam posse, qui penitus Historiam Evangelicam introspexerit.

2. Oblatio. *Vers. VII.* Præstitisse enim JESUM omnia, quæ Pontificis summi sunt munia, in aprico est, & vel inde colligi potest, quod calidis precibus sacrificaverit: de quibus licet pauca admodum consignata sint, vos tamen ignorare nolim, maximi eas ponderis fuisse, ut mihi vix liceat vim verbis exprimere. Nam, ne illotis, quod ajunt, manibus aggrederetur officii partes, in precibus frequens & assiduus fuit, ac talis Pontifex, *qui in diebus* assumtæ *suæ carnis* & exinanitionis profundæ, *preces* non vulgari tantum modo fudit, sed & *deprecationes* ardentissimas, pro aversione malorum, pro remissione peccatorum, & *supplicationes* humillimas intensissimasque pro impetratione bonorum ineffabilium, cum alias, tum illo præsertim tempore, quo maxime malis premebatur, & diram in cruce mortem subibat, (Luc. XXII. 41. 44.) etiam *cum clamore valido* (Luc. XXIII. 49.) *& lachrymis ad eum detulit*, dum seipsum obtulit sacrificium, *qui se* ex omnibus perpessionibus atque *etiam ex morte liberare* & restituere *poterat*, Patrem scil. cœlestem, *&* ob precii precumque valorem, *reverentiam* item, pietatem & obedientiam Patri præstitam, *exauditus est*, ita ut metu ac circumspectione auxilii, quod tum non apparebat, potentissime liberaretur, & vitæ restitueretur.

3. Compassio. *Vers. VIII.* Jam & affectum miserendi & compatiendi in nostro Pontifice Maximo deprehendimus luculenter, & non sine stupore intelligimus. Nostis ex supra probatis, quod Pontifex hic noster, etiam qua homo, sit Filius naturalis Dei altissimi, unde minime videbatur conveniens, ut disceret quicquam, sed potius, ut per & propter communicationem idiomatum fueretur omniscientia divina, per quam omnia sciret, nec non omni-

omnipotens haberet dominium, per quod imperaret, non obediret in humilitate & cum subjectione servili. Verum enimvero *licet Filius DEI esset*, tamen seipsum sponte exinanivit plenario ac perpetuo usu exercitiove Majestatis divinæ, pro omnium hominum salute, & obediens factus usque ad mortem fuit, ac *didicit ex iis, quæ passus est*, sicut omni ita eo cumprimis tempore, quo publice officii partes obiit, *obedientiam*, ac intellexit ipsa doctus experientia magis magisque, quæ & quanta esset obedientia pro redemtione generis humani præstanda, & qua illam ratione in singulis partibus & circumstantiis adimpleret. Didicit nimirum in tentationibus & perpessionibus plurimis & maximis, quomodo patienter DEO obediendum ejusque auxilium potius exspectandum, quam temere aliquid tentandum sit. Didicit eo ardentius vehementiusque orare & clamare ad Patrem. Didicit, postquam exauditus est, quantum sua apud Patrem valeret intercessio & supplicatio. Didicit, qua ratione ad exemplum Patris sui ipse quoque obedientibus & tentatis subvenire deberet. (versu II.) *Hebr. V.*

Vers. IX. Quare omnibus omnino, quæ officii ratio requirebat, perfectis, per commemoratas hactenus proprietates, vocationem scilicet ad Sacerdotium legitimam, oblationem & intercessionem validissimam, ac præstitam in statu exinanitionis obedientiam, postquam *consummatus* est & perfectus redditus agnitusq; *factus est omnibus ei obedientibus* s. vera vivaq; fide adhærentibus & morem gerentibus, *autor salutis æternæ*, & merito & efficacia, cum affectu & effectu ubique Evangelium suum promulgans, & ad salutem vocans, conferensque omnibus, quotquot fidei obedientiam non malitiose repudiant, sed ordinem omnibus communem sedulo observant, & in tentationibus perseverant, ejus satisfactione & intercessione freti.

Vers. X. Ut adeo summo jure *pronunciatus*, declaratus & demon-

Hebr. V. & demonstratus sit *à DEO*, in hymno citato Davidis, *Sacerdos summus secundum ordinem Melchisedechi*; cum non tantum cuncta abunde præstiterit, quæ in typis Sacerdotum V. T. erant, sed eos etiam superaverit, atque propterea merito appellatus sit Pontifex maximus, secundum ordinem Melchisedechi, non Aaronis. Nam tanquam Sacerdos non tantum omnia fausta nobis adprecatur, sed etiam valida intercessione impetrat, quod sacrificio meruit, & tanquam Rex autoritate potentiaque confert, quæcunque salutaria sunt.

Argumenti difficultas ob ruditatem Hebræorum,

Vers. XI. De quo Sacerdote Principe secundum ordinem Melchisedechi, CHRISTO JESU, *multus* & copiosus *nobis sermo licet difficilis interpretatu* relictus adhuc est, cujus difficultatis causa in vobis residet, *quandoquidem segnes* & tardi *facti estis auribus*, ut nec libenter & attente audiatis, nec audita facile capiatis, utpote legi Mosaicæ nimium addicti, & de profectibus ulterioribus non adeo solliciti, vel calamitatibus pressi, quas sustinere fortiter & in iis exantlandis profectus ostendere debebatis. Ego tamen nihilominus pergam in incepto argumento, ac faciam, ut ad majorem perfectionem contendatis & perveniatis. Vos modo attentiores sitis, ne denuo tarditatem & somnolentiam vestram accusare necesse habeam.

quam merito reprehendit, & ostendit,

Vers. XII. Jure autem merito me vestram accusare negligentiam, certe multorum vestrûm, facile probabo. *Etenim cum* jamdum *deberetis* tam insignes habere profectus, ut ad docendum idonei & *Doctores esse* possitis, *pro ratione temporis*, quia jamdudum conversi & CHRISTUM JESUM professi estis, ac spatii satis otiique habuistis, mysteria altius meditandi & perdiscendi: *opus iterum habetis*, *ut* ego aut alius *quis doceat vos*, *quæ sint elementa ac* prima *principia eloquiorum DEI*, & capita maxime necessaria ibi tradita, & pueris, iisque, qui per Baptismum renascuntur Evangelio, tradi solita: *& facti estis* infantibus similes, per ignaviam vestram, qui catecheticæ ite-

iterum doctrinæ *lacte egeatis*, *& non solido cibo* sublimioris perfectiorisque cognitionis, qualis est adumbratio Christi in historia Melchisedeki & collatio Sacerdotii Christi cum Aaronico. *Hebr. V.*

Vers. XIII. Recte vero me modo dixisse, quod rudes & infantes sitis adhuc, non potestis ire inficias. *Quicunque* enim in Schola Christi talis est, ut adhuc *lacte* puerilis institutionis fovendus sit, ille certe *imperitus* est in tantum, in quantum de lacte participat, *sermonis justitiæ*, sive Evangelii, in quo non tantum vera DEI justitia nobis revelatur, quæ fidei est solius, & præcipua pars doctrinæ Christianæ, Rom. I. 17. X. 3. 4. Phil. III. 9. & vitæ Tit. II. 11. 12. 1. Joh. III. 7. sed etiam communicatur, Rom. X. 17. *Infans enim est* in Christianismo, quoad ignorantiam & inconstantiam. *Ex indiciis rudi-tatis.*

Vers. XIV. *Perfectorum* autem, qui adultiores sunt, & ad perfectionem tendunt, *est solidus cibus* sublimioris & accuratioris sensus & explicationis typorum V. T. veritatumq; Evangelii iis inclusarum, illorum videlicet, qui *per habitum* sermonis justitiæ supernaturalem, constanti & diligenti usu mediorum divinitus institutorum, per quotidiana exercitia audiendi, legendi & ad usum transferendi verbum DEI, Spiritus sancti gratia, comparatum, *sensoria habent* secundum interiorem hominem (s. spirituales aures, oculos &c.) *exercitat*, *ad discretionem boni & mali*, veri & falsi, in doctrina & vita. Conf. 1. Cor. II. 13. 15. 1. Thes. V. 21. *& perfectionis.*

CAP. VI. *Vers. I.* Tametsi igitur ruditatem vestram merito deprehendam, ac lacte vos opus habere dicam videamque; non tamen omnem vobis locum inter adultiores ac perfectiores denegabo, quem vel per longum Christianismi tempus meretis, sed numerabo vos inter eos, qui aliquo modo sensus exercitatos habent, ut ad ulteriora pergere non sine fructu queant, ac licet difficilis sermo sit explicatu, quem exorsus *Omissis tamen elementis.*

Hebr. VI. sum ; non tamen prorsus impossibilis perceptu erit. *Quare omisso sermone*, qui prima & primordialia doctrinæ Christi sive Christianæ, maxime de Christo agentis, capita tradit, *tendamus* magno studio & conferamus nos *ad perfectionem* s. uberiorem accuratioremque methodum tractandi mysteria, *non denuo fundamentum* ipsum *jacientes* spiritualis ædificii ; quod propterea nuda saltem repetitione vobis sisto, ex pluribus articulis coagmentatum, & in memoriam vobis revoco, ut semper ejus sitis memores. Primus omnium gradus ad Christianismum est *Pœnitentia*, à qua inchoarunt prædicationem Johannes, Christus ejusque Apostoli, quia sine ea omnia inania & inutilia sunt. Ejus vero ratio, ne vos lateat, consistit in totali immutatione & *conversione ab operibus mortuis*, quæ requirit cognitionem status miserrimi, in quem homo prolapsus est, ut in peccatis mortuus jaceat, nil boni dicere aut facere sed tantum malum queat, ac condemnationi mortive æternæ obnoxius sit, adeoque & ipsorum peccatorum agnitionem, & dolorem serium s. contritionem, ex Lege inferens. Deinde contritis peccatoribus, & liberationem à tot tantisque malis petentibus, *Fides* vera atque viva proposita fuit, ut nostis, *in* & super *DEUM* illum, in quem baptizari & credere debebatis per omnem vitam, qui est DEUS Pater, Filius incarnatus & Redemtor, atque Spiritus S. Sanctificator, ubi fidei natura, objectum & officium, quantum satis erat, exponebatur.

1. de Pœnitentia,

Eph. II. 1. ff.

רק רע

2. de fide,

Vers. II. Hinc *baptismorum doctrina* tradita vel ideo fuit; quia proselyti in Judaicam pariter ac Christianam Ecclesiam admittebantur per Baptismos ; ac, cum multi Baptismi ceremoniales in V. T. usurpati fuerint, ostensum, quid differret Baptismus N. T. ab illis, quæ istius sit necessitas, efficacia, & significatio, quid Baptismus Johannis & Christi, fluminis & flaminis. Porro baptizati ad ministerium publicum remittebantur, *manuum impositione* ordinari solitum, ut ab illo de Religione

3. de Baptism.

4. de manuum impos.

ligione Christiana, ac speciatim de potestate Clavium uberius informarentur, post Baptismum lapsi peccatorum remissionem consequerentur, & S. Cœna uterentur, sicque confirmarentur in fide. Et quia multa perpeti necesse erat, ad spem vivam *Resurrectionis mortuorum* deducebantur & erigebantur vestri animi, præsertim illam, quæ est ad vitam æternam. Denique *Judicium æternum* & status condemnationis subjungebatur, ne ex ejus meditatione ad priora peccata rediretis. Hæc atque his similia vobis sedulo inculcavimus, non ut in iis acquiescere-tis, sed ut ad perfectionem contenderetis, ac fundamento veritatum commemoratarum plura superstrueretis.

Hebr. VI. Act. VI. 6. 1. Tim. IV. 14. V. 22. 5. *de Resurrectione* 1. Cor. XV. 6. *de judicio æterno, ad perfectionem tendit, sperans non inanem fore hanc tractationem, cum non putet tales esse Hebræos, qui post plenam illuminationem, & acceptæ bona insignia,* II. Cor. IV. 4. ff. Heb. X. 26. Joh. III. 16. IV 10. Rom. V. 1. ff.

Versf. III. *Et hoc* quidem, quod diximus, nos omisso sermone primordiali doctrinæ Christianæ ad perfectionem contendere velle, *faciamus*, si, cum in viribus nostris non sit, DEUS gratiose *largitus fuerit*, de quo nihil dubitamus, & propterea eum ex animo supplices rogamus. Idque eo magis, quia vos non estis ex eorum numero, quos impossibile est, denuo renovari, sed meliora de vobis persuasi, speramus majores subinde profectus.

Versf. IV. Alioquin *enim impossibile* prorsus *est*, per ordinem à DEO constitutum, *eos*, *qui semel* atque perfecte *illuminati sunt*, per Evangelium & Sacramenta, tanquam media ordinaria, (inter quæ etiam est Baptismus, φωτισμὸς à veteribus deinceps dictus, quo promittunt tingendi, se in fide & Christianis institutis ad mortem usque perseveraturos,) ut ad veram fidelemq; DEI & CHRISTI Salvatoris cognitionem pervenerint: *quiq; gustarunt* donum *supracæleste*, Christum, præstantissimum munus Patris, cœlitus missum, dum ejus, & cum eo omnium beneficiorum participes facti sunt, remissionis peccatorum, justitiæ, pacis conscientiæ, lætitiæ spiritualis &c. ac senserunt, inæstimabilia & ineffabilia hæc bona esse: *& qui* per impositionem manuum (supr. ℣. 2.) *participes* etiam *facti sunt*

Hebr. VI. *Spiritus Sancti* ipsius, utpote qui gratiose inhabitat & replet corda fidelium, tanquam templa sua, ac donis perfectis beat, ut similiter sensérint ejus motus, ductus, atque solatia in adversitatibus.

eaque degustata, Rom. I. 16.

Vers. V. Et qui bonum, imo optimum *DEI verbum* in dulcissimis Evangelii promissionibus gustarunt, saluberrimum animæ cibum efficaciter sensérunt, ac viva inde solatia hauserunt in variis calamitatibus, & denique *virtutes futuri seculi* ipsasmet & bona cœlestia perceperunt, ac si delicias illas de ligno vitæ, manna absconditum, & aquas vivas fluvii crystallini de throno DEI & Agni procedentes, gustarint, iisdemque se refecerint:

Apoc. II. 7. 17. XXII. 7.

relabuntur, & renovari ad pœnitent. nequeunt,

Vers. VI. Et tamen scientes volentesque *prolapsi sunt* universali defectione à fide vera, in qua illuminati gustarunt illæ supercœlestia bona, *ut* quispiam *renovet* eos *iterum ad pœnitentiam* usque, qui primus est gradus & fundamentum primum, (℣. 1.) nedum ut ad ulteriores gradus perveniant; *eo quod sibi ipsis*, suo damno & exitio, ipsum Dominum gloriæ, salutis Autorem, *Filium DEI crucifigant denuo & ludibrio exponant* publice, in quem olim crediderunt, cujus beneficiorum participes facti fuerunt, nec meliores, imo pejores etiam sunt Judæis, JESUM ignominiose crucifigentibus, diris omnibus & convitiis proscindentibus, atque sic judicium gravissimum sibi accersentibus.

ex justo Dei judicio, quod similio illustrat.

Vers. VII. Non injustum vero esse tale judicium, quod contemtores mediorum salutis & defectores s. Apostatas manet, luculenta declarabo similitudine. *Etenim* sicut *terra, quæ combibit in se frequenter venientem pluviam*, matutinam & serotinam, Jac. V. 7. *& progignit herbam accommodatam illis*, *per* & propter *quos etiam colitur*, *accipit à DEO benedictionem*, testaturque se accepisse, dum fructus fert exspectatos: ita quoque illi, qui culturam cœlestem admittunt,

tunt, ſemen verbi recipiunt ac retinent, imbrem gratiarum Sancti Spiritus imbibunt, & fructus etiam deſideratos proferunt: atque hoc modo ad perfectionem & maturitatem contendunt, benedictionis divinæ participes fiunt, ita ut ſi maxime lapſi fuerint, tamen denuo ad pœnitentiam renovari queant, quia non voluntarie peccarunt, nec malitioſe ſupprimunt ſtimulos conſcientiæ, aut reſiſtunt Spiritui S. *Hebr. VI.*

Verſ. VIII. Quemadmodum *vero* contra *terra*, quæ quidem pluviam imbibit, nihil quicquam tamen herbæ bonæ ſed tantum *ſpinas & tribulos profert*, & præter naturam ejicit, abortumque quodammodo facit, *reproba* & nullius momenti ſ. bonitatis, ſed maledictioni propinqua eſt, ut eam præſentiſſimam poſt ſe trahat, *cujus finis ad combuſtionem* tendit: ſic etiam homines, qui acceperunt quidem verbum, imbiberunt gratiam, illuminati ſunt atque perceperunt dona ſupracœleſtia &c. ita tamen defecerunt penitus, ut omnia collata bona amiſerint haud tantum, ſed etiam non niſi mala opera patrent, ac ſpinarum inſtar veritatem antea agnitam pungant, impugnent, & evertere prorſus conentur, reprobi merito habendi, maledictione digni, & tandem æternis flammis comburendi ſunt.

Verſ. IX. *Perſuaſi autem ſumus de vobis, dilectiſſimi* Fratres, ſaltem de maxima veſtrûm parte, longe *meliora, &* quidem talia, *quæ habeant ſalutem*, confidimusque, vos non ita defeciſſe, ut terræ maledictæ comparari ac renovari amplius non poſſitis, *licet ita loquamur*; exhortandi quippe gratia ea dicimus, quo in vobis ſtudium proficiendi & ad perfectionem contendendi exacuamus, ne relangueſcentes paulatim in extremam decidatis apoſtaſiam. Quare non eſt, ut exiſtimetis iſta, quæ durius à nobis dicta videntur, eo pertinere, ac ſi de veſtra ſalute deſperaremus, aut parum vobis fideremus. Melius de vobis ſentimus, & exiſtimamus animos veſtros hac ratione ad meliora excitari poſſe. *Ratio, cur meliora de Hebr. ſperet,*

Hebr. VI. est, quod fidei operosæ & constantiæ specimen jam dederunt. 1. Thes. I. 3.

Verſ. X. Haud vero abs re hunc in modum de vobis ex charitate ſentio. *Non enim injuſtus eſt Deus*, nec propter fidem promiſſionis injuſtus eſſe poteſt, aut vult, *ut oblitus fuerit*, obliviſcive queat *veſtri illius operis*, fidei ſcilicet perſeverantis, *& laboris illius dilectionis*, ſive laborioſi ſtudii dilectionis, ex fide oriundi, adeoque Fidei veræ, vivæ & operoſæ, quam publice demonſtraſtis egregio & luculento exemplo, non ob gloriam quandam, quæſtum aut meritum obtinendum, ſed *erga* & propter *nomen ipſius* DEI, *dum miniſtraſtis* hactenus *ſanctis* fratribus indigentibus, vel ob Chriſtum vinctis, exulibus, aut aliter afflictis, quæ ad vitam ſuſtentandam & aliis in rebus neceſſaria ſunt, *imo* adhuc *ſubminiſtratis*.

Admonitio E. perſeverantiam ſpectat,

Verſ. XI. Quod igitur nihilominus vos exhortor, licet optime de vobis ſentiam, non ea cauſa eſt, quaſi dubitarem aut diffiderem de ſtudio veſtro, ſed quod ego, ac omnes boni, præcipue Doctores veſtri, paterno fraternoque affectu *cupidiſſime deſideremus* atque optemus, *unumquemque veſtrûm*, non quosdam tantum, vel plurimos, ſed ſingulos etiam, idem, quod modo deprædicavi, ſtudium operoſæ fidei, *oſtendere* re ipſa, *ad plenam* certamque *fiduciam ſpei*, *usque ad finem.* Conf. Cap. III. 6. 14.

ad exemplum fidelium in V, 1.

Verſ. XII. Hac autem ratione cupimus quemlibet veſtrûm demonſtrare ſtudium, *ut non* amplius *ſegnes ſitis* aut fiatis, *contra vero* potius *imitatores* ſtrenui & indefeſſi *eorum*, *qui per fidem & patientiam*, ſ. perſeverantiam, aut fidem, quam per ſuam longanimitatem & conſtantem exſpectationem in adverſis teſtatam ſatis fecerunt, *hæreditate* acceperunt & etiamnum *accipiunt* in poſteris & imitatoribus ſuis, usque ad hodiernum diem, *promiſſiones* tam præclaras, ſive tot tantaque promiſſa à DEO bona cœleſtia. Tales igitur ſequimini Majores veſtros, & non eos, qui divinis promiſſis diffiſi, Ægyptum reſpectarunt, ac proinde requiem promiſſam non intrarunt, nec ſub-

ducite

ducite vos, quando videtis persecutiones ingruere, DEumque tarde procedere in plene præstandis suis promissis de regno Christi in universo mundo. Non minus enim ea præstabit, quam præstitit ea, quæ prius fuere promissa. *Hebr. VI.*

Vers. XIII. *Nam*, ut unicum duntaxat, idque valde illustre, exemplum imitandi vobis adferam, *Abrahamo dum promitteret* DEUS, quo certior esset fides promissionis, jusjurandum interposuit, quod certissimum apud homines pignus esse solet; *& quia nullum habebat majorem, per quem jurare poterat, per seipsum juravit*, & graviter asseveravit, ad seipsum & perfectiones suas, vitam, veritatem &c. provocando, *præsertim Abrahami,*

Vers. XIV. *Dicens* promittendo simul & jurando in Breschit, ut nostis, pluribus verbis: Gen. 22, 16. s. *certe*, per memetipsum juravi, quia id fecisti &c. *omni bonorum genere te beabo, & mirum in modum augebo.* Quæ de cœlestibus bonis intelligi velim, & propter illa locum allego, non propter temporalia, quæ etiam promissa Abrahamo non nego. *Promissiones divinas jurato confirmatas,*

Vers. XV. Ille vero Abrahamus patientia usus inque fide constantissimus & perseverantissimus fuit, & *hac ratione consecutus est promissionem* vitæ æternæ in Christo, & hæreditate accepit bona cœlestia, quæ patienter exspectavit. *patienter expectantis & accipientis.*

Vers. XVI. Cum igitur suppetat vobis in Abrahamo Exemplum eorum, qui infallibiles habent promissiones ac longe firmiores iis, quæ ab hominibus per juramentum interposita firmantur, atque per fidem obdurantem promissionum istarum hæredes facti sunt & fiunt: imitari sane illud exemplum ita debetis, ut non segnes sitis, sed contra etiam magis magisque ad perfectionem contendatis. Jam vero habere nos promissiones ejusmodi certissimas firmissimasque, quibus inniti tuto possimus & debeamus, facile probo ex eo, quod DEUS juramento fidem obstrinxerit, licet eo non videatur opus, cum sufficiat dixisse & voluisse voluntate immutabili. *Nam homines quidem* *Non minus a firmum perseverantiæ fundamentum habemus, quam Abraham.*

Hebr. VI. *quidem* propter voluntatem facile mutabilem jurant, atque jurare possunt & debent, si gravitas rei postulaverit, *jurant* autem *per majorem*, nempe DEUM T. O. M. reverentiæ & immutabilitatis causa, quæ in solo DEO adoratur, ut testem & vindicem: *& juramentum* rite interpositum *omnis contradictionis* seu controversiæ, quæ *inter ipsos* homines intercedit, *finis est*, & esse debet, *ad confirmationem*, ita ut cogantur acquiescere, & litem contradictionemque finire, cum satis stabilita res sit, ac veritas per DEI immutabilitatem tandem triumphatura sit, quam DEUS, in testem vindicemque vocatus, non patietur temere mutari aut violari.

quia promissiones nobis quoque dedit & juramento confirmavit DEus,

Vers. XVII. *Quamobrem* etiam *DEVS*, pro sua φιλανθρωπίᾳ, *quum vellet ex abundanti demonstrare hæredibus promissionis*, quales nos omnes sumus, non solum Abrahamus, vel ab eo prognati, modo ipsius vestigia imitemur, *immutabilitatem voluntatis suæ*, quam in ipsis verbis promissionis expressit satis, & cui indubitata fides adhiberi debet ac potest, sine ulteriori confirmatione, *interposuit se* ac intervenit *mediante juramento*, accommodans se infirmitati nostræ.

ut firmam habeamus consolationem & spem,

Vers. XVIII. *Eum in finem*, *ut per duas res immutabiles*, nimirum Verbum & Juramentum, *in quibus impossibile est mentiri DEUM*, (si enim falleret fidem, DEUS non esset & exueret perfectiones suas, vitam, veritatem, immutabilitatem, sanctitatem &c.) *firmam* validamque *habeamus consolationem* in fideli corde, quod nititur duobus istis fulcris, *nos qui effugimus* ex pollutionibus hujus mundi, sicut Abraham, qui accepta promissione jurata effugit è patria, & ad DEUM confugit, tanquam asylum & præsidium unicum, *ut* per fidem veram apprehendamus & *teneamus* mordicus *spem propositam* salutis & vitæ æternæ, omnibus publice declaratam & oblatam in verbo promissionis juramento confirmato, & CHRISTO Salvatore, qui ceu consummatus per passiones & crucem sub N. T. expansis manibus

1. Pet. II. 20.

nibus venit ad nos juvandos, & ex profundo miseriarum eripiendos. Quando igitur dictum in modum ad eum confugimus, habemus rem speratam omnem. *Hebr. VI.*

Vers. XIX. *Quam* spem, salutem, & consolationem, quæ ex promissis fide acceptis oritur, *habemus* verissime *tanquam anchoram animæ, tutam juxta ac firmam*, cum DEI promissionibus firmissimis, utpote jurejurando confirmatis, nitatur: & ad eam confugimus merito, quando jactamur tentationibus, dubitationibus & persecutionibus, in procelloso mari hujusmundi, inque ea acquiescimus, certi satis securique, tot rerum discrimina nullo modo nos separare posse à salutis æternæ possessione stabili; cum habeamus anchoram sacram, sursum tendentem in cœlos, & pertingentem sive *intrantem* ac intrare facientem *in* summam æternamque gloriam, quæ per *interiora veli* s. sancta sanctorum, interjecto velo ac ea Tabernaculi Templique parte, ubi populus conveniebat, distincta, significabantur. *velut anchoram tutam in portu salutis.*

Vers. XX. *Quo* post corporis sui oblationem & expiationem peccatorum in his terris factam, *præcursor pro nobis* propria virtute *ingressus est JESUS*, qui promeruit omnibus introitum, quotquot unquam vel jam ingressi sunt, vel postea ingressuri erant, ac etiamnum intercedit pro nobis apud Patrem, *secundum ordinem Melchisedeck Pontifex factus in æternum*, ut dicere cœpi, & porro nunc de eo dicam. Ordinem igitur illum Sacerdotii Veteris Test. sustulit, quo soli Pontifici maximo, & semel quidem tantum in anno licuit sanctum sanctorum ingredi, ac omnibus aditum patefecit non tantum in umbraticum sacrarium, sed ipsum cœlum, per suum ingressum, Joh. XIV. 2. Quare non est dubitandum, quin secuturi cum simus, tanquam præcursorem & caput, ex natura relatorum. Lex rituum abrogata nunc est, quia habemus Pontificem secundum ordinem Melchisedeck; quod quid sit, nunc explicatius tradam. *quem aperuit Christus Pont. max. juxta ord. Melchisedeck.*

Hebr. VII. CAP. VII. *Melchisedeck descriptus 1. à nomine, 2. officio, 3. factis.*

CAP. VII. *Vers. 1.* Ut igitur plenius dilucidiusque vobis explicem sublime mysterium de Sacerdotio CHRISTI JESU, quam maxima præstantissimaque cultus Levitici in V. T. pars in Sacerdotio & Sacrificiis sita fuerit, & eorundem restitutionem per Messiam imperiti ignarique vana spe exspectent, *hic Melchisedeckus*, secundum cujus ordinem JESUS factus est Sacerdos in æternum, illustrem typum gessit summi nostri Episcopi, quemadmodum ex illis planum erit, quæ in Davidis Hymno, apud vos de Messia decantato, & communi veterum consensu intellecto, atque in Libro Creationis, de Melchisedecho leguntur, si ad JESUM, ut par est, applicentur. Dicitur enim ibi de Melchisedeko, quod fuerit & *Rex Salem*, quæ deinceps Jerusalem dicta, & *Sacerdos DEI illius* veri, altissimi ac *summi*, *qui* sive divino monitu, sive amicitiæ jure *occurrit* & regio instructus comitatu habituque ornatus Pontificali, obviam ivit *Abrahamo*, *revertenti à cæde Regum* istorum Gentilium, qui Lothum duxerant captivum, non tantum ut ei gratularetur de miraculosa victoria, & ex itinere fessos regia munificentia sublevaret & recrearet; sed etiam ut *ei benediceret* non vulgari more, sed ritu Sacerdotis & prorsus singulari, cujus formulam à Mose relatam nostis: *Cui* etiam, utpote Sacerdoti, majori & superiori, Abraham & ipse Sacerdos, *decimas ex omnibus* spoliis bello captis ab hostibus, (v. 4.) *impartitus est.*

Gen. 24, 18

v. 14.

Fuit typus Christi, 1. ratione nominis,

Vers. II. Hæc, quæ de Melchisedeko recensentur in S. Codice V. T. non superfunctorie legi sed accuratius expendi debent, ita, ut cogitetur, typum in iis latere Messiæ, qui secundum hanc rationem peculiarem, qua Melchisedekus Sacerdos fuit, similiter Pontifex esse debebat. Quare omnia omnino, etiam vocabula & tituli, in JESUM quadrant, & in eo longe superiori & excellentiori modo deprehenduntur, quam in Melchisedecko; *qui*, quemadmodum *primo quidem est*, *si interpreteris* nomen proprium, quo insignitur, מלכי צדק *Rex Justitiæ*,

Justitiæ, deinde vero etiam Rex Schalem, id est, Rex Pacis: Ita Messiam adumbravit, qui non tantum eadem nomina sed rem quoque nominibus significatam habere debuit, & habuit. Hinc est, quod passim in Prophetis Rex justus, & Jehovah justitia nostra appelletur: quod regnum ejus justissimum toties describatur: quod Schilo, Princeps Pacis vocetur, qui sanguine suo eam acquirere, nos ab hostibus spiritualibus vindicare, DEO reconciliare, & tandem in cælestem Jerusalem introducere debebat. *Hebr. VII. 2. ratione sedis & rei.*

Vers. III. Quemadmodum vero Melchisedeck porro à Mose non descriptus ita est, ut constet, quo stemmate oriundus fuerit, & quos Parentes habuerit, sed quasi cœlo delapsus *sine patre, sine matre, sine genealogia* fuerit, adeoque *nec initium, nec finem dierum habuerit*, hoc non sine causa gravissima factum censeri debet; sed eo pertinet, ut aptius typum gereret æterni Sacerdotis, Christi; in his enim *assimilatus Filio DEI* est Psalmo CX. *manet Sacerdos in perpetuum.* Hæc omnia vere competunt in Filium DEI, & propter eum dicta, scripta & adumbrata in Melchisedecko sunt. Fuit enim primo sine Patre & Matre. Tametsi vero certum exploratumque é Scripturæ S. testimoniis habeamus, quod JESUS secundum humanam naturam Matrem habeat, idque hactenus etiam demonstraverimus; tamen etiam revera sine Patre, sine Matre & sine genealogia esse, dici potest. Patrem sane non habet quoad humanam, nec Matrem, quoad divinam naturam. Familiam insuper & Genealogiam non agnoscit, secundum utramque naturam. Nam licet à Patre sit per generationem, & alia persona à Patre, non tamen multiplicatur in illo persona Patris, ut in Genealogiis fit: nec qua homo habet filios aut successores, in quos transeat Sacerdotium, sicut apud Levitas [ℵ. 24.] usu veniebat. Denique vere nec initium nec finem dierum habet, sed æternus est & in æternum Sacerdos noster manet. 3 *quia ἀγενεαλόγητος.*

Hebr. VII. Unde sacerdotii Christi sublimitas. asseritur 1. ex decimatione Abrahami,

Vers. IV. Advertite vero oculos animosque, & diligenter perpendite ex iis, quæ hactenus ex sacris literis recensuimus, *quantus sit hic* Melchisedecus, tantus scilicet, ut non tantum honorarium aliquod, sed ipsas *etiam decimas*, quas illis concesserat DEUS, qui sibi proximiores erant & serviebant, ceu de Levitis constat, *dederit ei Abrahamus ex manubiis*, sive præstantissima parte prædæ, *ille* omnium maximus *Patriarcha*: & quantus sit Filius DEI, Sacerdos summus secundum ordinem Melchisedeci, tantus profecto, ut nullum habeat parem, cujus typus tantum fuit Melchisedecus, & quantamcunque habuit dignitatem, propter eum habuit, quem adumbravit. Itaque facile colligi potest, JESUM non tantum Abrahamo, sed & Melchisedeco, nedum omnibus Sacerdotibus Leviticis, longe esse superiorem.

quæ differt à vulgari s. Levitica.

Vers. V. Si quis objiciat exemplum Levitarum & arguere inde velit, Melchisedechum non fuisse Sacerdotem omnium maximum, cum & illi non minus decimas à populo Israëlitico acceperint, quam Melchisedechus ab Abrahamo, ei sequentem in modum respondeo, *ii quidem, qui ex filiis Levi Sacerdotium* legitime *accipiunt* & ineunt, *præceptum habent* atque jus *decimandi* duntaxat *populum*, *secundum legem* ejusque præscriptum, non pro arbitrio, *hoc est*, *fratres suas*, *utpote egressos è lumbis Abrahami*, & eodem semine ortos; neque ad alios extraneos, aut longius se porrigebat jus ac dignitas Sacerdotum Leviticorum.

Vers. VI. At is, *Melchisedeck*, *de quo loquor*, *qui genealogiam suam non habet*, nec idem genus ducit *ex istis* Leviticis Sacerdotibus, atque adeo dignitatem à familia sua non mutuat, sed per se ipse maximus & excellentissimus est, *decimavit* non tantum fratres Levitarum, sive Israëlitas, sed & ipsum *Abrahamum* Patriarcham, totius generis Levitici & Israëlitici Patrem, *ac eidem*, *qui* tot & tantas *promissiones* à DEO ipso acceptas

ceptas *habebat*, non tantum corporales de terra Canaan, sed cum primis etiam spirituales & æternas de Messia ejusque evlogiis, *benedixit*, ita ut confirmaverit illi procul dubio promissionem omnium maximam, de cunctis gentibus nationibusque in ipsius semine, Messia, benedicendis, qui omnes spirituales humani generis hostes devicturus, iis prædam erepturus, ac captivitatem captivam ducturus esset; cujus prælii & triumphi præludium in debellatis Regibus Ethnicis & liberato Lotho, Abrahamus dedit. *Hebr. VII.*

Vers. VII. Jam *vero extra omnem controversiam est positum, id quod minus est, ab eo quod majus est, benedictionem accipere* solennem, Sacerdotalem & Propheticam, quæ cum effectu sit conjuncta, quemadmodum ex omni Scriptura liquet. Unde validissime colligitur, Melchisedechum, utpote sic benedicentem Abrahamo, hoc longe fuisse excellentiorem, & Messiam, cujus typum Melchisedechus gessit, ac cujus nomine autoritateque decimas accepit & benedictionem impertitus est, omnium maximum esse Sacerdotem, & maximum adeo discrimen Levitici & Melchisedechiani pontificatus esse. Sic ergo Christus à Melchisedecko in isto actu repræsentatus, longe major excellentiorque Abrahamo esse censendus est, cum Abrahamus benedictionis hæres, Christus autem dator & Dominus hæreditatis fuerit. *2. ex benedictione*

Vers. VIII. Nunc aliud quoque discrimen accipite utriusque Sacerdotii, ex parte decimantium. *Nam hic quidem*, sive in negotio Leviticæ decimationis, *decimas accipere solent homines mortales* & subinde morientes, successoribusque indigentes, nec assimilati Filio DEI in eo, ut maneant Sacerdotes vivantque in æternum: *ibi vero*, in ordine sive Sacerdotio Melchisedeciano, decimas accipit *is*, *cui testimonium perhibetur*, *quod vivat*, nempe Melchisedecus, in typo, cujus mors in Scriptura S. vel ideo descripta non extat, vel translatus in cœ- *differentia rat. decimantium,*

Hebr. VII. lum vivus fuit, ſicut Enoch & Elias, ut tanto convenientius perpetuum illud Sacerdotium Chriſti repræſentaret, qui revera vivit in æternum in ſuo Sacerdotio, & abunde typum hac quoque in parte explevit, ac recte dicitur Sacerdos in perpetuum, ſecundum ordinem Melchiſedeck Pſalm. CX.

& decimatorum. *Verſ. IX.* Pariter quoque intercedit diſcrimen inter decimatos ex utroque ordine. Nam, *per Abrahamum*, Patrem auctoremve gentis Hebraicæ, decimatum, ac in eo, *ut ita dicam*, ſuo quodam modo, *ipſe etiam Levi qui decimas accipere ſolet*, cum omnibus poſteris, atque adeo Sacerdotibus Leviticis, *decimatus eſt*, à Melchiſedeco, & conſequenter etiam benedictionem ab eodem accepit, quam expetiviſſe Abraham ſibi & poſteritati ſuæ ipſa decimarum penſione, colligi poteſt. Conf. Grot. & Eſt. h. l.

Verſ. X. Adhuc enim in lumbis Patris erat Levi, *cum occurreret ei* (Abrahamo) *Melchiſedechus*, ſicque ſeipſum decimare non poterat; quare per Abrahamum decimari debuit, & decimatus eſt. Nam ſi ex lumbis Abrahami egreſſus fuiſſet, ſeipſum omnino decimare debuiſſet, cum non major Patre futurus, ac idem fundamentum decimationis in eo extitiſſet. Unde iterum conſequitur, Melchiſedecum ſupra Leviticum ordinem, & multo magis Chriſtum cum ſuo Sacerdotio ſupra Leviticum eminere, & in Melchiſedeci perſona decimaſſe Abrahamum cum omnibus poſteris, nec in lumbis Abrahami fuiſſe, cum non naturali lege & ordine, ex ſemine virili, ab eo prognatus, ſed ſupernaturaliter & miraculoſe è virgine conceptus ſit, extraordinaria Spiritus ſancti operatione, quemadmodum ex Hiſtoria Evangelica ſatis liquet.

Effectus & utilitas Sacerd. Chriſti eſt conſummatio, quæ *Verſ. XI.* Cum igitur ex hactenus deſceptatis demonſtratisque de Pontifice ſecundum ordinem Melchiſedeci, planum omnino eſſe exiſtimem, quod Chriſtus maximus omnium, ac ſpeciatim etiam Sacerdotum Leviticorum, ſit Sacerdos, inde porro

porro colligi potest ac debet, quævis, dignitas, imo etiam necessitas Sacerdotii Christi fuerit, quodque Leviticum Sacerdotium ei cedere, & abrogari debuerit. *Siquidem igitur consummatio*, sive plena perfectaque reconciliatio hominum peccatorum cum DEO, justificatio & sanctificatio &c. *per Leviticum Sacerdotium*, ejusque Legem, cultus, sacrificia inprimis, & similia, *contingere posset*, (*populus enim* Judaicus *super ea* consummatione universam præceptorum & operum *Legem accepit*, eum in finem per se tendentem, ut coram DEO justificaretur, & æternum viveret, adeoque non tantum corporalia bona promittentem, licet id præstare non potuerit, propter infirmitatem carnis, v. 18. 19. ac propterea abrogari debuerit, quod probare hîc annitor,) *quæ adhuc necessitas* foret, *juxta ordinem Melchisedeci alium excitare Sacerdotem*, longe majorem, ut dixi, ad implendum hujus typum, *& non* potius *secundum ordinem Aaronis appellari* (& esse) in Psalmo CX. à Davide? præsertim cum ordo Leviticus Davidis ævo ita jam fuerit constitutus & perfectus, ut ei nihil addi posse videatur, aut additum legatur. Quia vero David spiritu Prophetico promittit alium venturum Sacerdotem, non secundum ordinem Melchisedechi, satis indicat, non posse obtineri consummationem per Sacerdotium Leviticum, sed hoc abrogandum & transferendum esse. *Hebr. VII. in Levitico non erat,*

Vers. XII. Neque vero Sacerdotium tantum sed ipsa etiam Lex transferri mutarique debebat, ceu ex dictis efficitur. *Cum enim transferatur* & mutetur *Sacerdotium* Aharonicum, quod excitatio novi Sacerdotis necessario infert, pari *necessitate etiam* universæ *Legis* Mosaicæ, sive operum, quæ super isto Sacerdotio lata erat, *translatio* & abrogatio *fit*, cum nihil magis consummare & justificare queat, quam Sacerdotium, utpote quod Lege nititur, & non nisi per legem consummare potest. *ideo abrogari cum lege debebat,*

Vers. XIII.

Heb. VII. ut ex Psal. CX. liquet.

Vers. XIII. Quæ, ne in dubium vocari queant, denuo iterumque ex verbis Davidis & ipsa experientia propabo. *De quo enim* ibi *dicuntur hæc*, quod alium oporteat surgere Sacerdotem secundum ordinem Melchisedeci, (℣. 11.) ille *de tribu alia participavit* cum carne & sanguine (supra II. 14.) sive prognatus est, *de qua nemo* ex legis vigore atque de jure *curam gessit altaris*, sive attendit.

quod per Jesum factum.

Vers. XIV. Manifestum enim factum est, cum revelationibus testimoniisque Prophetarum, tum complemento, vobis Hebræis, non tantum fidelibus, sed aliis etiam, inter quos versatus fuit JESUS, nec unquam in dubium vocatum, & *quod* is, de quo ista dicta sunt, *Dominus noster* J. C. & quod hic Dominus noster *è* tribu *Juda ortus sit*, *de qua* tribu nihil unquam *quoad sacerdotium Moses est locutus.* Alterius igitur generis ordinisque eum futurum Sacerdotem, ac proinde Sacerdotium Leviticum abrogaturum, promtum est colligere. Novus Sacerdos ex tribu Juda non accedit ad altare, adeoque nec populus, cujus est Sacerdos. Abrogari itaque Lex rituum debuit.

Vers. XV. Neque enim minus perspicue translatio legis inde colligitur, imo *adhuc amplius* id *manifestum* est, & magis evidenter sequitur ex hoc, quod omnino transferenda & abroganda Lex sit, *si* vi verborum Davidicorum, *secundum similitudinem* Melchisedeci, supra descriptam, & porro describendam, non secundum similitudinem Aaronis, *alius surgit* & certo surgere debuit Sacerdos.

Vers. XVI. Quippe *qui* Sacerdos alius, Dominus noster J. C. *non secundum legem præcepti carnalis constitutus est*, ut consummet perficiatve opus Reconciliationis nostræ, juxta tenorem Mosaicæ legis, quæ occupabatur in rebus carnalibus, externis, infirmis & minime efficacibus in se, ut erant sacrificia, purificationes variæ &c. & in carnali successione Sacerdotum consistebat, per quos isti ritus perficiebantur: sed potius ut consum-

consummet omnia, *juxta virtutem*, potestatem & vim *vitæ indissolubilis*, æternæ & immortalis, quam non tantum habet ut DEUS, sed quæ etiam Humanæ ipsius Naturæ communicata est, & quam in regno potentiæ, gratiæ & gloriæ, ac inprimis exserit in hominibus consummandis s. salvandis, per Evangelium, tanquam δύναμιν Θεοῦ, Rom. I. 16. Hebr. VII.

Vers. XVII. Quam divinam virtutem salvandi ei tribuit David in loco sæpius citato. *Testatur enim* id de eo his verbis: *Tu es Sacerdos in æternum ad rationem Melchisedeci.* Ubi æternus vocatur Sacerdos non tantum ratione personæ, sed etiam ratione officii & effectus perpetuo durantis & valentis.

Vers. XVIII. Nam, ut hoc etiam uberioris confirmationis explicationisque loco addam, per hoc ipsum testimonium ex Hymno Davidico prolatum, *abrogatio fit mandati* legis carnalis, *quod* diu *præcessit* Prophetiam illam de Christo, *propter infirmitatem & inutilitatem suam*, ad expiationem peccatorum & salutem æternam, cum in eum finem lex data sit, ut esset typus & umbra spiritualium bonorum. Quæ quidem abrogatio Legis ex abrogato Sacerdotio Levitico, tanquam infirmo & inutili, quod in Psalmo innuitur, dilucide infertur. Quando enim DEUS Messiam Sacerdotem in æternum ibi vocat, hoc ipso indicavit, priores Sacerdotes secundum legem imbecillem constitutos, non posse in æternum subsistere aut prodesse, propter infirmitatem suam propriam, sed utrumque abrogandum esse; Messiam contra in æternum permansurum ac profuturum efficaci officio & effectu.

Vers. XIX. Merito etiam abrogatam Legem cum Levitico Sacerdotio esse, facile intelligere ex hoc ipso potestis. *Nam nil* quicquam *consummavit*, vel justificare per se & per opera sua potuit Lex, post lapsum, licet justificationem urserit, *sed superintroductio melioris spei* per Christum facta, ejusque Sacerdotium, consummat: *per quam* superintroductionem spei, fide

Hebr. VII. apprehensam, solum *appropinquamus* & accedimus *ad* ipsum *DEUM* & Patrem nostrum, (Cap. XI. 6.) ut reconciliati cum ipso, per Sacerdotem nostrum, JESUM. In V. T. solus Sacerdos summus appropinquabat ad DEUM, idque nonnisi semel in anno, reliqui omnes per Sacerdotem, per sacrificia, per symbola & umbras ad DEUM accedebant. Nunc vero in N. T. appropinquamus confidenter & semper DEO, & habemus spem vivam.

Æternitas sacerdotii Christi.

Vers. XX. *Et* sane *in quantum non sine juramento* illa spes melior superintroducta est per Christum, Sacerdotem nostrum.

Vers. XXI. (*Nam illi quidem*, Levitici Sacerdotes, *sine juramento factis Sacerdotes sunt*, cum id in universa Scriptura S. nuspiam legatur; *hic autem*, Christus, *cum juramento* factus est Sacerdos, *per eum*, *qui dicit de illo*: *juravit Dominus*, *& non pœnitebit ipsum*, *tues Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech.* Illud autem Sacerdotium demum immutabile & melius censendum est, quod juramento confirmatum est.)

& præstantia,

Vers. XXII. *In tantum melioris Testamenti*, & spei etiam, *factus est sponsor JESUS*, qui quasi data manu promisit, inque se recepit onus satisfaciendi pro hominibus, à quibus cum perfecta legis obedientia, tum plena satisfactio pro peccatis exigebatur, ille utrumque spospondit & stipulatus est, ac Pater vicissim accepit sponsionem, quam Sponsor etiam præstitit, & hoc ipso non tantum nos liberavit ab omnibus malis, sed nobis etiam bona quævis promeruit.

quia sponsionem præstitit aliis impossibilem.

Vers. XXIII. Quantum hic sponsor præ omnibus aliis in V. T. sponsoribus & Sacerdotibus valeat & emineat, & quanti proinde sponsio ejus æstimanda sit, ex sequentibus facile colligere potestis. *Et enim illi quidem in V. T. plures facti sunt Sacerdotes*, tanquam infirmi, peccatores, & perfectione destituti, adeo ut nullus ex omnibus fuerit, qui non ob proprium peccatum morti succumbere, pro se ipso offerre & sponsionem

Goëlis

Goëlis petere coactus fuerit. Et cum moriendo desinerent esse Sacerdotes, non poterant consummare & salvare peccatores, quos post se reliquerant vivos. *Hebr. VII.*

XXIV. Hic vero, JESUS, *quod maneat in æternum*, à morte invictus, cum eam ipse moriendo vicerit, *Sacerdotium habet*, *quod* non solvi, nunquam auferri potest, sed *immobile*, inexpugnabile & sempiternum *est*, adeoque nec successores, nec vicarios agnoscit. *mortem vicit, manet.*

Vers. XXV. Unde etiam ex omnibus necessitatibus omnium temporum eripere, *salvare* & consummare plene ac *in perpetuum potest*, per modum veri Intercessoris, per meritum suum, eos omnes, *qui per ipsum*, tanquam unicum Mediatorem, *accedunt ad DEUM, cum semper vivat ad intercedendum pro ipsis*, hominum causam agendo, orando pro illis, ut nullis aliis intercessoribus indigeant. *æternumq; salvat.*

Vers. XXVI. Talis enim, qualem modo dixi JESUM esse, Sacerdotes autem Leviticos non esse, & quem nunc plenius describam, *nos decebat*, ac necessarius omnino nobis erat, vi justitiæ divinæ, quæ sine pleniſſima sanctissimaque satisfactione remittere peccata non poterat, *Pontifex summus*, nempe *sanctus*, eminentissime & excellentissime, respectu divinæ non tantum sed & humanæ naturæ, in qua ut omnis plenitudo Deitatis, ita & sanctitatis habitabat, ut omnes sanctificare & pro omnibus sanctam victimam offerre posset, non qui inscriptum tantum laminæ ad frontem appensæ gerebat קדש ליהוה Exod. 39. 30 *vitiositatis* omnis *expers*, & remotus longissime à re mala quacunque, qui malum adjacens & peccatum ἐυπερίστατον (XII 1.) non habeat, *non coinquinatus*, sed impollutus & immaculatus, quia non ex impuro semine conceptus & natus, sed ab utero purus erat, *segregatus à peccatoribus*, non tantum per interpositionem veli, ut Pontifex V. T. sanctum sanctorum intrans, sed nullo modo inter peccatores referendus, licet inter eos viveret, *Ejus necessitas,*

Hebr. VII. veret, ab aliis peccator haberetur, & peccatum pro nobis fieret; versatus enim est inter homines peccatores, sicut Medicus inter ægrotos, sicut Pastor inter oves: denique *excelsior cœlis factus* tanquam homo, qui tanquam DEUS omnibus cœlis ab æterno excelsior fuit & sublimior fieri non potuit.

ad obtinendum finem.

Vers. XXVII. Hæc necessitas hujusmodi Pontificis summi, quem breviter descripsi, utique requirebatur ad finem obtinendum in Sacerdotii munere apud DEUM rite perficiendo. Talem enim debuimus habere Pontificem, *qui non haberet quotidie*, ut in sacrificio jugi & alias fiebat, *necesse*, *quemadmodum* Num. 28, 3. *Sacerdotes Principes* Levitici, *primo pro peccatis propriis offerre* Levit. 16, 5. *victimas*, *deinde* & pro *populi* delictis; *hoc enim* posterius, & 15. non istud prius, quod minime necesse fuit, ut ex ante dictis (v. 26.) colligere licet, *fecit semel*, *seipsum offerens* pro populo solum, imo toto genere humano, non pro seipso.

Vers. XXVIII. Ubi non mirum vobis videri debet, quod, & quomodo Sacerdos noster summus, JESUS, id facere potuerit, ut semel tantum & sufficientissime validissimeq; seipsum pro peccatis populi obtulerit, cum omnibus Leviticis Sacerdotibu tales quid integrum aut possibile haud fuerit; *nam*, ceu ex supra disceptatis constat, *Lex homines* tantum *constituit Sacerdotes magnos*, *infirmitate* & peccato (v. 26. 27.) *laborantes*, qui salvare se aliosque nequibant, *sermo autem juramenti* in verbis Psalmi, quod *post legem* latam conceptum est, constituit Sacerdotem *Filium* DEI, *in æternum consummatum*, non tantum ratione personæ & officii, sed etiam ratione meriti atque efficaciæ, ut adeo consummatus ex omni parte Pontifex sit, & omnes consummare possit, in quo Pater acquieverit, utpote plene perfecteque reconciliatus.

CAP. VIII.

Eminentia Sacerdotii.

CAP. VIII. *Vers. I. Summa vero* & caput *eorum*, *quæ* de Sacerdote secundum ordinem Melchisedechi *dicuntur* in Psalmo, quæque omnia dicta continent & confirmant, hoc est. *Talem*

Talem tantumque *Pontificem maximum* & Regem *habemus* omnes homines, & deinceps ad finem habebimus, noſtro bono, JESUM, Filium DEI, *qui conſedit ad dextram ſolii* illius *Majeſtatis in cælis*, poſteaquam omnia, quæ in his terris ad Redemptionem noſtram ſpectabant, abunde complevit & conſummavit, adeoque ſecundum humanam naturam ad ſummam vereque divinam dignitatem evectus, æqualem Patri & Spiritui S. potentiam & gloriam habet, quam illa ſeſſio ad dextram DEI arguit, ceu ex Davidis Hymno, unde hactenus aſſerta probavi, vobis conſtare poteſt, utpote in cujus fronte hæc ſumma traditur: *Dixit Dominus Domino meo, ſede ad dexteram meam* &c. Ad tam potentem & clementem Pontificem atque Regem accedere omnes confidenter poſſunt. Cap. IV. 16. *Hebr. VIII. J. C. in ſtatu exaltationis.*

Verſ. II. In iſto ſolio divino non otioſe ſedet Rex atque Pontifex noſter, ſed etiamnum fungitur ſuo officio, & *eſt ſacrorum* omnium, quæ nobis neceſſaria & ſalutaria ſunt, non typicorum & umbraticorum, ut in V. T. erant, *Curator* atque Diſpenſator Optimus, Maximus; & quidem cœleſtium bonorum Moderator & Adminiſtrator eſt *in tabernaculo illo vero, quod fixit* fixumque & immobile ſtatuit *ipſe Dominus, & non homo*, ubivis, ubi DEUS ipſe eſt, à cujus latere, ut ſic dixerim, nunquam recedit, ac intercedendo pro nobis jugiter placatum illum & gratioſum nobis reddit, etiam in cordibus fidelium, quæ templa & habitacula DEI ſunt. *ratione obſti & loci.*

Verſ. III. Omnis enim Sacerdos princeps ad offerendum dona & victimas in tabernaculo aliquo *conſtituitur. Quare neceſſe eſt, habere quid etiam hunc* noſtrum Pontificem maximum, J. C. *quod offerat*, & tabernaculum aliquod, ubi offerat; habet autem iſta non terrena & umbratica, quia hæc cum excellentiam Sacerdotii, tum ipſum Sacerdotium ejus everterent, ſed vera & cœleſtia. Quemadmodum Pontifex M. V. T. extra tabernaculum mactabat, & cuncta ex præſcripto Legis *probatur* Conf. ſupr. V. 1.

Hebr. VIII. præparabat, deinde vero in tabernaculum cum sanguine & suffitu ingrediebatur, ibique pro more offerebat: sic etiam verus Pontifex M. Christus, extra verum tabernaculum, in terra atque ara crucis semetipsum obtulit, ac ingressus postea in verum tabernaculum fuit, ubi ad dextram Majestatis sedens, merita omnium actionum passionumque, quæ hac in terra præparavit, conspectui divino semper proponit & offert.

quia non versatur circa typica.

Vers. IV. Quod si autem aliquis excipiat: concedi quidem posse, JESUM habere aliquid quod offerat, inde tamen nondum effici aut sequi, quod nunc offerat dona sacra, postea quam consedit ad dextram Majestatis, ei hæc repono, & simul assertionem meam probo: *Si quidem enim* JESUS *super terra esset* λειτουργὸς, & circa terrena s. typica occuparetur, (v. 5.) neque Sacerdos verus esset, & sufficiens pro nostra Redemtione & Salute, qualiutique opus habemus; *cum ipsi Sacerdotes, qui secundum Legem offerunt dona* & victimas, *illi sint, qui figura & umbræ ministrant supracœlestium*, i. e. super terra sint, sive terreni & typici, ex quorum ordine Christus non fuit.

ut Sacerdotes V. T. Ex. 25, 40.

Vers. V. *Quemadmodum divinitus informatus est Moses*, quum erecturus & consummaturus esset tabernaculum. *Vide enim, dicit* ipsi DEUS oraculo monens, *ut facias omnia secundum typum monstratum in monte* Sina; ubi sane typus & umbra supracœlestium intelligitur, ac ipse Moses vidit in Spiritu aliud sanctius perfectiusque tabernaculi sive templi genus, aliud item sacerdotii & victimarum genus.

quia melioris Testam. Mediator est,

Vers. VI. *Jam vero* tanto *præstantius* excellentiusque *nactus est ministerium* JESUS CHRISTUS, *quanto etiam melioris Testamenti*, quam prius Leviticorum Sacerdotum Testamentum erat, *Mediator* est, quippe *quod super melioribus promissionibus sancitum est*, nempe gratuitis, quæ fide accipiuntur, cum prius conditione niteretur impossibili, fac hoc & vives, nec de reconciliatione cum DEO quicquam sciverit. sed iram ejus potius auxerit.

Vers.

Vers. VII. Certum enim est quod prius Testamentum fuerit reprehensibile, sive tale, in quo aliquid possit desiderari, certa ratione & respectu, nempe justificationis, & quæ ab illa dependent. Quod quidem facile probatur. *Nam si Testamentum illud prius fuisset irreprehensibile, non secundi* Testamenti *locus requireretur*, aut necesse fuisset, ut Novum Testamentum locum & officium obtineret in Ecclesia, ad justificandum & salvandum. Atqui requisitus est secundi locus, ut patet, & jam probabo. *Hebr. VIII. cum Vetus sit reprehensibile.*

Vers. VIII. *Nam reprehendens illos*, qui sub eo erant, DEUS apud Jeremiam Vatem XXXI. 31. *dicit*: *Ecce dies veniunt* & tempora, quæ Messiæ esse fatemini, *quibus*, ut promisi, opere ipso consummabo *& perficiam super domum Israel & super domum Juda*, sive universos Judæos & Israëlitas, quos minime excludam, cum gratiam uberiorem offero cunctis gentibus, *Testamentum novum*: quo sane dilucide reprehenditur Vetus & abrogandum prædicitur, tanquam infirmum, ac ratione effectus culpabile. *pro ex Jerem. 31. 31.*

Vers. IX. Hoc Novum Testamentum alius prorsus generis erit, ac vetus illud fuit, *non* enim *secundum illud Testamentum, quod feci Patribus eorum, in die*, quâ tanquam nutricius, vel pater *apprehendi manum eorum* benigne & firmiter, *ut educerem eos ex Ægypto*, præcedens interdiu in columna nubis & noctu in columna ignis: *quoniam illi non manserunt in Testamento meo*, nec servare potuerunt, ac propterea *negligere eos coactus sum, inquit Dominus* & pro jure Dominii severe tractare, ut pœna afficerem & fastidirem; motus tamen misericordialius generis Testamentum erigere statui, & promisi.

Vers. X. Hoc autem & hujusmodi est Testamentum novum, *quod disponam domui Israel* & universo populo, *post dies hos*, *dicit Dominus*, *ut daturus sim leges meas* & doctrinas salutares *in mentem eorum*, *& super corda eorum scripturus illas*, ego

Hebr. VIII. ego ipse omnia faciam, & cum alium Salutis ordinem constituerim in Nov. Test. qui non requirat obedientiam legi plene perfecteque præstandam, sed fidem & fructus fidei in nova obedientia, veteris hominis mortificatione & novi inductione, ego cor novum creabo, per Spiritum S. illos illuminabo, atque cuncta ex gratia donabo, sicque *ero ipsis in DEum* gratiosum & benignum, omnia impertiar salutaria, & *illi* quoque *erunt mihi in filios*, fideles & obsequiosos.

Vers. XI. *Et*, qui alius etiam fructus est Novi Testamenti, *non docebunt quisque proximum suum, & quilibet fratrem suum*: ut prius docuerunt sub Vet. Test. cum rigorosa expostulatione, indesinenter urgendo sub maledictione perfectam DEI cognitionem & cultum inde profectum, dicendo: *Cognosce DEum*, quod Jehova sit Elohim, qui te eduxit ex Ægypto, hunc solum DEUM habeto, amato, *colito*, ex toto corde &c. & reliqua omnia quæ à Lege s. Decalogo exiguntur, sub hac conditione impossibili: fac hoc & vives; *quoniam omnes cognituri sunt me à minimo eorum usque ad maximum*, notitia Evangelica & salutari, quam ego per media efficacia in maximis & minimis excitabo, quaque qui fuerint prædíti, liberati erunt à rigore Legis, ut perfectam DEI cognitionem & plenam obedientiam ab illis postulare nequeat, nec maledictionem inferat.

Vers. XII. Ratio autem, cur necesse non sit, ut unus alterum ex Veteri Lege doceat, quomodo ad DEUM pervenire queat, hæc est, *quia propitius ero iniquitatibus eorum, & peccatorum injustitiarumque illorum non recordabor amplius.* Hæc notitia Evangelica s. fides sola sufficiens erit ad salutem, nec Lex habebit amplius, quod urgeat. Sciunt enim omnes sufficienter ex novo fœdere Evangelii, DEUM, vi Testamenti sui novi, ex gratia propter Christum peccata quæcunque remissurum.

Probationis s. illationis *Vers. XIII.* Ex hoc igitur Jeremiæ oraculo recte ita colligo: *Quando* Dominus promittens se erecturum Testamentum,

tum, illud *novum dicit*, per hoc ipsum *antiquavit vetus*, & propter infirmitatem carnis vetus & inutile redditum, declaravit, quoad valorem ac virtutem operandi. *Omne vero* Testamentum, Lex, & si quid aliud, *quod vetus fit*, per mutatum objectum, aut transformatum rerum statum, *& senescit*, instar hominis decrepiti, qui viribus exhaustus & invalidus est, *prope est*, *ut evanescat* è conspectu, ac dispareat. Unde necesse fuit, ut novum succederet & in lucem prodiret; quod his temporibus factum esse, manifesto intelligitis. Tametsi enim novum jam dudum promissum, & mox post lapsum Adami vetus vetustum & invalidum redditum fuerit, tamen non prorsus hoc abolitum est, nec illud statim plenam lucem edidit, ac vetus obscuravit antiquavitque, sed nunc demum, cum venit plenitudo temporis (Gal. 4, 4.) hoc contigit, & cernitis in dies magis magisque conseneſcere fœdus prius; templo autem & urbe terraque sancta devastatis, quod intra paucos annos fiet, plene cuncta antiquabuntur & evanescent. Hebr. VIII.

CAP. IX. *Vers. 1.* Cum igitur completa illa Jeremiæ Prophetia sit, non hærendum amplius in priori fœdere est, aut in umbris atque typis, nec ea objicienda sunt nobis. Concedimus *itaque* libenter, quod *habuerit quidem etiam prius* Testamentum & *Tabernaculum* Mosaicum, cum universo statu, apparatu & cultu suo spectatum, duplicis generis res, primo ritus & ceremonias varias, instituta, præcepta, sive *justificationes alicujus cultus*, deinde & *sanctum*, vel *sanctuarium* מקדש (Exod. 25, 8.) *mundanum*, i. e. terrenum, manu factum, cujus ministerium quoque terrenum est & ministri super terram, in caducis & infirmis rebus occupatum, eoque antiquandum. CAP. IX. *Liturgia Christi & N. T. collata cum Vet.*

Vers. 11. Tabernaculum enim prius ita constructum & adornatum erat, ut alia pars haberetur religiosior. In prima ejus parte & ad meridianum latus *erat candelabrum*, septem luminibus refulgens, *mensa* item, *&* in ea *propositio panum*, sive panes *2. quoad res in prima parte tabernaculi.*

Hebr. IX. panes XII. coram DEI facie ordinati & consecrati. Atque hæc Tabernaculi pars *Sancta* dicebatur tantum, quod ita distingueretur à profanis locis atque rebus, ut tamen etiam differret ab illis, quæ Sancta Sanctorum appellabantur. Sed umbratica illa fuerunt signaruntque Christum, qui & vera lux, & mensa instructa s. esca animæ salutaris, ac vita, Joh. I. 4. ff. Psal. 23, 5. in hac & altera vita esse debebat.

in secunda. *Vers. III. Post secundum vero velum* præparatum seu constructum erat *Tabernaculum* aliud, s. interius, *quod* ob excellentiam religionis *Sancta Sanctorum vocabatur*, sive sanctissimum, cum altera pars Sanctum tantum diceretur.

Vers. IV. Illa pars habebat & continebat sacratiora quædam monumenta, nempe *aureum thuribulum*, cum quo Pontifex maximus in solenni expiationis festo ingressus est in sanctum sanctorum Lev. XVI. 12. cum argenteo quotidie super altari suffimenti in priori Tabernaculi parte uterentur Sacerdotes, *& arcam fœderis auro*, sive laminis aureis, *undique circumtectam*, *in qua* (si universe eam spectes & lateralia eidem adjuncta,) *urna aurea*, *cum Mannæ*, *virga Aaronis & tabulis Testamenti* asservabantur. Quæ omnia sublimia designabant mysteria, & Messiam præsertim ejusque beneficia adumbrabant; in eo quippe tanquam arca, omnes thesauri sapientiæ & scientiæ, omnes opes cœlestes latebant, aperiendi suo tempore. Apoc. II. 17.

Vers. V. Super hanc autem arcam *Cherubhim*, alatæ imagines erant, quæ DEO glorioso in gloria ejus ministrabant, utpote inter quas DEI Gloria & Majestas habitabat, seque ostendebat, Exod. XXV. 22. Lev. XVI. 2. ac propterea Cherubim *Gloriæ* dicebantur, quæ *propiatorium*, Christum propiatorem & Mediatorem apte referens, obumbrabant, cum plenam ejus lucem & splendorem ferre mortales non possent. *De quibus* omnibus *speciatim dicendi locus jam non est*, sed diligentiæ &

piæ

piæ meditationi cujusque ea relinquuntur. Quæ tamen tacta sunt, eo spectant, ut nunc appareat facilius, quid sibi velint, quæ mox dicenda sunt. *Hebr. IX.*

Vers. VI. His vero hunc in modum, ut innui, *præparatis*, & sacris monumentis in sua loca ordine digestis, non acquiescebat DEUS, sed ut latentia mysteria oculis quodammodo objicerentur, ac non tantum otiosa præberent spectacula, ministeria ordinavit, cum quotidiana, tum anniversaria, quæ Sacerdotes & Pontifices rite obire debebant. Ac *in prius quidem tabernaculum*, jugitor (תמיד) & semper, sive singulis diebus *ingrediebantur Sacerdotes* quilibet, secundum ephemerias & distinctas classes, *ministeria peragentes*, vel suffitum faciendo, vel lucernas accendendo, vel panes propositionum collocando &c. Exod. 30, 7. 8. Lev. 24, 4. β. *Quoad ministerium*, 1. *Sacerdotum vulgarium*,

Vers. VII. In secundum autem illud sacratius tabernaculum non quidem quotidie, ut Sacerdotes vulgares facere in prima tabernaculi parte solebant, sed *semel* duntaxat *in anno solus Sacerdos magnus*, die expiationis solenni, ingrediebatur, & quidem, quod observandum quam maxime est, *non sine sanguine, quem offerebat pro suis* pariter *atq; populi peccatis*, per errorem & ignorantiam commissis (1. Pet. I. 14. Sap. XIV. 22. Sir. XXIII. 3. XXIIX. 9.) Eo nomine quatuor vicibus, eodem die, adytum petiit, ceu ex Levit. XVI. colligere promtum est, 1. ut suffitum adoleret, 2. sanguinem juvenci pro suis, & 3. sanguinem hirci pro populi peccatis cæsi inferret & spargeret, 4. thuribulum primum eo illatum una cum acerra rursus inde auferret. 2. *Pontificis Max.*

Vers. VIII. Ex hoc modo administrationis Officii, Pontifici maximo in solenniſſimo expiationis festo, quotannis recepto, manifestum sane est, & *Spiritus Sanctus* ipse, summus mysteriorum regni cœlestis dispensator & revelator, *declaravit*, & evidenter *hoc* ministravit, *nondum manifestatam* in re ipsa esse *viam*, qua ingredi peccatores *in sancta sanctorum*, & æternam *quæ omnia typica fuere*

Hebr. IX. salutem consequi possint, *statum adhuc stabilitatemve habente* & obtinente *priore Tabernaculo*, cum suis ritibus, vasis, sacerdotio & sacrificiis, ubi via doctrinaque salutis tota umbris adhuc & typis involuta erat, ac nemo præter Pontificem maximum in Adytum admittebatur, & tamen quoties illud ingrediebatur, velum mox reducebatur, ad hoc ipsum significandum, quod via nondum aperta & patefecta omnibus sit.

imperfecta. *Vers. IX.* Quippe *quod* Tabernaculum fuit tantum *parabola* quædam, sive figura & typus, ad *præsens hoc tempus, quo munera & sacrificia offeruntur, quæ non possunt consummare* vel justificare *cultorem* suum, i. eum, qui devotum pro se cultum DEO exhibet, *quoad conscientiam*, ut ea tranquilla esset & pacem apud DEUM haberet. Tametsi igitur adhuc hodie ejusmodi dona offerantur in Templo, erit tamen mox tempus, quo, destructo Templo, plane cessabunt, & vos experiamini, ea perfectionem non habere, sed typica tantum & parabolica esse.

& usque ad tempus correctionis tantum imposita. *Vers. X.* Declaravit insuper satis superque idem Spiritus S. omnia quæ sub priori Tabernaculo ordinata sunt, *tantum super cibos & potus*, quibus tanquam immundis abstinere debebant, (Lev. X. 9. Num. VI. 3. 4.) *& varias lotiones Sacerdotum, Levitarum & Israelitarum*, Exod. 9, 4. Num. 8, 7. Lev. 15, 8. ff. *& justificationes carnis* vel statuta *imposita esse*, iisque incumbere oneris & jugi instar, & per se nihil facere, nisi ad communionem Ecclesiæ Israëliticæ obtinendam, vel, si quis circa illa peccasset, ut per ceremonias ejusmodi purgaretur, nec valitura in perpetuum, sed duntaxat *usque ad tempus* præstitutum *correctionis*, quo ista tanquam imperfecta Messias adveniens emendare, in meliora mutare, adimplere, & spiritualem cultum introducere debebat, secundum oracula cœlestia.

Liturgia Christi nobilior. 1, ra- *Vers. XI.* Modus igitur, quo Christus Pontificale suum officium administravit, longe sublimior, præstantior & efficacior fuit. Pontifex V. T. circa terrenas & umbraticas res occupa-

cupatur ; *Christus autem*, qui ab æterno existitit, non aliorum more prius natus, educatus, institutus & constitutus Pontifex est, sed jam existens Sacerdos *advenit* in carne, velut tabernaculo, & stitit se tanquam Pontificem *futurorum bonorum*, qui vera bona in V. T. promissa, adumbrata atque exspectata, hominibus acquireret & dispensaret : Pontifex V. T. per tabernaculum manufactum ingressus est, fretus promissione divina, quod in tentorio conventus Dominus velit convenire & adesse ; ipsum autem tabernaculum cum universo cultu suo in terrenis & infirmis elementis consistebat, quæ nihil per se poterant conferre ad purgandas conscientias. Aliter autem res se habent in N. T. ubi omnia meliora, spiritualia & cœlestia sunt. Quare Pontifex noster JESUS CHRISTUS etiam *per majus & perfectius tabernaculum, non manu factum, h. e. non hujus creationis*, ingressus est, nobisque aditum per tabernaculum carnis, plenitudine Deitatis refulgens, in cœlum viam aperuit, præstito sacrificio cruento & soluto sanguinis divini lytro. *Hebr. IX. tione objecti generalis, & 2. tabernaculi.*

Vers. XII. Neque enim per sanguinem hircorum & vitulorum, ut consuevêre quotannis Pontifices maximi, pro populo pariter & seipsis expiationem facturi, *sed per proprium sanguinem* effusum, ejusque meritum, vim & efficaciam, cum esset sanguis non brutorum, nec nudi hominis sed DEI (Act. 20, 28.) & Filii DEI (1. Joh. I. 7.) *ingressus est*, non quotannis, aut sæpius, sed *semel* in perpetuum, *in sancta* vera, nempe cœlum Majestatis divinæ, ita ut redemtionem non unius anni sed *æternam* impetraverit & *invenerit* apud Patrem suum, pro toto genere humano. Quare solus semel *expiationem* ac viram quoque *æternam* & omnia bona cœlestia hominibus *acquisivit*, & ad dextram Patris sedens fidelibus dispensat ac confert, ut omni tempore cum fiducia accedere queant ad thronum gratiæ. *3. rat. objecti specialis, 4. actus & 5. effectus.*

Vers. XIII. Tantum vero efficere potuisse sanguinem *Prob. 1. arg.*

Hebr. IX. à minori ad majus, Num. 19.

Christi, colligere potestis, si eum cum brutorum sanguine contenderitis, & typum cum antitypo contuleritis. *Si enim sanguis taurorum & hircorum* quorumcunque, non eorum tantum, qui in Expiationis solennitate offerebantur, *& cinis vaccæ* rufæ, juvenculæ, *aspergens* eos, qui *polluti* legaliter erant, *sanctificat ad carnis puritatem* externam, ex institutione divina, ut sacris iterum interesse & conversari cum aliis possent: hæc quippe per naturam suam sanctitatem carni puritatemve dare non poterant, sed polluebant potius, quicquid tangebant, adeoque satis declarant, non alium in finem purgationem per illa institutam, quam ad sublimius aliquod mysterium significandum;

Vers. XIV. Quanto magis sanguis ille divinus *CHRISTI* pretiosissimus & efficacissimus, *qui per æternum Spiritum*, sive Deitatem, adeoque divinam virtutem carni & sanguini communicatam, *seipsum* totum sponte *obtulit irreprehensibilem* & immaculatum in DEI judicio, & à DEO acceptum, *DEO*, ac adeo sibi ipsi, peccatis hominum gravissime offenso, *purgabit* semper, non semel tantum, *conscientiam vestram de operibus mortuis* & peccatis quibuscunque, mortem inferentibus, etiam occultis; ita ut ea remittantur non solum, sed & vita & efficacia conferatur, *ut serviatis* servireque possitis *DEO vivo*, bonis operibus & sanctitate vitæ, cultu rationali, Rom. XII. 2. vosque purgetis ab omni inquinamento carnis & spiritus, 2. Cor. VII. 1.

2. *à natura officii mediat. Christi N. T. moræ necessario pangendi,*

Vers. XV. Et propter hoc quoque non vulgaris alicujus Testamenti ac fœderis, sed, ut ex Jeremiæ oraculo supra adducto, constat, *Novi Testamenti*, cum respectu ad Vetus, per Mosen factum, *Mediator est*, ut, quod requirit omnino Novi Testamenti natura, *mors* Testatoris ipsius intercedat, eaque intercedente & *facta ad redemtionem* transgressorum *à transgressionibus, quæ sub priori Testamento* (sive Lege) manebant, ut-

pote

pote quod sub conditione observationis & impletionis accuratæ sancitum erat, & iram condemnationemque tantum operabatur, *promissionem acciperent, quotquot vocati sunt* & nuncupati, vocationique parent, *æternæ hæreditatis.* Tantum igitur pretium & tantus valor est mortis Christi Mediatoris, ut redimat à transgressionibus, quarum homines convincuntur, vi fœderis antiqui, sive sub Veteri sive sub N. T. sint. *Hebr. IX.*

Vers. XVI. Ubi enim Testamentum est ratum & validum, *mortem necesse est ferri*, s. in medium afferri, allegari & produci publice testimonioque confirmari, coram judicibus, *ejus, qui est disponens.* Non tantum opertet eum, qui alium scripsit hæredem, mortuum esse, sed etiam de ejus morte constare, ut ex sententia judicum hæres beneficium percipere possit. *ut in Testamentis fit.*

Vers. XVII. Testamentum quippè firmum est, ac jure ratum habetur in vel sub *mortuis*, ac eo demum tempore, quo mortui sunt ejus conditores, non ante; *quandoquidem nunquam valet, quando vivit adhuc disponens*, s. testator, quia voluntas ambulatoria est, & mutari iterum à vivente potest, eo autem mortuo, immutabilis habetur voluntas. Quare ut novum Testamentum validum esset, Mediatorem ejus mori necesse fuit, nec valuit aliter in V. T. ad veteres justificandos, quam quod Pater mortem Filii tanquam factam respiceret & acceptaret.

Vers. XVIII. Unde nec prius Testamentum typicum *sine sanguine dedicatum est*, adeoque saltem repræsentari debuit mors & sanguis Christi, per quem Testamentum novum sanciri per mortem debuit. *Hinc etiam V. T. non sine sanguine.*

Vers. XIX. Nam cum pronunciatum & recitatum totum mandatum secundum legem à Mose universo populo, ac itum deinceps *esset* ad Veteris Testamenti, tabernaculi, vasorum omnium initiationem, *accepit* Moses *sanguinem*, modo *vitulorum*, modo *hircorum*, pro diversorum rituum instituto, præter

aquam

Hebr. IX. aquam, & lanam coccineam, & hyssopum, quibus alias, & cumprimis in purificatione leprosorum & immundorum uti solebat, modo tum *librum Legis*, tum universum populum *aspersit* sanguine,

Vers. XX. Dicens: hoc est sanguis Testamenti, per quem ratum certumque vobis redditur Testamentum, *quod præcepit vobis DEUS* observandum, & pepigit vobiscum, *super omnia verba ista*, Exod. 24, 8. Unde intelligitur, librum Legis quoque verba ista continentem, simul respersum esse.

Vers. XXI. Tum etiam tabernaculum & omnia vasa ministerii, quibus Sacerdotes & Levitæ utebantur, in peragendis sacris, una cum vestibus, labro, candelabro, mensa, aris &c. *sanguine aspersit.*

Vers. XXII. Et, cum prolixum sit, sigillatim omnes & singulas purificationes, quæ per sanguinem fiunt, enumerare, generatim dicam, *omnia prope* (quasdam enim purificationes per aquam factas, novi, Exod. 19, 10. Lev. 16, 28.) *per sanguinem mundantur juxta legem*, & hoc saltem nemo negare potest, quod *sine sanguinis effusione non fiat remissio*, aut facta fuerit. לא כפרא אלא בדם Lev. 17, 11.

in N. T. autem melior purificatio,

Ex Vers. XXIII. Necesse igitur quam maxime erat, ex justitia & ordinatione divina, *exemplaria quidem* & typos *cælestium rerum*, bonorum, quæ cœlitus contingunt hominibus, *ejuscemodi* memoratis asperſionibus sanguinum *mundari*, ut & à profanis usibus separarentur cultuique divino vendicarentur, & adumbrare eo melius possent purificationem atque redemtionem per sanguinem Messiæ perficiendam; *ipsa vero supracælestia* oportebat mundari *victimis melioribus*, *quam illæ* fuerunt in V. Test. Jam, cum Christus hanc mundationem faceere debuerit, etiam meliores victimas obtulit, & omnes Veteris Testamenti hostias suipsius sanctissimi ac divinitate pleni corporis immolatione & sanguinis effusione aspersioneque implevit haud tantum, sed etiam superavit. *Vers.*

Vers. XXIV. Meliores autem victimas requisivisse Novi Testamenti fundationem atque confirmationem, quam Vetus, ex ingenti discrimine, quod inter utriusque sacra intercedit, facile intelligitur. Quanto enim præstantiora erant sancta, in quæ ingressus Christus est, præ Mosaicis, tanto quoque melioribus ibi victimis opus erat, quam hic. Jam vero Mosaica fuerunt manu facta, arte humana constructa, & ex rebus, quæ humana manu tractari poterant, non item Messiana. *Non enim in* ejusmodi *manu facta sancta* sanctorum ingressus est JESUS CHRISTUS, sicut Pontifex V. T. *quæ typi* & imagines tantum fuerunt, expressæ ex prototypo, *verorum* sanctorum, *sed in ipsum cælum* increatum Majestatis divinæ, *ut nunc* & semper *compareat coram facie DEI, pro nobis* nostroque bono, postea quam semetipsum obtulit, (℣. 14.) agatque causam nostram apud Patrem, intercedendo indesinenter, non semel tantum, quemadmodum Pontifex M. adytum ingressus coram arca stans, pro populo oravit, dando Spiritum Sanctum, justitiam, salutem &c. *Hebr.* IX. *quia melius sanctuarium.*

Vers. XXV. *Neque enim ingressus est* ita, *ut sæpius eum oporteat se ipsum offerre, sicut Pontifex* V. T. *ingreditur in sacrarium quotannis* in Expiationis festo, *cum sanguine alieno* hircorum & vitulorum. *& melius sacrificium.*

Vers. XXVI. *Quandoquidem* si talis fuisset Pontifex Christus, ut opus habuisset sæpius offerre, utique *oportuisset eum sæpe pati* & mori, *ab origine mundi*, ex quo homines in peccata prolapsi sunt & expiatione indiguerunt, ac divina sapientia sic non ordinasset, ut demum sub exitum seculorum manifestaretur. *Jam vero*, ex sapientissimi DEI ordinatione *semel* tantum, inde ab initio mundi hucusque, *sub consummationem seculorum* & novissimis temporibus, *ad destructionem* abolitionemve *peccati, per sacrificium suum manifestatus est*, in carne & reipsa, dum se stitit præsentem & obtulit, unde abolitio *quia non iteratum est.*

Hebr. IX. peccati, quoad reatum quidem in justificatione statim, in renovatione autem per infirmationem & mortificationem, donec in futuro seculo prorsus aboletur, Rom. VIII. 24.

Vers. XXVII. Et quemadmodum constitutum ac reservatum ordinaria & communi lege omnibus *hominibus est, semel mori*, cum nulla spe reditus in hanc vitam, *post hoc vero judicium* condemnationis positum & expectandum est:

nec iterari debet.

Vers. XXVIII. Sic etiam Christus, in locum hominum succedens, ut qui satisfacere pro iis voluit ac debuit, *semel* tantum *oblatus* est, & offerri debuit, per mortem, *ut sustineret multorum* (Esa. 53, 12) imo omnium *peccata* peccatorumque pœnas, in se hostiliter quasi incurrentes, atque sic omnia perferret, quæcunque à peccatoribus, pro quibus satisfacere susceperat, sustinenda erant: nec redibit, ut denuo offeratur; sed *secunda vice* veniens *sine* ullo *peccato apparebit ad salutem* dandam, *ipsum exspectantibus*, ut qui in fide perseverarunt adeoque exspectare possunt, cum liberationem à judicio & damnatione, tum collationem plenæ gloriæ & vitæ æternæ.

Quia diversa ratio typi & antitypi.

CAP. X. *Vers. I.* At ne quis obvertat, ex ipsa Lege colligi posse, Christum non semel tantum sed sæpius offerri debere, cum, ut constat, singulis annis sacrificia expiatoria repetita sint, & antitypum quoque sæpius iterandum arguant, ostendam, magnum inter utrumque discrimen esse, & inde evincam potius, Christi sacrificium non debuisse repeti. *Lex enim*, ac speciatim ea, quæ Ceremonialis dicitur, cum suo Sacerdotio & Sacrificiis, *habebat umbram* tantum quandam, sive umbratilem delineationem, *futurorum bonorum* per Christum acquirendorum, qualem pictores, imaginem quandam efformaturi, præmittere solent, *non ipsam* vivam *imaginem* illarum *rerum*, quas repræsentabat. Atque hinc factum, ut *quotannis eadem sacrificia obtulerint* Sacerdotes *in perpetuum*; certo indicio, Legem esse imperfectam; quia *nunquam potuit accedentes*

dentes, tum Pontifices, tum alios omnes, pro quibus hostiæ of- *Hebr. X.*
ferebantur, perfecte expiare, justificare & salvare. Quapropter minime ex his colligi potest, Christi sacrificium repeti sæpius debuisse; quin potius efficitur, maximam esse sacrificii Christi perfectionem.

Vers. II. Non potuisse vero anniversaria Legis sacrificia consummare accedentes, vel ex hoc probatur, quia conscientiam peccati non abstulerunt; sed ejusdem peccati memoriam semper renovarunt, & indicarunt, expiatione opus esse, futurumque sacrificium Christi, per quod perfecte expiaretur. *Alioquin enim desiissent offerri, propterea quod sacrificantes semel purgati, nullorum peccatorum sibi amplius conscii essent*, utpote plene expiati & securi tranquillique in conscientia. Jam *nullo unquam tempore*, quamdiu Vet. Testamentum obtinuit, *cessarunt offerri*; manifesto documento, non potuisse eos, qui cultus tales peragebant, per eosdem ita expiari, ut nullam amplius conscientiam accusatricem & condemnatricem haberent. *Sacrificia quotannis iterata in V. 2.*

Vers. III. Sed per eadem sacrificia *quotannis* iterata *recordatio* & exprobatio tantum, non purgatio fiebat *peccatorum*, quando in die expiationis manibus hostiæ impositis confitebantur offerentes, quod haberent adhuc conscientiam peccatis, originali & actualibus, gravatam, pro quibus satisfactio actualis nondum esset præstita, sed quæ per Messiam præstari debeat. *recordationi peccat. inserviebant.*

Vers. IV. Nil autem præter recordationem peccatorum relinqui in toties iteratis hostiis Vet. Test. ex hoc quoque liquet, quia *impossibile* prorsus *est*, *sanguinem taurorum & hircorum* ita *auferre peccata*, ut conscientia accusatrix & condemnatrix peccatorum non amplius habeatur, & consummentur accedentes perfecte mundati, & tandem etiam plane à peccati reliquiis liberandi. Cum peccata animi vitia sint, non potest res *nec poterant auferre peccata.*

Hebr. X. crassa & corporea, qualis est sanguis bestiarum, abolere morbos mentis, sed ad hoc efficiendum vis divina & infinita requiritur. Conf. Psal. L. 9. 15. Mich. VI. 7.

Quod prob. è Ps. 40. *Vers. V. Propterea*, cum hæc ita sint, ut dixi, atque ut confirmem amplius dicta testimonio Prophetico, ipse Messias, æternus DEI filius, cum introducitur in Scriptura tanquam *in mundum ingrediens*, inter homines humiliter degens & officium publicum aggrediens, *dicit* per Davidem: *Sacrificium & munus*, id est, cruenta hircorum taurorumve, & incruenta similæ, vini, olei &c. munera, *noluisti*, ô Pater, nec instituisti eum in finem, ut te placatent, aut homines consummarent, & justificarent; idcirco me potius voluisti venire in mundum, *corpus mihi aptasti*, aures fodisti, obsequentem servum me fecisti, qui se pro peccatis humani generis in vera perfectaque obedientia sacrificium sufficientissimum offerat. Deut. XV. 17. Phil. II. 7.

Vers. VI. Holocausta quoque & reliqua *pro peccato* sacrificia, quocunque appellentur nomine, *non probasti*, nec petisti, utpote quæ omnia te offensum placare non poterant.

Vers. VII. Ideo ego, qui ab æterno spopondi, & pro humano genere me stiti, posteaque per Vates hoc ipsum identidem significavi & promisi, dixi, & quod dixi, feci: *Ecce veni*, sponte & pronte, utpote qui is sum, *quo de in volumine libri* sacrati, divina inspiratione exarati, ac speciatim etiam in ea S. Codicis parte, quæ de Sacrificiis agit, *scriptum est*, quod venire debeam, *ad faciendum*, DEUS, *voluntatem tuam*.

nervus illationis ostenditur. *Vers. VIII.* Ex his Hymni verbis, si forte eorundem sensus & scopus non cuivis obvius videbitur, distinctius & clarius momenta temporis & argumentorum notabimus. *Cum prius dixisset* Messias: *sacrificium & oblationem, & holocausta, & pro peccatis non voluisti, nec probasti*, (quæ hostiæ omnes secundum *Legem* ejusque præscriptum *offeruntur*) *corpus autem mihi aptasti*, *Vers.*

Vers. IX. Tunc demum *dixit* idum Christus, quasi fidejussorem se sistens pro genere humano: *Ecce venio*, sicut in volumine libri scriptum de me est, *ut faciam, DEUS, voluntatem tuam*, & offeram tale sacrificium, quod tibi placeat, & te placet. Ubi sane, ut cernitis, *tollit prius*, ostenditque, quod impossibile sit, Sacrificia in universum satisfacere justitiæ & beneplacito Patris, *ut posterius ponat*, inferat & firmiter statuat necessitatem sacrificii unici, ad beneplacitum divinum voluntarie & promte offerendi. *Hebr.* X.

Vers. X. Per quam voluntatem Patris ita ordinantis & Filii præstantis, *sanctificati* & expiati *sumus*, *semel* pro semper, nempe *per oblationem corporis* JESU CHRISTI, ut adeo nihil necesse fuerit, sæpius hoc repetere sacrificium sufficientissimum & perfectissimum, *pro more Leviticorum*; prout excipiebatis. Conf. ℣. 1.

Vers. XI. Unde nihil est, quod quis excipiat, necesse fuisse, ut Christus semper offerat se, &, si nihil amplius oblaturus sit, Sacerdos esse nequeat, cum omnis Sacerdos semper habere debeat, quod offerat. Largior *equidem* & bene novi, quod *omnis Sacerdos* Leviticus, sive major, sive minor, per officii sui rationem obligatus fuerit, ad offerendum quotidie; hinc quando vel juge, vel aliud aliquod sacrificium ipsi obtigit, *stetit* ac stare debuit quisque *quotidie* ad rem sacram faciendam, & rite obeundas publici ministerii partes, instar servi famulive, qui promtum se paratumque sistit in conspectu Domini, imperata obsequiose facturus, *easdemque sæpe hostias* obtulit, ex brutis desumtas, *quæ nunquam possunt peccata*, qualiacunque illa sint, expiare & *auferre*. *Exceptioni occurritur de sacrific. repetitione V. T.*

Vers. XII. At vero Christi Pontificis nostri alia ratio est. Nam *ille, postquam pro peccatis* omnibus omnium hominum *unicam obtulit hostiam* sufficientissimam, simul & semel, in peccatorum expiationem, ablationem & remissionem, non opus *Christus semel pro sem. per oblatu est.*

Hebr. X. habuit sæpius aut quotidie stare in ministerio sacerdotali & offerre sacrificium, sed isto defunctus officio, *in perpetuum consedit in dextra DEI*, tanquam Dominus & Rex omnipotens, unde non redibit ad offerendam novam hostiam.

non tamen otiosus sedet ad dextram DEI.

Vers. XIII. *Id quod* unum *superest*, ut in Hymno citato dicitur, *exspectans, donec inimici ejus ponantur scabellum pedum ejus.* Interea non otiosus sedet & dextram DEI, sed meritum oblationis suæ fidelibus applicat, inque eorum animis regiam potestatem exercet, pro hominibus intercedit, pro gloria Patris & sua contra hostes Ecclesiæ pugnat, atque de victoria certus nihil aliud sperat exspectatque, quam ut omnes inimici ipsi subjiciantur.

Cur semel oblatus?

Vers. XIV. Causam hujus rei si clarius exprimi petitis, cur Christus non sæpius offerri debuerit, sed subjectionem tantum hostium exspectet, eam hanc do: *unica namque oblatione sui ipsius*, in ara crucis, *consummavit in perpetuum* omnes *eos, qui sanctificantur* unquam, omni tempore & loco. Cum igitur hæc oblatio Christi semel facta infinitam & æternam vim habeat, ac semper valeat ad conferendam sanctificationem, non opus fuit alia iterata oblatione.

Prob. ex Jerem. 31.

Vers. XV. Quod ne gratis dixisse videar, ipsius Scripturæ S. testimonio comprobabo. *Testificatur autem nobis* per Jeremiam *& ipse Spiritus S.* de hoc, eo in loco, quem supra quoque adduxi.

Vers. XVI. *Nam postea quam prædixit: hoc est Testamentum, quod disponam erga illos, post dies istos, dicit Dominus, indam leges meas cordibus eorum, & mentibus eorum inscribam eas,*

Vers. XVII. Dicit: *Et peccatorum illorum & iniquitatum eorum non amplius recordabor*, sed gratiose omnia condonabo, atque remittam, propter Christum Mediatorem melioris istius Testamenti.

Vers. XVIII.

Vers. XVIII. *Ubi vero est* eorum *peccatorum remissio* plena, perfecta atque perpetua, ex dispositione illa, cujus meminit Jeremias, vel Spiritus S. quæ mortem Christi necessario infert, ceu superius ostendi, ibi sane *non est amplius oblatio* necessaria *pro peccato*, sed necessaria tantum est applicatio pretii semel per Christi sacrificium præstiti. *Hebr. X. subsumtio.* Cap. IX. 16.

Vers. XIX. Qualem igitur quantumque habeamus Sacerdotem, JESUM, quæ Sacerdotii illius ratio, præstantia & utilitas sit, ex hactenus dictis explicatisque abunde satis constare, opinor. Quæ omnia sane commovere nos debent ac possunt, ut Confessione constanti & fideli ei adhæreamus, eademque digne vivamus. Nam, ut summatim omnia colligam, expendamus, quæso, fratres, quantum hoc sit beneficium, quod habeamus libertatem fiduciamque in introitum Sanctorum, in sanguine JESU, cum in Vet. Test. nemini fas esset Sancta intrandi, præter Sacerdotem magnum, nisi mortis periculum incurrere vellet; manifesto indicio, ante factam peccatorum expiationem per sanguinem veri Pontificis, Messiæ, nulli unquam patere aditum in Sancta, sed omnes singulosq; homines cum metu & exspectatione æternæ condemnationis cogi foris manere. Hicce vero terror, hocque periculum sublatum nunc est, per sanguinem JESU, cum quo Pontifex ille noster Sancta ingressus liberum aditum cunctis aperuit, ut confidenti animo eo penetrare queant. Atque hanc ob rem, vos quoque, fratres, hortor, ut fiducia ingrediendi in Sancta pleni, eo contendatis, & nihil omnino inde abduci vos sinatis; nec aliam mihimet & ipsi mentem precor, sed me simul una vobiscum compello atque cohortor. *Quam igitur habeamus* jam, *fratres*, habereque possimus & debeamus *confidentiam* animi bonam ac certam spem *ad introitum in Sancta* Sanctorum, in hac & futura vita, *per sanguinem JESU*, quemadmodum supra copiosius exposuit, *E. constanter Christo adhærendū. 1. quia libertatem adeundi Sancta peperit.*

Vers. XX.

Hebr. X. 2. *viam dedicavit.*

Vers. XX. *Quam* fiduciam *initiavit* dedicavitque *nobis* JESUS noster, & in nobis peperit, aperta & in lucem producta via immediati ad DEUM accessus, quæ in Vet. Test. tot umbris, ambagibus & impedimentis quasi obsepta erat, ut non tam clare cerni potuerit, an trita & viva esset. Nunc autem ipse suo sanguine consecravit nobis *viam*, complanavitque sublatis omnibus illis interciſionibus, ut sit *via recens*, calcata à magna fidelium multitudine, quorum respectu *viva* dicitur, non mortua, ut in Vet. Test. ubi per mortem recens mactatorum animalium ibatur, hanc antiquavit Christus sua morte, quæ vitu erat, & vivificatus cœlum introivit, sicque *per velum, hoc est, carnem suam*, veteris tabernaculi velo adumbratam, removit omnia impedimenta, ut jam per eum habeamus viam planam ad DEUM perveniendi, cum ipse sit via, veritas & vita; modo surgamus è mortuis, fide corda purgemus & in novitate vitæ ambulemus.

3. *Ecclesiæ caput est.*

Vers. XXI. *Et* quum habeamus JESUM *Sacerdotem magnum*, longe excellentiorem omnibus Sacerdotibus Leviticis, etiam maximis, imo prorsus alterius generis, qui æterna redemtione inventa per proprium sanguinem Sancta ingressus, sedet ad dextram DEI, pro nobis interpellat, *super* universam *domum DEI* s. Ecclesiam Catholicam, militantem æque ac triumphantem, constitutus, eam potentissime regit, conservat & defendit, tanquam Rex, Caput & Dominus. Conf. supra III. 6.

Adeundus E. purgato corde.

Conf. supr. IV. 16.

Vers. XXII. Cum itaque hæc omnia, quæ hactenus explicata & enumerata sunt, habeamus, ac fiduciam in primis ad introitum Sanctorum, agite, fratres charissimi, relictis omnibus mundanis rebus, *accedamus* omnes, jure Sacerdotii spiritualis, ad Sancta illa, eaque intrare nitamur, veniamus autem ministratum non pedibus corporis in sanctum manu factum, nec fucato animo, aut habitu, speciem duntaxat accessus præbentes externo cultu, sed *cum vero* sinceroque *corde* & affectu in cœleste

leſte Templum penetremus, *inſiducia* plena certaque *fidei*, plenis quaſi velis ad DEUM, tanquam portum noſtrum, & remotis omnibus ambagibus impedimentisque, recta ad eum contendentes, nil quicquam dubitantes de promiſſionibus tam inſignibus & luculentis, quæ in CHRISTO ratæ omnes & firmæ ſunt, & in quo habemus acceſſum ad gratiam iſtam, in qua ſtamus & gloriamur ſpe divinæ gloriæ, *aſperſi* quippe non externe tantum, & pecudum ſanguine, pro ritu Vet. T. ſed interius *quoad corda*, ſanguine JESU CHRISTI (*v.* 19.) pretioſiſſimo & efficaciſſimo, eoque fide apprehenſo purgati *à conſcientia mala* peccatorum, accuſante & condemnante, *& abluti* etiam *quoad corpus*, non minus, quam animam, utpote quod cum ſuis membris peccato inquinatum & fœdatum fuit, *aqua munda* in baptiſmo, qui cum non nuda aqua ſit, ſed lavacrum aquæ in verbo & ſanguine CHRISTI, emundandi vim habet ab internis pariter ac externis peccatis. Quæ Baptiſmi virtus cum per omnem vitam noſtram ſeſe extendat, eo recurrendum & fides inde confirmanda, confeſſio quoque veritatis in Baptiſmo facta retinenda eſt.

Hebr. X. — 2. Cor. I. 20. Rom. V. 2. — Act. XV. 9.

Verſ. XXIII. *Teneamus* igitur etiam firmiſſime Religionis Chriſtianæ profeſſionem, adſtipulationem & *confeſſionem ſpei indeclinabilem*, vel in dextram vel ſiniſtram partem, quam habemus in JESUM CHRISTUM, & promiſſa ab eo cœleſtia bona, publice, ubicunque opus eſt, ac inprimis in perſecutionibus imminentibus, nec ullum periculum calamitatemque abſterreri nos ſinamus. Hæc enim ſpes non confundit, ſed, ceu ſuperius declaravi, eſt velut anchora animæ tuta atque firma, intrans in Sancta, quo præcurſor pro nobis intravit JESUS. Ad quam fidelitatem & conſtantiam tanto magis accendere nos decet, quoniam ſcimus, credimus & confitemur, quod *promittens* talia DEUS *fidelis* ſit, qui & velit & poſſit præſtare omnia, quorum ſpem promiſſionemque nobis fecit.

Tenenda confeſſio, — VI. 19. ſeq.

Hebr. X. *Cohortationes mutuæ.*

Vers. XXIV. Ad quam confessionem spei retinendam cum necessariæ & valde utiles sint fraternæ observationes, correptiones &c. *etiam atque etiam alii alios observemus*, non insidiose, aut carpendi studio, sed amice, benevole & fraterne, ut verbis pariter & factis, sive mutuis hortatibus & exemplis nos provocemus & excuamus ad studium charitatis & bonorum operum. Omnis igitur observatio & procuratio unice tendat *ad provocationem* piamque æmulationem excitandam *charitatis, & bonorum operum*, per quæ fides sese exserere & Confessio nostra exornari debet.

& congregationes non deserendæ,

Vers. XXV. Quæ cohortationes & excitationes mutuæ ut fiant, & fieri queant, *non derelinquere debemus*, sed adire potius & visitare frequenter, *congregationem nostrûm ipsorum*, sive publicam, sive privatam, *quemadmodum in more positum est quibusdam*, qui sive ex negligentia, sive superbia, sive ex metu persecutionum, turpiter deserunt consociationem & coitionem in coetum, quod indicium est defectionis à professione Christianæ religionis: uti contra congregatio concors & diligens signum veri & sinceri animi, intrepidæ fidei, (v. 22.) Confessionis spei non vacilantis, (v. 23.) Nequaquam igitur simus inter illos desertores, *sed* potius *alii alios hortemur invicem*, ad ἐπισυναγωγὰς frequentandas & in congregationibus, quæ hoc nomine instituuntur, ut admonitiones fiant, ad illa omnia præstanda, quæ Religionis Christianæ professio postulat. *Idque tanto magis* facere oportet, & hæc etiam, inter alias, ratio commovere nos debet, quia & *quanto magis videtis appropinquantem diem illum* Domini, quo liberabuntur fideles, & judicabuntur impii, vos vexantes; imo vos ipsi pœnas dabitis horrendas, si tanta bona, quæ promissa sunt, neglexeritis & deseceritis.

nisi incidere velimus in

Vers. XXVI. *Nam volenter* & scienter, adeoque non ex quadam ignorantia, aut infirmitate humana, sed contra conscientiam

scientiam *peccantibus nobis*, qui Christiani sumus & esse volumus, si nimirum non accedimus ad Sancta, prout decet, (v. 22.) nec tenemus Confessionem Spei, (v. 23.) aut observamus nos invicem, (v. 24.) sed deserimus congregationem nostram, *postquam accepimus* fide *cognitionem* planam & plenam *veritatis* Evangelicæ, inprimis de Sacerdotio Sacrificioque Christi, ut de eadem in conscientia penitus persuasi fuerimus, *non amplius pro peccatis* istis tam cumulatis & atrocibus, quibus ordo salutis & media repudiantur, ac Spiritui sancto malitiose resistitur, *reliqua est hostia*, ad impetrandam remissionem, cum nulla alia sit, quam CHRISTI, à talibus rejecta & conculcata, *Hebr. X. peccat. in Spir. S.*

Vers. XXVII. *Sed* contra potius relinquitur *terribilis quædam exspectatio judicii* damnatorii à DEO, justo vindice, quam sentient aliquando certo certius ejusmodi peccatores, licet jam nil tale cogitent, aut adeo metuant exspectentve, *& zelus* illius, qui se DEUM Zeloten vocat, non qualiscunque, sed *ignis*, quo igne tanquam instrumento usurus est ad puniendum in æternum, non ad purgandum, quippe *qui devoraturus*, ac consumturus *est adversarios* & juratos hostes Evangelii, & Spiritus Sancti, qui proinde pugnabit contra eos, ac illos condemnabit. Quod cum non ignorent s. ex lumine naturæ, s. ex verbo revelato, cui antea assensi sunt, adeoque data opera DEUM sibi adversarium constituant & eligant, non possunt non subinde metu percelli, licet occultent, & exspectare iram supremi judicis gravissimam. Vid. Num. XV. 35. *quod terribile judicium post se trahit.*

Vers. XXVIII. Neque enim est, quod quis vel impune se laturum, aut DEUM non adeo severe vindicaturum, existimet tam insigne apostasiæ totalis crimen. Nam si *quis*, quicunque etiam ille sit, *irritam facit*, quantum in ipso est, contemnitque superbe & voluntarie totam *Legem Mosis*, per transgressionem aliquam, v. 9. in idololatriam declinando, aut alios seducendo, protinus *sine* ullis *miserationibus*, quantæcunque etiam illæ fuerint, *& gravius quam legis transgressio*, Deut. 13, 5. 17. 2.

Hebr. X. fuerint, *sub duobus vel tribus testibus* minime suspectis, sed oculatis & fidis, à quibus convictus criminis est, ex cognitione & sententia Judicum justa, *moritur*, & mori debet ac solet, prout usu compertum habetis:

quia gravissimum peccatum est. *Vers. XXIX.* *Quanto putatis*, (vestram enim compello conscientiam, &, ut justa æstimatione pensitetis rem, à vobis peto contendoque) *pejori* & graviori *ultione* atque pœna *dignus erit*, ac habetur suo merito, qui non nudum hominem, nec Legatum tantum DEI, qualis Moses fuit, sed ipsum *Filium DEI*, cum beneficiis partis, indigne & contumelioſe tractat, *pedibus* quasi *conculcat*, tanquam viliſſimum mancipium & inutilem abjectumque homuncionem, ac dignum adeo, qui ignominiæ publicæ exponatur, quemadmodum olim in crucem sublatus fuit, (cap. VI. 6.) &, ut aliud etiam commemorem peccati genus, vel partem, quo eo melius caveatis vobis, *qui sanguinem illum* tam pretiosum Filii DEI, non hircorum aut vitulorum, quo Vet. Test. sancitum est olim, sed quo Nov. Test. dedicatum & confirmatum est, veteri longe majus & præstantius, *communem*, nec alio loco, quam sanguinem bestiæ alicujus immundæ, vel hominis cujusque, ac adeo non tantæ virtutis dignitatisve *habuerit*, ut purget, justificet & salvet à peccatis, *in quo* tamen & per quem *sanctificatus* fuit in Baptismo, regeneratus & renovatus, immutatus & illuminatus, ut hæc omnia habuerit, senserit & gustaverit. Sed cuncta ista nil pensi moderatique cum habeat nunc tam turpis Apostata, hîc nondum subsistit, sed gravi demum frequentique contumelia & *blasphemia afficit Spiritum illum gratiæ* & veritatis, ex singulari DEI gratia donatum, qui fons & autor est omnis gratiæ, æque ac DEUS Pater (1. Petr. V. 10.) & varia sufficientiaque dona gratuita & supracœlestia ei contulit & obsignavit, ceu superius indicavi (cap. VI. 4. 5.) atque hâc ratione omnem salutis ordinem & rationem malitioſe, præfracte & constanter repudiat,

repudiat, nec supereſt ei hoſtia pro peccatis, aut alia ad ſalutem via. *Hebr.* X.

Verſ. XXX. DEUM vero tam graviter animadverſurum in abnegatores Evangelii, ceu paulo ante innui (*v.* 28. 29.) ac neminem è talibus peccatoribus impunitatem ſibi promittere debere, licet non ab hominibus, nec ſtatim à DEO in eos animadvertatur, nihil opus eſt, ut prolixe probem. *Novimus enim* ex ſacris literis, in quibus inſtituti ſummus, ac inprimis ex Cantico Moſis, quo prædixit divinus ille vit, cum apoſtaſiam horrendam populi Hebraici, & peccati maximi genus, de quo nunc ſermo mihi eſt, tum pœnam eo nomine infligendam, *illum*, Spiritum S. nimirum, *qui* per Moſen *dixit*, ac Petram Salutis, JESUM, hunc in modum loquentem induxit: *mihi* & apud me eſt *vindicta* ſevera, juxta cujus rigorem pœna à me decernitur & infertur, ego revera ulciſcendi illam poteſtatem, quæ mihi competit, ſuo tempore exſequar & *retribuam* hoſtibus meis, prout moruerunt, *ait Dominus*, non minus verax & conſtans in minis, quam promiſſis. *Et* novimus eundem Spiritum S. ibidem *rurſum* dicentem, ac denuo idem aliis verbis inculcantem, ut eo certiora omnia futura credamus: *Dominus judicabit populum ſuum*, ſe derelinquentem & contemnentem, eundem repudiabit & condemnabit. *& ipſe Sp. S. vindictam minatus eſt.* Deut. 32, 35.

Verſ. XXXI. Ex cœleſtibus hiſce Oraculis perſpicimus, quantopere DEUS T. O. M. ſuccenſeat, apoſtatis, quam certe atque ſevere rebellem & blaſphemantem populum punire velit. Quare hoc memori mente ſemper nobis volvendum & reputandum eſt, horrendum quam maxime & *terribile* eſſe, *incidere* coacte & citra voluntatem *in manus* non hominis vel Regis potentiſſimi, ſed ipſius *DEI* omnipotentis & *vivi* ſemper, unde evadere, aut finem pœnarum exſpectare non licet. Jam vero incurrunt & ſua malitia incidunt in manus DEI ultrices, qui voluntarie & atrociter, quemadmodum per partes luculenter *Epiphonema.*

Hebr. X. tradidi, peccant in Filium DEI ac Spiritum S. & nullam habent reliquam pro perpeccatis hostiam, aut gratiam.

Constantia hactenus exhibita continuanda.

Vers. XXXII. Ne igitur vos, fratres, maneat hoc damnum & exitium, retinete firmiter Confessionem spei, & cœtera diligenter observate officia, ad quæ vos sum cohortatus (v. 23. ff.) Nolite perdere & amittere omnem fructum vitæ bene laudabiliterque antea actæ; *in memoriam vero* potius *revocate* vobis *priora tempora, in quibus, postquam illuminati fuistis*, & primum accepistis veritatis cognitionem claram & sufficientem, per Verbum, Baptismum, & Spiritum S. intus vos per illa ipsa media collustrantem & docentem, *multum* magnumque *certamen afflictionum* & passionum à persecutoribus illatarum, pro Christi nomine & ejus Confessione fortiter *sustinuistis* & animose superastis, Divini Spiritus gratia vos confortante,

Vers. XXXIII. *Partim quidem* dum non tantum omnis generis *opprobriis*, maledictis & convitiis propter objecta & conficta crimina, sed *& afflictionibus* valde prementibus publice *expositi*, in theatro spectaculo & ostentui fustis iis, qui Christianam religionem execrantur, admirationi autem fratribus, ob constantiam singularem: *partim vero* dum ultro ex Christiana charitate *venistis in consortium eorum, qui sic se gerebant*, ut pro CHRISTO & confessione spei ignominiosissima quæque sustinere non dubitaverint.

Vers. XXXIV. In utroque sane dignos vos præstitistis professione Evangelicæ veritatis, quod propterea tacendum minime, sed, cum ad vestram laudem, tum ad excitationem ulteriorem, commemorandum mihi est. *Nam*, ut à posteriori primum ordiar, ego ipse in me expertus sum vestram singularem charitatem & συμπάθειαν, ac testor adeo aperte palamque, quod *etiam graviter* molesteque *tuleritis*, *me* genti propriæ tam exosum, *in vincula conjectum esse*, ac communem hanc vobis calamitatem putaveritis, mihique subveneritis. Deinde etiam,

etiam, ut ad prius veniam, *rapinam bonorum vestorum*, vel publica authoritate, vel seditione plebis, ex odio religionis factam, æquo animo & *cum gaudio suscepistis*, *ut qui* certo *sciretis* notitia fidei, ex promissione DEI ac interna Spiritus S. obsignatione orta, *habere vos in vobis ipsis*, non tantum quoad spem vivam, sed etiam primitias, *meliorem* potioremque *possessionem in cœlis* repositam, & permanentem in æternum, quam nec fures prædonesve diripiant, nec tineæ rodant. *Hebr.* X.

Vers. XXXV. *Ne igitur abjicite*, pigrorum instar & timidorum athletarum, cum dedecore & damno vestro, *fiduciam vestram*, quâ subnixi meliora in cœlis speratis & exspectatis brabæa, & tanta hactenus pro iis toleratis, (v. 32. seq.) quippe *quæ* (fiducia perdurans & ad finem usque perseverans) *habet* & consequitur *retributionem magnam*, imo maximam, à cœlesti Patre promissam, à Christo partam, in Evangelio propositam, ac cœlo repositam. *quia retributionem magnam habet*,

Vers. XXXVI. *Perseverantia enim*, sive fide constante, nullisque malis afflictionibusve cedente, sed perdurante & patienter exspectante, *opus habetis*, *ut voluntatem DEI* Evangelicam *facientes reportetis illam* tam insignem *promissionem* vitæ æternæ, aut coronæ, quam legitime decertantibus & ad finem perseverantibus dabit Rex noster JESUS. *ex promissione divina*,

Vers. XXXVII. Hanc vero perseverantiam necessariam esse omnibus promissa bona cœlestia reportare cupientibus, illustri quodam testimonio Prophetico, ad hæc Novi Test. tempora spectante, declarabo, &, quod ad institutum præsens sufficit, summatim demonstrabo. Nostis divinum vatem Habacucum, ad perseverantiam ita cohortari, ut non longe abesse dicat venturum, ad salutem & opem in adversitatibus ferendam, Messiam; ei igitur confidendum ac nequaquam committendum esse, ut quis se temere, vel ex tædio, vel metu, à promissione subducat. Verba, aut sensum potius verborum, strictim *quod probè natura fidei, quæ perseverantiam importat.* Habac. II, 4.

Hebr. X. ctim breviterque referam, ut eo melius faciliusque monitorum meorum vim tenere queatis. *Adhuc enim*, inquit, *breve* tempus est, *quantumcunque* etiam videatur, revera tamen valde perparvum, quando *iste* promissus & *venturus* Messias, omnino *veniet* tempore convenienti tum instituto suo, tum rei ordini, neque *tardabit*, etiamsi tardare videatur iis, qui adventum ejus sua opinione anticipaverunt.

Vers. XXXVIII. *Justus autem ex fide*, Christo firmiter adhærens, eumque constanter confitens, quamvis opprobriis & afflictionibus innumeris obnoxius, tamen certa promissorum exspectatione sustinebit animum fortem, & sustentabit vitam spiritualem, adeoque *vivet*, hîc vita gratiæ, post vero vitam gloriæ. *Quodsi* autem quis non perstiterit in fide, sed fractus vel deterritus calamitatibus *subtraxerit se* subduxeritque ab Evangelica professione, ex cœtu fidelium (v. 25.) fugiat ἀθλησιν παθημάτων v. 32. ita ut non amplius utatur παῤῥησία & ὑπομονῆ, (v. 35. 36.) is eo ipso non est justus in fide, sive vere justus, adeoque *non habebit anima mea beneplacitum in ipso*, sed maxime displicebit animo meo, adeo, ut me quoque in æternum sim ei subducturus, eidemque nil nisi terribile exspectandum sit judicium (v. 27.)

Vers. XXXIX. DEUS igitur avertat, ut nos subducamus & in exitium ruamus. Faxit ille potius, ut in fide, quam professi sumus, persistamus, vitam salutemque æternam consequamur, secundum illud sanctissimum verissimumque DEI promissum: justus ex fide vivet. Subducant alii se, suo damno id facient irreparabili, *nos autem*, quod cordate & aperte profitemur, quò & exemplo & solatio sit veris Christianis, *non sumus* nec esse volumus *tales*, *qui nos subducamus*, & negligamus tanta bona, *sed* statuimus, CHRISTO, cui nomen dedimus, constanter adhærere, vera, perseverante & perdurante *fide*, adeoque fidei esse toti dediti, *ad acquirendam* possidendamque in æternum

æternum *animam*, & veram animæ vitam salutemque, cum spiritualem, tum æternam. *Hebr.* XI.

CAP. XI. *Vers.* I. Ex hactenus dictis vos, Fratres charissimi, satis commonitos & permotos esse arbitror, ut non in subductorum, contemtorum & apostatarum numero esse, sed fidelibus potius accenseri velitis, qui animas lucrifacere, & possidere vitam atque salutem, ad quam vocati, redemti & sanctificati estis, per fidem constantem cupiant. Quapropter necessitas atque utilitas postulat, ut de fide, per quam vivere nos & consequi bona ineffabilia atque æterna, dixi probavique ejusdemque natura, officio & usu plenius quodammodo vos instruam, ne quis se ipsum decipiat, ut sæpe fit, inani fidei persuasione. *Est autem Fides*, vera nimirum, viva, justificans, & perseverans, quemadmodum ex superioribus facile intelligitis, ut compendiariam quandam descriptionem vobis tradam, & ad scopum, quem intendo, sufficientem, licet alioqui non negem, plura ad pleniorem ejus definitionem, & tractationem requiri, & alibi in Epistolis meis expressi, *eorum* omnium, *quæ* promissa cum CHRISTO bona sunt, & *sperantur*, certissima *fiducia* & firmissima subsistentia ac basis, qua innitimur, & cui insistimus ita immobiles, ut non patiamur nos dimoveri, nec subduci à promissis, sed cum animi submissione patienter eadem exspectemus, licet nondum illa existere videantur; quoniam ipsa fides eorum existentiam donat, & vim habet, ea tanquam præsentia & existentia sistendi, apprehendendi, in iis latandi, deque iis animose gloriandi, inter gravissimas afflictiones. Creditur ergo cum Abrahamo, Patre credentium, contra spem naturæ, sub spe innixa DEI promittentis veracitate & potentia, quæ omnem dubitationem tollit, & non pudefacit, ut sit in humanis & terrenis rebus, ubi inania & somniis similia habentur ea, quæ nondum extant, animi spe concipere, & vera credere, quæ oculis subjici & palpari nequeunt. Eam ob causam

CAP. XI. *Eo nomine tenenda fidei veræ & perseverantis descriptio,*

Hebr. XI. sam fidem non vulgarem aliquam credulitatem, sed solidam appellavi rerum promissarum obtinendarumque substantiam, basin, fiduciam, aut quocunque tandem nomine exprimi possit notum in vestra lingua vocabulum אמונה fateor enim verba fere deficere ad significandum declarandumq; satis fidei mysterium. Addo tamen etiam hoc, quo prior descriptio magis vel confirmatur, vel illustratur, & assero, quod fides sit *rerum, quæ non videntur*, nec sensu percipiuntur, nec ratione comprehenduntur, *demonstratio* & *convictio* invicta atque irrefragabilis cordis, ut illuminatis mentis oculis cernantur adeo clare, & percipiantur tam evidenter invisibiles & inevidentes, ac si corporeis oculis subjicerentur & manibus tererentur, aut mathematice demonstrarentur. Possumus igitur atque debemus merito, qui veram fidem habemus, certissimi esse de possidendis plene aliquando promissis bonis, ac eo nomine perseverare patienterque exspectare. (Vid. Rom. 8, 24. 25.) Sunt enim quæ sperantur, meliora iis, quæ videntur; hæc temporaria & caduca, illa æterna & permanentia sive subsistentia sunt, & hy-
2. Cor. 4, 18. postasin habent perennem. Talia cum fides cernat, perspectissima, certissima, propriaque sibi habeat, ipsam fidem vocavi hypostasin.

quam habuerunt Patres, *Vers.* II. Hanc fidem nenovum quidpiam esse existimetis, si testimonium ex Habacuco prolatum non sufficit, ad prima recurram tempora; & inde testimonia atque exempla repetens docebo, non aliam fidem, quam quæ hactenus exposita & jam descripta à me est, veteres habuisse. *Nam per talem* (ejusmodi fidem) *testimonium consecuti sunt illi veteres*, Patriarchæ, Prophetæ, aliique vestri majores, à DEO ipso, quod justi fuerint, eidem placuerint, ac vivant in æternum, licet non reportaverint promissionem. Unde omnino liquet, fidem eorum fuisse hypostasin &c. Quod si igitur idem testimonium obtinere volumus, eandem fidem nos habere, eorumque vestigia premere necesse est.

Vers. III.

Vers. III. Fidem autem communem nos cum veteribus habere, ac eam esse demonstrationem non apparentium &c. vel ex Breschit I. primo illo & capitali principio rerum omnium per Creationem ex nihilo, constare potest. *Fide* enim, verbo DEI innixa, utrique, & Patres & nos, *intelligimus*, novimus & credimus, quod ratio humana ignorat & ridet, quia non intelligit, nec intelligere potest, confecta & mirabili pulcherrimoque artificio & ordine inter se coaptata & *coagmentata esse secula* (vel Mundos, recte sic à munditie sive pulchritudine, ut Græc. Κόσμος & Hebr. עולמות appellatos) *verbo DEI* (Elohim ex Gen. I. 3.) triunius omnipotenti, *ita ut* ex non existentibus, adeoque & *non apparentibus*, sive ex nihilo, *facta* sint *ea*, *quæ videntur*, omnia. Jam si ex præteritis constat, fidem esse elenchum rerum, quæ non cernebantur, nec erant, quidni de futuris colligeremus, fidem pariter intelligere promissa DEI Omnipotentis & veracis, iisdemque niti, licet nondum appareant, atque adeo hypostasin esse sperandorum. Sane veteres fidem resurrectionis mortuorum & vitæ æternæ sustentarunt consideratione creationis ex rerum nihilo. Vid. Rom. IV. 17.

Hebr. XI. *nobiscum communem* v.g. *in art. de Creatione.*

Vers. IV. Inter illustria exempla Fidei primo loco haud abs re Abelem colloco, cum Scriptura S. luculentam ejus mentionem faciat, ac fidem viri multis indiciis commendet, ubi de Sacrificio, quod DEO obtulit, loquitur. Non enim proprio in stinctu arbitratuve, sed divino consilio atque jussu rem sacram fecit, prout edoctus fuit à Parentibus, à DEO procul dubio edoctis, quemadmodum cum ex acceptatione testificationeque divina, tum ex ipsa Fide, quæ verbo DEI velut basi innititur, satis colligitur, & *fide*, res promissas in Evangelio, Protoplastis eorumque posteris dato, sperante ac repræsentante, majus *præstantiusque sacrificium quam Cainus obtulit* DEO, eo ipso quod fide obtulit, mediante non tantum sed apprehendente etiam mortem & merita, interque ea justitiam Testatoris: *per quam*

Constat exemplo Abelis. Gen. 4, 5.

Hebr. XI. fidem *testimonium obtinuit* laudabile, cum in Vet. Testam. tum in Nov. Salvatoris, (Matth. 25, 35.) *quod justus esset*, ac viveret vita justis propria, Habacuci verbis indicata, *dum testimonium* optimum *super donariis ejus* dedit ipse DEUS, gratioſe ea oblata cum offerente reſpiciendo, ac cœlitus delapſo igne, qui hoſtiam conſumeret, vel alio quodam ſigno, unde de remiſſione peccatorum ſuorum clementique DEI vultu certus eſſe poterat, id declarando: *per eandem fidem* etiam *mortuus adhuc loquitur*, celebrando divinam gratiam in CHRISTO, ſibi, ceu primo Martyri, propter juſtitiam fidei & ejus teſtimonium à DEO acceptum, à fratre occiſo, exhibitam. Unde merito quoque laudatur & deprædicatur, propter conſtantiam in fide etiam in ipſa morte, poſt quam aliam ſperavit vitam, εἰς περιποίησιν ψυχῆς (X. 39.) qua etiam fruitur apud DEUM, ac proinde in exemplum atque ſolatium omnibus proponitur Chriſtianis, ut diſcant perſe verare in fide, etiam in ipſa morte, ac videre inviſibilia, & meliora caducis ſperare.

Enochi. Gen. 5, 24. *Verſ.* V. Ab Abele ad Enochum progredior, & ex iis, quæ Scriptura paucis verbis de illo commemorat, pariter conficio, ejus fidem fuiſſe hypoſtaſin ſperandorum. Ille enim, licet in terris ac inter impios profanosque homines ageret, nequaquam tamen ab iis ſeduci ſe paſſus eſt, quin potius illis ſe oppoſuit, & DEO totus adhæſit, fide pariter ac vita, quod ambulare cum DEO vocavit Moſes; quo oſtendit, ſe ſectari conſtanter, ſpectare & ſperare non ea, quæ videntur, ſed cœleſtia & æterna, quæ non videntur. Hanc ob cauſam, Moſe teſte, *aſſumſit eum DEUS* ex hoc mundo, quem dudum animo reliquerat, ut in cœlis potius quam in terris vivere videretur, & vivum in cœleſtem patriam rapuit. *Fide* igitur laudatus *Enoch translatus eſt* in paradiſum, *ut non videat* experiaturve *mortem* unquam, & non extitit amplius inter mortales, *non inveniebatur*, licet omnes ſcirent, ipſum non eſſe mortuum; *propterea quod*

eum

enim transtulit DEUS ad se ipsum : *nam ante translationem ejus testimonio ornatus fuit* egregio, *quod placuerit DEO*, ei charus acceptusque esset, propter fidem non fucatam, & tot tantisque in vita divina testimoniis declaratam ; qui proinde etiam ipse pro φιλανθρωπία sua cum homine tam fideli & sancto ambulavit & conversatus est, velut amicus cum amico, ei sæpius se patefecit, & tandem vivum inter cœlites retulit, inaudito ad illa usque tempora exemplo. Hebr. XI.

Vers. VI. Hoc autem beneficium Enocho à DEO tributum, evidenter satis declarat, eum vera fide præditum fuisse, sine qua sane nec vita nec mores ejus DEO placuissent. *Sine fide enim impossibile est placere* DEO quicquam, sive personam, sive ejus opera. *Credidisse enim oportet*, DEO ita volente, & talem ordinem ad justitiam ac salutem constituente, revelante ac præscribente nobis, & quidem ea fide, quam hîc semper indigito inculcoque, quemlibet, *qui ad DEUM accedat*, ut DEO placeat, & transferri ad eum cupiat, licet non eo modo id fiat, quo Enoch sublatus fuit, sed per beatam ἀνάλυσιν, 1.) *quod sit ille* verus DEUS triunus, ad quem sit accessus, & à quo justificationem & vitam æternam petere atque exspectare deceat, quemadmodum ex tota Scriptura S. liquet, atque inde etiam unice, nequaquam vero ex ratione addiscitur illa accedendi ratio. 2.) *Et quod illis* omnibus, *qui* secundum institutum ordinem ad eum, DEUM suum, per Pontificem Christum fide de vera apprehensum, accedunt, &, neglectis visibilibus hujus mundi bonis, DEUM ejusque regnum & bona invisibilia, *diligenter*, serio & fideliter *quærunt*, ita ut cum ipso ambulent, *remunerator fiat* ex gratia, adeoque non tantum credentibus propitius sit, peccata illis remittat, & hæreditatem vitæ æternæ donet, sed etiam gratuitam mercedem omnibus illorum bonis operibus superaddat, cum hoc benevole promiserit. Quare & hîc habetis speculum, in quo contemplari, & regulam, ad quam examinare potestis Fidem vestram. Cap. IV. ult. X. 22.

Hebr. XI. Noachi. Gen. 6.

Vers. VII. Accipite & aliud Fidei exemplum in Noacho, prioribus etiam vel ideo insignius, quod ea non tantum antediluviano sed postdiluviano quoque Orbi præluxit. Non aliam vero habuisse fidem, aut verbis pariter atque factis vivoque exemplo prædicasse præconem justitiæ fidei, quam quæ à nobis commendatur, ex sequentibus efficitur fidei illius luculentis indiciis. Credisse enim ipsum diu ante quam oraculo esset admonitus atque edoctus, futurum, ut inundatione deleretur universum genus hominum & animantium, vel hinc constat, quod statim attenderit oraculo divino, & in timore ac sollicitudine monitis obtemperaverit. Nam testimonium jam acceperat, quod gratiam invenerit coram DEO, quod cum DEO ambulaverit, quod justus fuerit. (Gen. VI 9) Sane nisi certus securusque de sua salute per Christum obtinenda ex promissionibus dudum factis fuisset, non ita promte statim fideli obsequio excepisset cuncta, quæ securi & infideles homines ridebant, & pro somniis potius quam oraculis veris habebant. *Fide* igitur vera, quæ est elenchus eorum, quæ non videntur, *divinitus admonitus de rebus, quæ nondum cernebantur, reveritus est* illud ipsum responsum divinum, & religiosa fidelique reverentia ductus *præparavit arcam* in conspectu omnium, nil moratus eorum irrisiones, *ad salutem* conservationemve *domus* vel familiæ *suæ*, quam etiam fide obtinuisse ipsum, liquet. *Per quam* fidem etiam, constantem & in exstructione arcæ operosam, *condemnavit* infidelitatis & impietatis *mundum*, eumque Spiritu DEI judicavit, tanquam justus & sanctus, &, quod omnium est maximum, *ejus, quæ secundum fidem est justitiæ*, bonorumque hanc excipientium, salutis & vitæ æternæ, *hæres factus est*, ac iisdem perpetuo fruitur.

Abrahami. Rom. 4, 11.

Vers. VIII. Si ad postdiluvianos Patres accedimus, non alia fide eos præditos, & claros Deoque gratos fuisse, deprehendimus. Sane, quod ad Abrahamum attinet, qui merito credentium

dentium Pater vocatur, ille inde ab eo tempore, quo fidelis dici meruit, ad extremam usque senectam & mortem, constantissime fidei veræ documenta edidit. Primum enim *fide obtemperavit, DEO, Abrahamus, quum vocaretur* ab eo jubereturque relicta patria, qua nihil dulcius est, *abire in locum, quem in hæreditatem accepturus erat, & exivit*, nihil cunctatus, aut dubitans, licet *nesciens*, cujusmodi locus esset, *quò venturus erat*. Adeo certa illi erat fiducia, fore, quicquid DEUS esset pollicitus, quamvis nihil videbat. *Hebr.* XI.

Vers. IX. Pari *fide commoratus est* idem Pater *in terra promissionis*, quæ per promissionem jam propria illius facta erat, tamen advenæ tantum instar illam *velut alienam* incoluit, seque peregrinum professus est aperte & reputavit, *in tentoriis*, pro more peregrinorum, *habitans cum Isaaco & Jacobo, cohæredibus promissionis ejusdem*: quibus similiter promissio hæreditatis facta fuit. Per hoc commorationis tempus satis longum multa passi & sæpe conflictati cum hostibus variisque difficultatibus sunt; nihilominus tamen nequaquam hisce rebus commovebantur, ut promissis DEI diffiderent, quæ certissima noverant & crediderant; oculis enim fidei invisibilia viderant atque perspecta habuerant. Conf. v. 12. ff. Gen. 23, 4.

Vers. X. Ac, ut de Abrahamo seorsim iterum dicam, licet par sit ratio ejus filiorum, id quod fidem Patris sustentaverat, non tam erat hæreditas regionis Canaan promissæ, quam promissio cœlestis hæreditatis & patriæ longe melioris. *Expectabat enim* viva patientique spe *eam civitatem*, quæ fundamenta habet solidissima & perpetuo mansura, unde nunquam esset ipse cum cœtu fidelium posterorum depellendus, utpote *cujus artifex & conditor DEUS* esset, ubi cum Christo Rege semper beate viveret, & cœlesti gloria perfrueretur.

Vers. XI. Pertinet etiam hoc ad fidei ipsius laudem, quod *Sara*, una cum uxore, DEO, Filium in decrepita ætate promittenti, crediderit,

Hebr. XI. crediderit. Nam, ut ex historia Patriarcharum nostis, *fide* non tantum Abrahamus sed *ipsa quoque Saræ virtutem ad dejectionem*, aut fundationem *seminis* & conceptionem, *accepit*, *præterque ætatis tempus peperit* : *quandoquidem*, postquam ab Angelo edocta fuit, non jocosam sed seriam rem esse, non respexit corpus emortuum & naturæ vires, sed *fidelem* veracemque *existimavit eum*, *qui promiserat*, DEUM, cui prorsus confisa firmataque fide imitata maritum, & testimonium præclarum fidei adepta est, non tantum hac in parte, sed generatim etiam in omnibus promissis de διαθήκῃ ex suis posteris prodituro acceptis. Conf. Rom. IV. 19. seq.

Vers. XII. *Propterea etiam*, quia tanta fidei constantia adhæserunt Abrahamus & Sara promissionibus DEI, ac fidum existimarunt promissorem, nihil quicquam de promissis remansit, quod impletum non sit, sed *ex uno, & quidem emortuo corpore* s. pari *nati sunt* posteri *tam multi*, *quantus est stellarum in cælo numerus & arenæ ad littus maris* jacentis, *quæ est innumerabilis*, prout DEUS ipse prædixerat, Gen XV. 5.

Vers. XIII. Hæc autem fiducia in ipsa quoque Patriarcharum morte, non tantum in totius peregrinationis curriculo eluxit. Nam *hi omnes*, Abrahamus & Sara, Isaacus & Jacobus, *secundum fidem*, ac, prout fideles decet, ex fidei præscripto, *mortui sunt*, *dum non adepti ista* tam insignia *promissa*, de terra Canaan possidenda, & semine benedicto Messia, ex suis nascendo posteris, in quo omnes promissiones sunt ναὶ καὶ ἀμὴν 2. Cor. I. 20. *sed procul ea* fide *conspiciati* in typo & spiritu (Joh. 8, 58) *& persuasi* interim de rebus tam longe absentibus & non aparentibus certi indubitato fuerunt, & in transitu duntaxat, hospitum instar, *salutarunt* terram; in qua nasci debebat Messias, *& confessi sunt*, *se hospites & peregrinos esse in terra*, ac meliorem civitatem sperare. Vid. Genes. XXIII 4 XLVII. 9.

Patriarcharum Fides in morte conspicua.

Vers. XIV.

Vers. XIV. *Qui enim talia dicunt*, se esse peregrinos, ut dixisse constat Abrahamum, & post ipsum Davidem Regem, qui in Palæstina regnabat & civitatem condiderat, aperte declarant, *se patriam* desiderare & *requirere* aliam, ac illam regionem, in qua degebant, non habere pro patria. *Hebr.* XI. Gen. 32, 4. Ps. 39, 14.

Vers. XV. *Et si quidem eam recordarentur* patriam, ac desiderare se profiterentur, cum hospites se dicerent, *ex qua profecti sunt*, *habuissent* opportunitatem & *tempus revertendi* satis longum per totam vitam, & obvio itinere in Chaldæam redire potuissent, nec prudentes fuissent, si id non feciissent, sed sub mortem demum desideraſſent.

Vers. XVI. *Jam vero* cum non redierint in patriam terrenam, quamvis ad id sat temporis & opportunitatis habuissent, *meliorem* utique *desiderarunt*, & desideraſſe eos tanto cum affectu, affirmabimus, in qua licet æternum vivere, ab omni cruciatu prorsus exemtos, id est, *cœlestem* illam, cujus conditor DEUS. (Vers. X.) Atque *hac de causa*, quod pii Patres cœlestia duntaxat respicerent, & promissionibus divinis se in ipsa morte constanter fideliterque sustentarent, *DEUM* quoque *non puduit eorum*, *quo minus eorum DEUS* & Pater *appellaretur*; cum illorum proprie sit DEUS benevolus & Pater, qui fiduciam omnem & omnia felicitatis præsidia in ipso collocarunt. *Paravit enim DEUS* illis, atque talibus, ex affectu paterno, *civitatem* patriam, in qua viverent felices, ac fruerentur, civum in mortem, privilegiis & bonis ineffabilibus. Hocque fecit DEUS, quando fœdus cum iis pepigit dixitque: Ego ero illis in DEUM &c.

Vers. XVII. Ex his licet intelligi satis possit, quæ fides veterum fuerit, tamen non possum non redire ad Abrahamum, & novum Fidei, idque ad omnem posteritatis memoriam insigne, specimen, quod prolixe descriptum à Mose est, in præsens referre. Quomodo DEUS eum tentaverit atque fidem ejus *Abrahami Fides in oblatione Isaaci,*

Hebr. XI. exploraverit, cum Filium, quem ex promissione susceperat, immolari jussisset, perspectum omnes habetis. Sed quomodo se gesserit D. Pater, & quanta fiducia DEO adhæserit, diligenter, quæso, attendite. Quod si feceritis, Fidei justificantis opus heroicum & stupendum prorsus observabitis. *Fide* profecto, quæ substantia sperandorum & convictio rerum non apparentium est, *immolavit*, non tantum conatu atque animo, sed ex parte etiam ipso opere, *Isaacum*, dum ligatum aræ jam imposuit, & exserta manu gladium strinxit, eum trucidaturus, ni prohibitus fuisset. Quam simplex & constans hæc sancti viri fides fuerit, vel ex facti circumstantiis colligi potest. Eo in statu erat, quo *tentabatur* ab ipso DEO, non vulgari sed maximo tentationis genere, *ut immolaret* filium, quod tenerrimus Patris affectus permittere nec poterat, nec debebat, & talem quidem filium, quem habebat unicum, & *unigenam* ex Sara susceptum, de quo etiam *promissiones* jam *fide exceperat*.

Vers. XVIII. Et ita quidem susceperat atque amplexus fuerat promissiones sibi à DEO factas Abrahamus, ut veras eas merito habuerit, tanquam *ad quem dictum fuit*: *in Isaaco vocabitur tibi semen*, & ex ejus posteris Messias prodibit. Si rationem consulere & secundum eam dimetiri voluisset rem, ita ratiocinari secum potuisset: egone, cui promissio facta de multiplicando semine meo, quamque accepi, eandem irritam reddam, ac filium unicum, ad quem alligata promissio est, interficiam?

Vers. XIX. At nihil horum fecit Abrahamus, non ita secum disputavit, sed potius ex fide *ratiocinatus est*, & subductis rationibus omnibus, adversus ingruentes cogitationes collegit firmissime, *quod DEUS*, qui alia omnia facere possit, *etiam potens sit, è mortuis excitare* Isaacum, si libeat, quod rationi maxime adversum est. Hujus rei veluti pignus habebat ortum ipsius Isaaci miraculosum, utpote cujus conceptio & generatio quasi

quasi reditus ex morte erat, cum prodiisset ex mortuis parentibus ; *unde*, quia hoc fecerat Abrahamus, & nil de sua in DEUM fide remiserat, sed potius fiduciæ constantis indicia illustria præbuerat, *etiam eum ipsum* filium Isaacum, *in parabola*, seu typo seminis promissi, CHRISTI, *recepit*, cum magno fidei augmento & illustramento ; quia vidit diem CHRISTI, Filii DEI unigeniti, pro redemtione generis humani immolandi & resuscitandi &c. Hoc Exemplo discamus in obedientia fidei perseverare ad ipsam usque mortem, satis gnari ac certi, DEUM promissa sua posse pro mirabili sua potentia perficere & nos liberare, quamvis non intelligamus, qua ratione id fieri queat. *Hebr.* XI.

Isaaci.

Vers. XX. Hoc fidei exemplum Patris fidelium, imitatus est promissionis filius, Isaacus, quemadmodum vel ex benedictionibus, quas impertitus fuit filiis suis, efficitur. Non enim tantum morti vicinus optima quæque precatus est filiis suis, pro more inter parentes recepto, sed prophetico spiritu & fide plenus, *de futuris* bonis, cum terrenis, tum spiritualibus & cœlestibus, *benedixit Jacobo atque Esavo*, tanta certitudine atque constantia, ac si præsentia illa intueretur aut haberet, sola DEI promissione fretus, quam ab Abrahamo Patre traditam atque à DEO repetitam acceperat. Cum enim solenniter quasi testamentum condere vellet, DEO dirigente, Jacobo potiores partes assignavit. Tametsi enim ex errore suo & fraude Jacobi factum primo putabat, tamen recordatus mox oraculi, antequam nascerentur filii, editi, & apud se reputans, quam apte ei conveniret cum votis Jacobo impertitis, fide colligit rem ita futuram, ac denuo iterumque Jacobo ex fide tribuit, quod ante Esavo ex affectu destinaverat. Unde liquido constat, fidem esse hypostasin sperandorum &c. Talis enim utique fuit fides Isaaci. Gen. 32, v. 33. & 37.

Jacobi.

Vers. XXI. In *Jacobo* etiam consimilis fidei ac constantiæ Exemplum habemus. Atque ut alia bene multa illius fiduciæ

Hebr. XI. signa prætermittam, luculentum documentum morti vicinus, cum filios DEO commendaret, ac iis benediceret, dedit. Ab
Gen.48,16. angelo enim Goële, sive liberatore & mediatore, Messia, optima quæque precabatur, cum nosset, in eo uno omnes Orbis familias beandas. Quare *Fide* in hunc ipsum Redemtorem patiente, perseverante & salutaria quæque sperante ac exspectante, *benedixit morituras unicuique filiorum Josephi*, primo seorsim, deinde una cum omnibus filiis, de rebus futuris, nihil addubitans, quin futurum esset id omne, quod divinus spiritus illi eventurum significaverat. Corporalia etiam & terrena, quæ viderat prædixeratque, non nisi pro symbolis habuit & præparatione ad Messiæ ἐπιφάνειαν, ac vocationem gentium. Elucet etiam ex adoratione ejus religiosa insignis fides, quando, ut ex
Gen.47,31. Mose vobis satis constat, Josepho mandavit, eumque juramento obstrinxit, ut se in terra Patrum suorum humaret. Quo ipso fidem testatus est erga DEUM & promissiones sibi ac Patribus factas, & fide intuitus veneratusque est præsentem Dominum, quem, cum clinicus non posset prostrato humi corpore, ut pii consueverant, adorare, ad caput lecti sedens adorabundus *inclinavit in caput scipionis sui*, & hoc gestu exprimere voluit recumbentem in DEO fidem, & ab eo omnem vitam salutemque certo sperantem, quemadmodum etiam disertis verbis significavit, Gen. 49, 8.

Josephi. *Vers.* XXII. Nec Josephus à fide Patrum degeneravit, sed constantissime eam servavit, ad mortem usque. *Fide* quippe & is, ad exemplum Jacobi, cum jam *moriturus* esset, *de exitu filiorum Israel* ex Ægypto *meminit*, ac non tantum illum credere se firmiter testatus est, sed eriam spiritu prophetico confirmavit, & in memoriam fratribus revocavit, ut deinceps servitute pressi meliora sperarent, liberationem patienter exspectarent, & cœlestem patriam, cujus typus duntaxat terra promissa Canaan esset, respicerent. Eum in finem *& de ossibus suis mandavit*

mandavit in terram illam promissam deportandis, ut hoc velut argumento fidem vivam in Christum testatam faceret, & apud posteros monumentum relinqueret spei suæ nunquam intermorituræ. Genes. L. *Hebr.* XI.

Vers. XXIII. Horum Patrum fidelium vestigiis alii quoque institerunt, ac nominatim Mosis parentes. *Fide* enim Moses recens *natus occultatus fuit* domi, *tribus mensibus*, *à parentibus suis*, *quoniam videbant illi*, *elegantem esse puerum*, &c. ex indole vultus magnum quiddam præ se ferentem ac pollicentem. Memores igitur promissionum divinarum de liberatione é servitute Ægyptiaca, appetente liberationis tempore, & accedentibus aliis indiciis inusitatis, inprimisque impulsu quodam divino excitati, servandum puerum judicarunt, adeoque *non reformidarunt mandatum Regis* severum, magisque metuerunt offendere DEUM, quam Tyrannum. Cumque puer domi diutius occultari non posset, parentes eum scriniolo inclusum in ripa fluminis exposuerunt, divinæ promissioni innitentes & DEO adhærentes. *Parentum Mosis.* Exod. II, 2.

Vers. XXIV. Ad ipsum Mosen quod attinet, in eo longe plura & luculentiora Fidei documenta deprehendimus, quam in parentibus. Quorum primum hoc est, quod licet in aula Pharaonis educatus laute, à Filia Regis in filium adoptatus, inque omni Ægyptiorum doctrina & sapientia institutus, & factis pariter atque dictis potens esset, *cum ad ætatem adultam perveniisset*, sicque satis in claruisset, ac nihil omnino esset, quod desiderare ad magnitudinem & felicitatem temporalem ipse posset, *abnegaverit* recusaveritque serio & constanter, *appellari* & esse *Filius filiæ Pharaonis*. Quod sane fide impulsuque Fidei, quæ meliora sperat videtque, nimirum bona cœlestia, adoptionis jure propter Christum fidelibus promissa & obventura, fecit, & verbis non tantum sed & factis hanc fidem testatus est. Nam & visitavit fratres suos Hebræos, eos in spem libertatis re- *Mosis.* Act 7, 22.

Hebr. XI. Act. 7, 25. demtionisque futuræ erexit, & occidit Ægyptium hominem Hebræo insultantem & contra illum insurgentem, existimans, consanguineos suos intelligere, quod DEUS per ipsum eis salutem daturus esset. Nihil enim temere sed omnia instinctu divino aggressus est.

Vers. XXV. Alterum Fidei veræ & perseverantis signum hoc erat, quod, cum posset commode satis & laute omnem vitam in aula transigere, *magis* tamen *elegerit* omnis generis *malis simul affici cum populo DEI*, quæ etiam subiit & sustinuit, quando, posteaquam innotuit, quod Ægyptium interfecisset, in exilium sponte abiit, *quam temporariam*, &, si cum veris æternisque bonis conferatur, brevem & momentaneam quasi, ac perituram haud tantum, sed etiam nocituram *habere fruitionem peccati*, cujus pœna æternum durat, & cujus se participem fecisset Moses, si deseruisset populum DEI, inobediens DEO fuisset & aulæ voluptatibus inhiare voluisset. At, quia noverat, Hebræos esse electum DEI populum, Ægyptios autem destitui DEI fœdere, promissione & spe, & quia destinatum se populi sui vindicem atque Ducem à DEO ipso didicerat, alta piaque mente revolvens & juxta æstimans hujus & futuræ vitæ voluptates, maluit præsentem relinquere felicitatem, & melioris spei fiducia sustinere perpessiones & divexationes, quibus consanguinei sui cruciabantur, inque earum communionem venire. Quod profecto insigne fidei documentum erat.

Vers. XXVI. Quemadmodum autem illinc nullis deterreri se passus est periculis ab agnita & confirmata in animo spe: ita quoque hinc nullis induci poterat pollicitationibus, quantumvis maximis, etsi potiri ipsi datum fuisset vel universis Ægypti thesauris, quorum sane magna parte frui poterat, si DEUM Israëlis & populum ejus abnegaret; sed tantas spes fideli mente contempsit, & divino lumine ac robore plenus, *majores* longe, ac haud abs re quidem, *reputavit divitias quam Ægyptio-*

Ægyptiorum thesauros, *opprobrium CHRISTI*, & afflictiones, quibus afficiebantur Hebræi propter Messiam, in quem credebant, quemque Redemtorem exspectabant, & quæ Christus sua faciebat sibique illata reputabat. Hæc atque alia talia mala pro malis non habebat, sed bonis, quia in bonum cessura sibi sciebat. Fidei *quippe* oculis *respexit retributionem mercedis* ac præmium promissum omnibus, qui convicia, insectationes & divexationes quascunque propter Christum & veritatis professionem patienter tolerant. Hoc præmium vero allaturum veras & æternum duraturas, adeoque longe ampliores opes, quam quas vel Ægyptus, vel orbis terrarum dare poterat. Hebr. XI.

Vers. XXVII. Sed habemus etiam majora adhuc & clariora Fidei Mosis indicia, quæ superioribus addere operæ pretium fuerit. Postquam enim divinus vir prope Horeb oraculo monitus, redire in Ægyptum ac inde educere populum Hebraicum jussus fuit, non tantum fidem DEO habuit, & per fidem multa in Ægypto miracula patravit, sed tandem quoque, cum inde exiret & populum educeret, singularem fidem declaravit: *Fide* enim *reliquit Ægyptum*, cum in modum, quem prolixe descriptum in Exodo nostis, cum universo populo Israëlitico, *non veritus furorem* Regis maximum, aut potentiam, cui Ebræos prorsus impares noverat. Omnem istum metum, quem incutere natura & humana imbecillitas potuit, fide sola fortissime superavit. Oculis cernebat Tyrannum cum ingenti exercitu sanctæ gentis cervicibus imminentem eique excidium minantem, sed infracto animo fixus est invisibilibus præsidiis; *invisibilem enim* DEUM *quasi* præsentem & pro se populoque suo stantem *videns*, *obduratum* adversus metum & pericula *animum retinuit*, & perseveravit. Quæ utique fidem talem arguunt, qualem describere & declarare instituï.

Vers. XXVIII. Porro Fides ejus insignis eluxit in celebratione Exod. XII.

Hebr. XI. bratione Paschatis. Quum enim DEUS hoc Sacramentum variis & mirabilibus ceremoniis instituisset atque sanxisset, Moses non tantum populo fideliter justa DEI renunciavit, sed ipse etiam vera *fide fecit* solenne illud *Pascha*, sive Sacrificium præterire faciens Dominum, *& affusionem* vel illitionem *sanguinis*, ac, ut Israëlitæ idem facerent, effecit, quantum potuit, eo fine effectuque, *ne tangeret illos* Angelus ultor, *qui* per universam Ægyptum, *quidquid erat primogenitorum*, *perdidit*. Sic autem vera fide celebravit Pascha, ut illuminatis mentis oculis intueretur in JESUM CHRISTUM, agnum DEI pro mundi peccatis trucidandum, & in vim sanguinis illius divini, cujus typum luculentum in agno paschali videbat, ac utramque liberationem, cum ex Egypto, tum ex Inferno, futuram, certissime credebat cum populo DEI, nihilque exitii metuebat.

Ex. XIV. *Vers.* XXIX. Peracto fide Sacrificio & Sacramento paschali, pari *fide* Moses ac populus *pertransiverunt mare rubrum* salvi ac incolumus, *tanquam per terram siccam*, firmiter apprehendentes promissionem divinam Salutis corporalis juxta ac spiritualis, per Messiam, in columna nubis prælucentem tunc, acquirendæ. Qua fide cum destituerentur Ægytii, & tamen transire mare tentarent, misere perierunt; *periculum* enim tentare *facientes ejus* maris, atque id ipsum ingredi audentes, eo quod putarent, vel ex naturalibus causis, vel artibus magicis aquas cohiberi, iterque pedestre aperire, mersi & *absorpti sunt* fluctibus.

Josua. *Vers.* XXX. Longum foret alia omnia enumerare fidei Mosaicæ documenta, toto illo tempore, quo in deserto oberravit, edita; ad Josuam igitur progredior, ostensurus, eundem non minori fide illustrem fuisse, ac ipsius Magistrum. Memorabile autem fuit cum primis factum illud apud urbem Jericho, quæ non humanis viribus concidit & expugnata fuit; sed *Fide*

Jos. V. Josuæ Ducis ac populi, quâ nitebantur promissionibus & Principe

cipe exercitus Domini, *muri* validissimæ urbis *Jericho* subito ad Sacerdotalium tubarum sonitum populique clamorem, *corruerunt*, *ambiti per septem dies*, ita ut Hebræis urbem cingentibus, qua quisque steterat, ingressus per collapsa mœnia pateret. Magna pro facto hîc fuit & firma sperandorum hypostasis, quod eventu in septimum usque diem dilato, non tamen defatigata fuerit defeceritque Israëlitarum fides. *Hebr.* XI.

Vers. XXXI. In eadem Urbe Jericho, insigne etiam fidei Exemplum deprehendimus in Rahabe, quod non prætermittendum esse videtur, cum excitare pariter & confirmare vos haud parum queat. Nostis ex historia Josuæ, quomodo exploratores Hierichuntem missi iique à meretrice & cauponaria excepti tractatique sint ac quomodo ea *per fidem* in hoc ipso opere declaratam servata fuerit, & *non una perierit cum incredulis* civibus, qui quidem audiverunt, quanta potentia DEUS populum Israëliticum duxerit & tutatus hactenus fuerit, & quod fluenta Jordanis siccaverit, aditumque adeo ad suas regiones & urbes patefecerit; sed his omnibus nihil moti portas occludere & resistere omnipotenti DEO ausi fuerant. Luculenter vero fidem prodidit mulier gentilis, meretrix quondam, *dum suscepit exploratores* Israëlitarum, crediditque Dominum Israëlitis traditurum terram istam, eorundemque DEUM esse verum DEUM, ac tandem *cum pace* salvos incolumesque dimisit. Ita abunde satis declaravit fidem, quæ est sperandorum hypostasis &c. *Rahab.* Jos. II. 9. 11.

Vers. XXXII. Hæc hactenus ex S. Codice allata exempla docent sufficienter & perspicue, quæ veræ fidei natura atque vis sit. Unde *quid amplius dicam?* nihil est necesse, plura iis addere, quod quidem facile fieri posset. *Tempus enim deficeret me*, *si* distincte *enumerare* atque exponere *vellem*, ut cepi, omnia ac singula fidei constantis & sinceræ exempla, ac præsertim prolixiores historias *de Gedeone*, qui in virtute Domini *Judicum*, *Vatum*, *Regum*. Jud. VI. & VII.

Hebr. XI. mini Israëlitas è Midianitarum potestate liberavit, dum DEI promissis semel iterumve datis & confirmatis nixus, aras Baalis destruxit, & cum trecentis viris immensam hostium multitudi-
Jud. IV. nem fudit fugavitque. *De Barako*, qui DEI mandatis præsidiisque à muliere vatidica, Debora, nunciatis, fretus, ac viva spe fiduciaque plenus, Sisseræ exercitum cum omni apparatu curruum falcatorum formidabili in fugam conjecit, & trucida-
Jud. XIV, vit. *Item de Samsone*, qui Philistæos divino robore indutus ali-
19. XV. quoties prostravit, ac non inultus mortuus est. Quæ omnia fide ab ipso patrata sunt, quâ apprehendit robur ex altissimis, ac pre-
1. Sam. cibus assecutus est. *De Jepitha*, qui similiter Domini spiritu ro-
XVII. boratus ab Amonitis victoriam insignem retulit. *De Davide*, pientissimo Rege, qui juvenis adhuc Goliathum innomine virtuteque Domini, adeoque fide, prostravit, ac plurimas victorias à variis gentibus reportavit, Amalekitis, Jebusæi, Moabitis, Philistæis, Idumæis, Syris, solius DEI ope fretus, in maximis periculis, ubi nulla elabendi spes apparebat. *De Samuele*, Prophetarum post Mosen coryphæo, (Actor. III. 23.) qui gratis in populo Judaico non Vatis tantum, sed Judicis quoque ac Principis officium administravit, & præmium à DEO fide exspectavit (1. Sam. VII. 8. 15. XII. 7. seqq.) atque ad fiduciam perseverantem omnes Israëlitas fideliter cohortatus est: ac demum *Prophetis* cunctis, aliisque viris, quibus passim DEUS in Scriptura illustre fidei testimonium præbet, quorumque exemplis non omnes & singulos ad constantiam excitat.

Vis & effectus fidei insignes, 1. in actionibus.

Vers. XXXIII. Quæ & qualia tot ac tanti Heröes Fidei, præsidio DEI, in quo totam fiduciam collocaverant, non humanis opibus patraverint, non licet nominatim & sigillatim persequi. Quare omissis autorum vocabulis summatim duntaxat attingam, quid per fidem effecerint. Vestrum erit, notorum & historiarum ex sacris literis, quarum non ignari estis, recordari & referre quælibet facta ad suos autores. Alii sunt, *qui*

qui sive consilio divinitus suggesto, sive precibus, sive exigua manu, hostes debellarunt, potentia & multitudine validissimos, & *regna* quoque integra *devicerunt*. Pleni sunt annales de Judicibus Israelitici populi, quorum aliquos memoravi, de Davide & Regibus, qui DEI potentia & favore freti, ejusque verbo nixi atque confisi, per fidem victoriam obtinuerunt. Alii eadem fide operosa & justificante *justitiam operati sunt*, omnique virtutum generibus excelluerunt, & repleti fructibus justitiæ fuerunt, ac nullis sive terroribus sive blandimentis seculi abduci à probitate potuerunt: nec ulla promissorum dilatio eorum fiduciam minuit; sciverant enim DEUM præstare & posse & velle quæcunque pollicitus fuit. Unde etiam *consecuti sunt promissiones* atque res promissas omnes, sive spiritualia sive temporalia concernerent, si non in diebus vitæ suæ, tamen post mortem. Nonnulli etiam illorum per fidem erepti sunt é summis præsentissimisque periculis, & per fidem tantum obtinuerunt robur, ut *leonum* quoque *ora obturarent*, & animalia invictæ sævitiæ aut vincerent, aut innoxia sentirent. Hebr. XI.

Vers. XXXIV. Quidam in ignem conjecti fævissimum, (ut socii Danielis) in mediis flammis illæsi prorsus perdurarunt, & nativam *ignis vim* quasi *extinxerunt*, virtute fidei in DEUM firmissimæ, (Dan. III. 17. 25. seqq.) Alii præsentissimo mortis periculo erepti sunt, & *ora* aciesve *gladii* in se stricti incolumes *effugerunt*, quemadmodum David effugit enses Saulis, Elias & Micheas Achabi, Elisæus Jorami &c. [vid. Grot. h.l.] Alii morbo lethali decumbentes & ad DEUM sospitatorem fide in Messiam nixa, confugientes, convaluerunt & *corroborati sunt ab infirmitate* sua, viresque amissas receperunt, ut Hiskias (Jes. 38.) Alii præter modum *fortes in bello facti sunt*, induentes per fidem robur DEI fortis, & *castra*, exercitus incursionesque *exterorum in fugam verterunt*.

Vers. XXXV. Neque in viris tantum tam egregia fides

Hebr. XI. ejusque vis illustris eluxit, sed in sequiori sexu etiam notantur exempla fidei ad posteritatis memoriam imitationemve insignia. Quædam enim *mulieres receperunt mortuos suos* in vitam revocatos *ex resurrectione*, cum recepissent fide Domini Prophetas atque opibus suis sublevassent, ut vidua Sareptana, (1. Reg. XVII. 27.) & Sunamitis (2. Reg. IV. 37.) quarum illa Eliam, hæc Elisæum hospitio excepit & benigne tractavit, cum alibi vix fides in Israëlitico populo, sed omnia Baaltico cultu plena essent. Quæ fides perdurans fuerit in exantlandis ac perficiendis præclaris operibus, hinc satis, opinor liquet. Nunc ut eadem fidei vis in perseverantia & sustinendis perpessionibus sese in multis prodiderit, dicam. *Alii* enim tympanorum instar *fustibus* ad mortem usque *casi fuerunt*, propter veritatis professionem, licet præsentem DEI *liberationem non* viderint, nec oblatam ab hominibus sub abnegationis conditione *acceperint*. Quod sane indicium erat hypostaseos & convictionis fidei singularis quæ in iis erat. Sustinuerunt enim cuncta patienter, *ut* longe *meliorem resurrectionem* ad vitam beatam & æternam, quam esset illa liberatio à supplicio & externa morte, *consequerentur*. Eam spem firmam conceperunt ex promissionibus divinis, ac de ea ita certi erant, ut ingentem ejus μισθαποδοσίαν exoscularentur, ac de ea lætarentur in suppliciis dirissimis, & ipsa morte.

2. *in passionibus.*

Vers. XXXVI. Alii autem rursus ob pertinax veritatis studium *illusiones*, convitia varia & probra, ab impiis & profanis hominibus sustinuerunt, & stolidissimi atque scelestissimi mortalium habiti sunt, ut Job, (II. 9.) Elisæus, (2. Reg. II. 23.) Imo à verbis ad verbera deventum sæpe est, nam & flagris ipsorum constantia & patientia tentata ac explorata fuit; *patiebantur* quippe confessores, ac in corporibus suis experiebantur, non sine sensu dolorum gravissimorum, *flagella* & scuticas, ut Israëlitæ in Ægypto, dura pressi servitute, (Exod. V. 14.) Jeremias, Micheas, (1. Reg. 22, 24. Conf. 1. Macch. 1, 34. & 2. Mac.

2. Mac. 5, 24.) Alii in *vincula* conjecti sunt & *carceres* squalidos, ut Josephus, Jeremias &c. *Hebr.* XI.

Vers. XXXVII. Alii veritatis testes fideliſſimi *lapidati sunt*, velut blasphematores, ut Zacharias, (2. Par. 24, 21.) & vates bene multi, (Matth. 23, 36.) aut *dissecti*, quod de Esaia traditur vulgo, serra, vel alio crudelitatis instrumento, & nullo non genere *tentati*, hinc minis suppliciorum graviorum, illinc promissis, an non possint ad defectionem & cultum idololatricum adigi (1. Macch. I. 46. 52. 2. Mac. VI. VII.) & cum ejusmodi tentationibus non frangerentur, sed DEO constantissime adhærerent, persuasi, se nec morte divelii à DEO posse, *cade gladii occubuerunt*, (1. Sam. 22, 18. 1. Reg. 19, 10.) vel in exilium pulsi ferarum ritu *oberrarunt* per solitudines, utcunque recti *pellibus ovillis & caprinis*, instar viatorum & militum, quos necessitas sub dio agere cogit, ut Elias & Elisæus, (2. Reg. II. 8.) *destituti* necessariis vitæ subsidiis, *angustiis pressi*, imminente undique persecutorum sævitia, ac *male* adeo *habiti* & vexati maximis plurimisque incommodis à Satanæ ministris.

Vers. XXXVIII. Malis autem hujusmodi usque adeo digni non erant, pii sanctique isti viri, ut ipse potius *mundus* esset *indignus*, quorum consortio & beneficiis fruerentur. Unde suo malo eos impii ejecerunt, ut in certis sedibus *vagarentur*, modo *in desertis*, modo *in montibus* aviis, modo *in* asperis *specubus & cavernis subterraneis*. Quales fuerunt David coram Saule profugus, Elias coram Jezabele, vates DEI ab Obadia absconditi &c. 1. Reg. XVII. 3. XVIII. 13. 2. Reg. VI. 1. 1. Mac. I. 56. II. 29. f. 2. Mac. V. 27. X. 6.

Vers. XXXIX. *Atque hi* omnes, quos vel recensui, vel in quos digitum intendi, sancti homines, *testimonium* meruerunt & *obtinuerunt per fidem*, & cum actionibus tum perpessionibus suis testati ipsimet satis luculenter sunt, quod respexerint ad aliquid sperandum, ac nondum apparens, adeoque habuerint fidem, 3. *in patienti exspectatione promissorum.*

Hebr. XII. fidem, qualem supra descripsi, quæ sit sperandorum hypostasis; nam *non reportarunt promissionem*, vel res promissas Abrahamo & cæteris DEI viris, de Messia ejusque beneficiis, sub Novo Test. complementum fortituras: nihilominus tamen perduraverunt constanter ad finem usque, & in proposito stadio indefessi & infracti decurrerunt.

Sapiens in hoc Dei consilium, nobisque salutare.

Vers. XL. Id vero omne nostro bono accidit, quod promissio ipsis data non sit tum expleta, *eo quod DEUS*, pro benignitate & sapientia sua, *melius quid pro nobis providit*, dum ordinem salutis ita disposuit, *ut non sine nobis consummarentur* plene perfecteque, in fine seculi. Hoc enim nisi DEUS fecisset, nos nec nati essemus, nec vitæ æternæ hæredes esse possemus. Quem salutarem ordinem atque finem veteres expendentes, conquieverunt patienter & spe certa nixi animos in omnibus adversitatibus & persecutionibus exercuerunt.

CAP. XII. *Horum fidelium exemplum imitandum,*

CAP. XII. *Vers.* I. *Quapropter etiam nos*, ego, & omnes, qui CHRISTO nomen dederunt, quibus eadem cum veteribus fides, eadem salutis via, eadem spes reposita, idem stadium decurrendum & certamen ineundum est, *quum habeamus* tantam fidelium catervam, & velut *nubem nobis circumpositam testium*, qui operibus & perpessionibus, ceu declaravi, perseverantem fidem demonstrarunt, ut, quaquaversum oculos convertamus, illi nobis occurrant, nos cingant & excitent invitentque ad imitationem, non segnes aut impatientes esse debemus, quin potius, ceu strenuos athletas & milites Christi decet, *deponamus* & abjiciamus *omne onus*, & quodcunque impedimentum, sive à carnis affectibus, sive mundi illecebris, sive Satanæ ejusque ministrorum persecutionibus objectum & incumbens, ac inprimis *circumstans*, & undique nos quasi ambiens concludensque & ad pericula inferenda pronum & promptum, *peccatum*, si negligatur, eique indulgeatur, cum originale, tum actuale, & illud inprimis, à quo dehortatus vos superius

perius sum, (cap. X. 38. f.) quod per veram sit fidem, quæ hypostasis est rerum meliorum & convictio non apparentium, certo tamen sequentium bonorum, ac vis virtusque cœlestis omnia superans, & per talem *perseverantiam* fidei *decurramus* strenue & alacriter *propositum nobis* à DEO & Salvatore nostro *certamen*, faciendo & perferendo omnia, ut coronam justitiæ nobis repositam, è manu agonothetæ, Domini nostri J. C. reportemus & accipiamus. *Hebr.* XII.

Vers. II. Quod si hæc exempla commovere nos forte nequeunt, ipsum Dominum nobis imitandum proponamus, *respicientes* attentis animis & oculis *istum* fidei fiduciæque hujus de DEO conceptæ *auterem* pariter *atque consummatorem*, efficientem non tantum in nobis fidem per Spiritum S. & ducentem ad cœlestem gloriam, & epoptas constituentem, cui proinde merito confidere, & à quo exspectare certo res promissas possumus, licet adversa quæque subeunda & sustinenda in præsentis vitæ curriculo sint. Intueti quoque in eum hoc nomine fas est, ut ducem animose præeuntem sequamur, cum eadem viâ ad gloriam contendamus, quâ ipse incessit, nempe per passiones & mortes, quippe *qui pro propolita sibi lætitia*, & ut eam consequeretur, cum summa patientia *sustinuit* omnis generis convitia, probra, flagra, & ipsam denique *crucem* ignominiosissimam & crudelissimam, nil pensi moderatique habens, sed forti potius animo *contemnens* omnem *ignominiam*, qualis aut quantacunque illa esset. Eam etiam gloriam, quam respexit, superatis omnibus difficultatibus, consecutus est, *inque dextra throni illius DEI* magnifici *consedit*, quemadmodum sæpius in hac ad vos perscripta epistola dixi atque demonstravi. *& ipsius Christi*,

Vers. III. Hæc *igitur* sedulo & sæpius, imo semper, *reputate*, ac ita quidem reputate, ut cogitetis, & subducta ratione institutaque collatione proportionali perpendatis serio ducem *instituta proportionali collatione*

vestrum,

Hebr. XI. *tione inter nos & Ducem J. C.*

vestrum, JESUM, quis ac quantus ille, à quibus & quanta passus fuerit, qui vos sitis & quantula sustineatis. Expendite primum *eum*, *qui* patienter *sustinuit* cuncta, quod non nudus homo, sed ipse Filius DEI sit, idemque sanctissimus, & innocentissimus, qui nil mali unquam fecit & promeruit, ac præire quoque nobis voluit; turpe autem foret, ducem non sequi, ad gloriam ducentem & nos tutantem. Deinde repræsentate animis vestris, & vel ex historia Dominicæ Passionis reputate, *tantam* tamque multiplicem sustinuisse Salvatorem *adversus se ipsum contradictionem*, & quidem *à peccatoribus* maximis, quam nec cogitatione aliquis assequi, nec verbis satis exprimere valeat. Neque enim verbis tantum contumeliosis ei contradicebant, & sanctissima ejus verba Scribæ, Pharisæi, Pontifices & Principes populi blasphemabant, sed factis quoque sese opponebant; ut aperte palamque innotuerit, eum insignum contradictionis positum plerisque esse, qui omnibus signum salutis esse volebat. Hæc si cum vestris afflictionibus conferitis, non adeo multas & magnas illas esse deprehendetis. Habet vero etiam hæc consideratio fructum insignem, & solatium vobis efficax suggeret in calamitatibus perferendis, ac eam ob causam vos respicere volo ad JESUM, *ne defatigemini*, ita ut à cœpto cursu desistatis, *animis* vestris *deficientes*. Millies sane mori præstat, quam in viam pristinam relabi, aut ex acie se subducere, cum adsit Salvator, qui fessis robur, qui mentibus refocillationem sufficiat.

Vers. IV. Nihil proinde est, quod existimetis, vos satis multa & acerba sustinuisse, nec posse aut debere vos ulteriora perferre. Nam *nondum ad sanguinem usque restitistis*, quod sane, si Ducem CHRISTUM sequi velitis, prout par est, facere debetis. Quæ hactenus sustinuistis, leviora sint, ac DEUS imbecillitatem vestram mitius tractavit. Graviora restant, adversus quæ animum vos confirmare oportet, ut ad mortem usque

usque resistatis, *contra peccatum* inhabitans & ad defectionem sollicitans, tanquam adversarium maximum perpetuo *pugnantes*. Id cum nondum à vobis factum sit, supereſt certamen, utile vobis & glorioſum, adhuc decertandum, in quo JESUS & Pater cœleſtis vobis aderit. *Hebr.* XII.

Vers. V. Numquid enim *obliti estis adhortationis* & consolationis insignis *illius*, quæ in Proverbiis Salomonis (III. 11.) extat, *quaque* æterna Patris Sapientia *vos tanquam filios* blande adhuc *alloquitur*: *Fili mi*, quisquis es, nullo excepto, qui me sequeris Ducem, Doctorem & Salvatorem, *ne parvi facias* institutionem castigationemve *Domini* DEI tui, *neque deficias* animo, aut tædio afficiaris, *quando ab eo redargueris*, sive verbis, sive factis, quum non ex indignatione sed commiseratione & dilectione id faciat. *consideratо ordine & auxilio Patris cœl. sub cruce*

Vers. VI. *Quemcunque enim diligit Dominus*, eum *castigat*, & quidem ut Pater Filium castigare solet, nec verbis tantum aut admonitionibus, sed verberibus quoque, ubi opus est, & filio salutare. *Verberat autem* Dominus non exosum, sed *omnem filium*, *quem* benevole *suscipit*, pro suo agnoscit, inque eo delectatur, cum castigationem ejusmodi, tanquam salutarem medicinam adhibeat, ne cum mundo perdito pereat. *universali.*

Vers. VII. Tantum igitur abest, ut castigationem à DEO immissam pro iræ signo habere debeatis, ut potius amoris argumentum inde colligatis. Vestrum igitur est, correptionem Domini admittere, promte suscipere & in magni beneficii loco habere. Sane, *si castigationem* ita suscipitis, & cum patientia toleratis ac *sustinetis DEUS* non hostis instar irruit in vos, ad vestrum perditionem, sed *accedit* & appropinquat *ad vos* animo paterno prorsus, & vos benigne tractat, ut filios. *Quis enim filius est, quem non castiget* aliquando *pater*, si vere sapiens sit & de salute filii sollicitus? Ita quoque nullus est DEI filius, quem non castiget pater cœleſtis. Hoc igitur

Hebr. XII. solatio vobis cedat, quod certi ex castigatione esse possitis, vos esse DEI filios.

Vers. VIII. Terrorem autem incutere merito vobis potest, quando immunes à castigatione paterna estis. Quare haud absre ex Proverbiis Salomonis, unde argumentatus hactenus sum, efficio, & à contrario ita arguo: Quicunque sine castigatione est, ille certum habet indicium, quod nothus sit, non filius. Hinc si subsumere & verba sacri scriptoris ad vos accommodare velim, recte ita pronunciavero: *Quod si vero castigationis expertes estis, cujus omnes* Filii DEI *participes facti sunt, utique spurii estis, & non filii* Patri similes, sed degeneres.

Vers. IX. *Deinde* (εἶτα) etiam ex hoc ipso dicto & loco Salomonis monemur nostri officii, quo animo, obsequio & patientia castigationem cœlestis Patris accipere debeamus. Nam *si Patres nostros carnales*, à quibus homines & secundum carnem tantum progeniti sumus, *castigatores* & institutores, *habuimus, & non* tantum patienter tulimus, sed etiam *reveriti sumus*, dum vel verbis vel verberibus nos erudirent ad utilitatem communis vitæ, eosque propterea non deseruimus, aut pro parentibus nostris agnoscere noluimus, quin potius sic interpretati sumus, quod bono animo facerent, quocunque modo nos tractarent: *nonne multo magis subjiciemus nos* obsequiose & permittemus totos *patri spirituum*, qui nos regeneravit ad spem vivam (1. Pet. I. 3.) ad vitam spiritualem & æternam, *ut vivamus*, & in ordine ad salutem utitur castigatione, tanquam salutari & necessaria nobis medicina?

Vers. X. Recte me ita colligere, non inficias ibitis, sed ultro affirmabitis & approbabitis, si, ut par est, ponderaveritis. Nam, ut hoc vobis dilucidius nonnihil exponam, *illi quidem*, patres nostri carnales, *ad paucos* duntaxat *dies* fugitivi hujus seculi & caducæ brevisque vitæ, *juxta id quod ipsis videbatur*, *instituebant* nos in rebus fluxis & temporalibus, quæ adrem familiarem

miliarem parandam augendamve spectant, non tamen semper consecuti sunt, quod intenderunt : *hic vero*, spiritualis pater, castigat nos & instruit *ad id*, *quod* vere & semper *conducit*, nimirum bonum spirituale & æternum, *ut participes reddamur sanctitatis ejus*, peccato per crucem magis magisque mortificato in sanctitate vitæ ambulemus, & perficiamus sanctitatem in timore DEI, (2. Cor. VII. 1.) eumque aliquando videamus, & sanctissimis bonis æternum fruamur, ad quæ nemo non sanctus sive profanus admittitur. *Hebr.* XII.

Vers. XI. Quapropter non præsens duntaxat tempus, sed & futurum seculum, prout fidei ratio postulat, respicere debetis. Id si feceritis, facile ipsi obviam ire poteritis suggestioni carnis & tacitæ objectioni, quasi ex castigationibus nihil gaudii commodive provenire queat. *Equidem omnis castigatio* divina *ad præsens* tempus, quo in carne sentitur, dolorem infert, & *non videtur res esse gaudii*, *sed tristitiæ* potius : *tandem vero* ipso eventu, secundum promissionem divinam infallibilem, quæ in calamitatibus memori præsentique mente tenenda est, ista castigatio *fructum pacificum* & salutarem *justitiæ* & sanctitatis *reddit iis* omnibus, *qui per eam* in Gymnasiis calamitatum *exercitati* sunt, instar peritorum athletarum, vel militum. Ita experiuntur demum, DEUM Patrem esse, & cum cædit, & cum blanditur, seque pacem habuisse cum DEO in Mediis afflictionibus, in quibus adeo lætari potius quam tristari debuissent. (Vid. Rom. V. 2. seqq. Jac. I. 2. ss.) *Futura igitur bona respicienda.*

Vers. XII. *Propterea* nolite dubitare de gratia & benevolentia DEI, quando ipsi placet vos castigare vestro bono, vel animis cadere, & desperare; sed contra potius, si quos conspexeritis in certamine & stadio Christianismi remissiores, eos vos, qui firmiores estis, & per gratiam DEI statis & strenue pugnatis, excitate, *remissas manus* in pugna fidei & ad defectionem inclinantes, ac *soluta* propter lassitudinem *genua* & jam- *Infirmi confirmandi.*

Hebr. XII. jam labantia, *dirigite* & in rectum ordinem cogite, memores moniti Jesajani XXXV. 3. ut imbecilles erigantur, in acie stent, ac bonum certamen decertent, cursum perficiant, fidemque servent, quo coronam justitiæ à Domino accipiant.

lapsi erigendi & ducendi.

Vers. XIII. Vos ipsi quoque omnia offendicula removete, & à recta via non recedite, sed *rectas* expeditasque *facite orbitas pedibus vestris*, (Prov. IV. 26.) præeundo aliis, cum salutari institutione ac commonstratione viæ ad cœlum, tum exemplo, *ne, claudum quod est* & vacillans inter vos, sive in fide, sive in moribus, & subducens se à cœtibus sacris, atque in viam erroneam inclinans, impedimentis è via non sublatis, divellatur, dilaceretur & *luxetur* amplius, *sed potius sanetur* & statim restituatur.

Pax & sanctimonia sectanda.

Vers. XIV. Præterea, ut specialia quoque monita addam, hoc tempore cumprimis observatu vobis necessaria, *pacem persequimini* & sectamini omni studio, *cum omnibus* hominibus (Ps. XXXIII. 15. Rom. XII. 18.) non vestris tantum fratribus, sed infidelibus quoque: nolite vexatoribus vestris occasionem dare convitiis, vel aliis quibuscunque rebus, ut contra vos irritentur & exacerbentur, hostilemque in modum vos impugnent; nec calumniis & persecutionibus eorum vos exacerbari sinatis, quin potius mansuetudine & patientia superate illorum in vos odia & machinationes, ut desinant vos innocentes persequi. Neque propter Judaicos ritus, in quibus multi peculiarem sanctitatem collocant, quibusque assueti addictique adhuc nimium estis, ita à prima ætate instituti, pacem rumpite cum gentilibus conversis, qui eos negligunt, & Christiana utuntur libertate, cum Christus rupta cæremoniarum macerie, pacem fecerit inter utrosque, (Ephes. II. 14. ff.) veram autem *illam sanctificationem* persequimini, *sine qua nemo videre Dominum*, DEUM trinunum & inprimis JESUM CHRISTUM, *poterit* in futura illa beata vita. Qualem autem intelligam sancti-

sanctificationem, haud obscurum vobis erit, si, quæ tradidi, pia secretaque mentis æstimatione pensiteris, nimirum eam, quâ vera fide per Spiritum S. sanctificati in novitate & sanctitate vitæ ambuletis, ac membra vestra sistatis serva justitiæ εἰς ἁγιασμὸν, (Rom. VI. 19. 22.) ac perficere studeatis sanctitatem in timore DEI, 2. Cor. VII. 1. *Hebr.* XII.

Vers. XV. Id vero sic per Spiritus Sancti gratiam perficietis, si omnes atque singuli, præsertim autem illi, quibus ἐπισκοπὴ sive cura aliorum commissa est, diligenter attendatis atque *prospiciatis*, *ne quis* eorum, qui sacris Christianorum cœtibus se associavêre, *gratiam* salutarem, vocantem justificantem in Christo, sanctificantem insuper, de qua modo dixi, *negligat*, frustra accipat, (2. Cor. VI. 1.) vel rursus ab ea recedat, & ita sua culpa per apostasiam pereat. Eam ob causam vigilare, castigare, emendare, corrigere, & quacunque fieri possit ratione, tepidos accendere, labentes & claudicantes erigere atque servare, & in id laborare, id præcavere oportet, *ne qua radix amarulentiæ*, felle & absinthio pravæ doctrinæ aut impiæ vitæ plena, in ullo vestrûm, *sursum pullulans* ac fruticans, *turbas suscitet*, *& per eam multi polluantur*, ac, veluti contagio latius serpente, coinquinentur, quemadmodum jam olim Moses Deut. XXIX. 18. populum Israëliticum graviter in hanc sententiam admonuit, cujus admonitionem ad animum vobis revocare hic volui, ut tanto studiosius malam radicem concupiscentiarum eradicetis, econtra vero fidem radicatam habeatis, quæ sursum pullulat & fructus sanctos producit, unde alii utilitatem percipiunt insignem. *Gratia non negligenda.*

Vers. XVI. Et quia fornicationes profanitatesque cum sanctificatione, ad cujus studium vos sum cohortatus, tanto magis pugnant & periculosiores sunt, quanto minus vulgo attenduntur atque cavenrur, nominatim prospicere vos volo, *ne quis* sit inter vos, vestroque cœtu, qui non nisi sanctorum esse *Scortatio & profanitas fugienda.*

Hebr. XII. debet, vel *scortator*, vagis libidinibus extra legitimum conjugium indulgens, (1. Cor. V. 9. 10. 11. VI. 9. 11. 15. ff.) cum non tantum in decalogo prohibita ista impuritas, sed repetita quoque prohibitio sit in consilio Hierosolymitano, (Actor. XV. 29.) econtra vero hæc DEI voluntas seria, ut sanctitati studeatis, abstinentes vos ab omni scortatione, scientesque quique vestrûm suum vas cum sanctimonia & honestate possidere, non cum cupiditatis libidine, ut gentes DEUM ignorantes: (1. Thess. IV. 3. ff.) *vel profanus*, carnalis & mundanus, Numinis Religionisque contemtor, & cui venter DEUS est (Phil. III. 19.) *sicut Esavus* fuit, *qui*, ut nostis, *pro uno cibo*, eoque vili & obvio, (Genes. XXV.) *addixit*, permutavit atque vendidit *jura*, *quæ tanquam primogenitus habebat*, primatum sc. in familia, sive regnum atque sacerdotium, ac duplicem portionem, sicque, quod omnium est maximum, benedictionem promissionemque de CHRISTO, cujus typus erat primogenitura, & alteram, eamque præstantissimam portionem בעולם הבא in futura vita, quam itidem designabat duplex portio, irreligiose sprevit & malitiose repudiavit. Vos Hebræi, ad Christum conversi, possidetis jam illud primogenituræ jus, & benedictionem spiritualem in cœlestibus bonis (Eph. I. 3.) cavete vobis, ne vilipendatis tanta beneficia, cum voluptatibus seculi vilissimis commutetis, fame aut alia quapiam re pressi, cedatis, profanam mentem induatis, ac eadem majoravе mala vobis accersatis, ac Esavus sibi attraxit.

quæ in N. T. gravius punitur quam in V. T.

Vers. XVII. *Scitis enim*, & meminisse debetis, quò vobis sit exemplo, *quod etiam postea*, *cum vellet jure hæreditario consequi benedictionem* jurium primogenituræ, ac eo nomine, intellecta Patris voluntate, rus peteret ad venandum ferinam, eandemque præpararet, (Genes. XXVII.) *reprobatus* & repudiatus *fuerit* à Patre, qui divina providentia & profana hujus filii impietate factum deinceps cognoverat, ut Jacobus illius loco

loco benedictionem & prærogativam auferret. *Nam pœnitentiæ locum non reperit* apud Patrem, cum is in animum sibi revocasset vaticinum de gemellis, nondum in lucem editis, acceptum, *tametsi eam* & benedictionem & immutationem paternæ voluntatis, *cum lachrymis requisiverit.* Pari ratione si vos neglexeritis & reprobaveritis tantam salutem, quæ oblata & collata vobis est in Christo JESU, & Spiritui S. restiteritis, à Patre cœlesti merito reprobabimini, nec pœnitentiæ locus amplius erit vobis apud ipsum, quando pœnam justè repetet gratiæ malitiosè contemtæ, etiamsi cum lachrymis clamaveritis: Domine, Domine, miserere nostrûm. *Hebr.* XII.

Vers. XVIII. Quanto enim majus est beneficium Novi Testamenti, quam veteris, tanto majus & justius quoque erit supplicium, quod manet istius contemtores, qui eò minus quoque sunt excusabiles, quo facilior aditus iis ad ineffabilia & cœlestia bona patet. *Non enim accessistis*, quando Christo nomen dedistis, & admissi estis in ejus communionem sive regnum, quemadmodum olim majores vestri, *ad* Sinai, *montem* illum terrenum *s. palpabilem*, i. e. tactu magis quam visu adeundum, propter caliginem, quâ obductus erat, *& ardentem ignem, & caliginem, & tenebras & procellam*, flammeos atrosque vortices eructantem, ut terrifica ubique species esset. *quia majora hic quam ibi beneficia facilior que hic aditus, quàm ibi.*

Vers. XIX. *Tubæque sonitum*, non minus terribilem, *& vocem verborum*, quibus in aëre formatis Deus legem elocutus est, *quam qui audiverunt*, cum excusatione infirmitatis & terroris petierunt & *deprecati sunt*, *ne sibi* plura *verba* à Deo *adderentur.*

Vers. XX. *Non enim ferebant*, nec ferre absque terrore poterant, cum ea, quæ retulimus, tum quoque inprimis *illud*, *quod* prius à DEO per Mosen publice ac severe *præcipiebatur*:

Hebr. XII. *batur : etiam bestia, si montem tetigerit*, id non impune feret, sed *lapidetur, aut jaculo configatur.*

Vers. XXI. *Et (adeo terribile fuit* totum *illud spectaculum) ipse Moses*, de omnibus licet præmonitus & Dei favore singulari satis tutus, horrore speciei terrificæ expauefactus *dixit*, post iteratos quadraginta dies, quibus apud Deum fuit, & tabulas legis aliasque ordinationes accepit, Deut. IX. 19. *perterrefactus sum & tremebundus.* Hæc omnia graviſſimas pœnas indicabant, quæ manerent contemtores & transgressores legis. Si quid flamma penetrantius, si quid tenebris horribilius, si quid procella vehementius, si quid tonitrubus & fulguribus terribilius, id omne exspectandum erat illis, qui ad montem Sinai accesserunt.

Vers. XXII. Ad hujusmodi sensibile & tremendum spectaculum in monte Sinai non accessistis, quando in fœdus gratiæ, hoc Novi Test. tempore, admissi estis; *sed accessistis* per fidem divinitus vobis concessam, *ad* spiritualem *montem Sion*, spiritu contrectabilem, non manibus, illustrem & conspicuum, non tectum opertumve, *ad civitatem Dei viventis, Hierosolymam supracœlestem*, quæ de cœlo descendit, supracœlestia bona habet, gratiam, vitam, pacem, lætitiam, justitiam &c. *& myriades Angelorum*, qui vestri sunt conservi, cives ejusdem civitatis, & ministri Dei, ad salutem vestram missi, (Hebr. I. ℣. ult.)

Vers. XXIII. *Ad conventum* universalem, undique confluentem & collectum ex omnibus gentibus & nationibus, secundum prædictiones vatum (Jes. II. 2. 3.) celebrem ac lætum, non terribilem, qualis erat panegyris illa Sinaitica, *& ad Ecclesiam primogenitorum, in cœlis descriptorum*, ut nulla in parte inferiores sitis Israëlitis quondam à DEO in peculium assumtis, quos suos primogenitos appellavit (Exod. IV. 22.) sibique sanctificavit, (Ex. XIII. 13.) & in album suum retulit,

(Num.

(Num. I. 16. 18. III. 40. 47.) imo etiam illis superiores, quia pro- Hebr. XII.
genuit vos Pater luminum verbo veritatis Evangelicæ, ut essetis quædam quasi primitiæ suarum creaturarum (Jac. I. 18.) & JESUS CHRISTUS fecit vos Reges & Sacerdotes coram DEO & Patre suo, (Apoc. I. 7. V. 10. 1. Pet. II. 9.) Spiritus S. denique vos sanctificavit, illuminavit, renovavit & obsignavit, ut certi sitis, vos esse filios DEI charissimos, & pertinere ad Ecclesiam Apostolicam, Martyres aliosque, qui primi crediderunt, nuncque cum Christo regnant & triumphant in cœlis, ubi jam olim conscripti erant, horum estis συμπολῖται & DEI familiares, (Eph. II. 19.) adeoque lætari potestis, quod in album DEI relati ac cives sitis Reipubl. cœlestis (Luc. X. 20. Phil. IV. 3. Apoc. XIII. 8. XVII. 8.) unde maxima bona & privilegia habetis, & ampliora accipietis (Phil. III. 20.) à Christo brabevta, & Patre vestro: nam accessistis *ad judicem omnium, DEUM*, non metuendum vobis, quia placatus & reconciliatus est, & reddet affligentibus vos afflictionem, vobis autem, qui affligimini, requiem, (2. Thess. I. 6. 7.) *& ad spiritus justorum perfectorum*, qui in sinu Abrahæ sunt, gloria & aspectu DEI fruuntur, sive, uti vos vulgo loqui soletis, תחת כסא הכבוד sub throno gloriæ in horto Eden s. paradiso degunt; cum his beatis animabus communionem habetis, in spiritu, spiritus primitias possidentes, & spe jam estis beati (Rom. XIII. 23. 24.) lætique exspectare potestis liberationem corporis, vestri, certi interea, ea, quæ hoc tempore patienda sunt, nequaquam esse paria gloriæ aliquando manifestandæ, (ibid. ℣. 18.)

Vers. XXIV. *Et ad Novi Testamenti Mediatorem, JESUM*, qui non terretur, nec terret, sicut de Veteris Test. Mediatore, Mose, paulo ante dixi, sed potius territas conscientias erigit, Spiritu consolationis & lætitiæ suffulcit; per quem fide aditum habemus liberum ad gratiam istam maximam, in qua stamus, & gloriamur sub spe divinæ gloriæ, etiam in calamitatibus &c.

Hebr. XII. (Rom. V. 2. 3.) *& ad sanguinem* ejus, *aspersionis*, s. quo aspersi mundantur à peccatis, non terrentur commemoratione delictorum, ceu in veteri fœdere fiebat, cum non sit hircorum vitulorumque sanguis, nec hominis tantum alicujus justi, qualis fuit omnium primi illius martyris, *quique* proinde etiam multo longeque *meliora loquitur*, *quam Abelis* sanguis, nimirum non ultionem & mortem, sed misericordiam, peccatorum remissionem, vitam & salutem.

Vers. XXV. *Videte* igitur etiam atque etiam, quanta sit præstantia Novi Testamenti ejusque bonorum, quibus frui vobis contigit, ac tanto magis cavete, *ne repudietis* ex contemtu, negligentia, aut malitia, *eum*, *qui* nunc in N. T. locutus est & adhuc *loquitur* ad vos, per ministerium & spiritum suum (Heb. I. 1. II. 1. ff.) *Nam si illi*, Patres & Majores vestri, qui ad montem Sinai accesserunt, non effugerunt pœnas, sed severe multisque modis puniti sunt. *quando recusarunt* cum contemtu *loquentem* per oraculum divinitus acceptum, Mosen, *super terra*, de rebus terrenis, ceremonialibus & forensibus, atque justificationibus carnis, ac sæpissime contra eum rebellarunt, quemadmodum in Numeris enumeratur (Cap. XI. XII. XIV. XVI.) *multo magis nos* non effugiemus pœnas, sed graviores etiam dabimus, *si ei*, *qui de cœlis*, unde originem trahit, Joh. III. 31. à Patre cœlesti ab æterno genitus, & Dominus de cœlo est, (1. Cor. XV. 47.) propria autoritate cœlestia *oracula* nobis *edit*, *adversati fuerimus*, Deut. 18, 18.

Vers. XXVI. Cujus (Salvatoris nostri & Domini, J.C.) *vox terram commovit tunc*, cum legem inter tonitrua, faces, tubarumque sonitus ipse ederet & proloqueretur, ut terra inde concussa atque commota fuerit; (Exod. XIX. 18. XX. Psal. LXVIII. 8. ff. Ephes. IV. 8. ff.) *nunc vero*, idem Redemptor noster in præsens, Novi Test. tempore, longe majus quid apud Prophetam Haggæum II. 8. *denunciavit*, *dicens*, (ut summatim

tim verba ejus repetam & ad institutum accommodem) *adhuc* Hebr. XII.
una vice, vel *semel ego commoveo non solum terram*, ut antea feci, *sed etiam cælum*, ita ut transeant, & cum ipsis regna mundi Antichristiani destruantur atque pereant.

Vers. XXVII. *Illud vero*, quod Dominus in allegato Prophetæ loco dicit, *adhuc semel*, *declarat* ac manifeste infert *eorum*, *quæ commovenda sunt*, instabilitatem, transpositionem, s. *transmutationem*, *utpote talium*, *quæ* facta ab ipso sunt, & destrui quoque iterum ab eodem possunt, ac durationem illorum, quæ his opponuntur, sive *ut maneant* stabilia perpetuo, *quæ non commoventur* & concutiuntur, nimirum regnum CHRISTI, novum cœlum, novaque terra. Apoc. XXI. 1. ff.

Vers. XXVIII. *Quapropter cum* jam in N. T. habeamus bona immensa in regno CHRISTI, & hoc ipsum *regnum* cum beneficiis omnibus immobile & inconcussum s. æternum *accipiamus* magis magisque, perventuri mox ad plenam perceptionem, *gratiam agamus* habeamusque DEO & Domino supremo, CHRISTO, Redemptori & Benefactori nostro, non verbalem tantum sed realem quoque, telem nimirum, *per quam serviamus DEO* soli, eumque colamus, non ut nobis videtur, sed ita *ut ei placitum fuerit*, ex ipsius voluntate & præscripto (Rom. XII. 1. 2.) vera, operosa constantique fide, *cum pudore*, veneratione, reverentiaque, quâ fas est tantum Dominum prosequi, & *religione*, agnoscentes hinc ejus majestatem & bonitatem, illinc ejus potentiam & severitatem, qua utitur in rebelles.

Vers. XXIX. *Namque DEus noster* & Dominus, JESUS CHRISTUS, in quem credimus, quemque colimus, non est tantum gratia plenus & clementissimus, sed etiam simul justus & vindex severus gratiæ neglectæ, ideoque non minus in V. T. dicitur *ignis consumens* Deut. IV. 24. ac talem se probabit Christianis, ejus iram provocantibus, qualem minatus est, se præbiturum Israëlitis, imo etiam severiorem, quo majora sunt be-

Hebr. XIII. neficia in N. Teſtam. collata hominibus, quam fuerunt in Vet. Teſtamento.

CAP. XIII. *Verſ.* I. Quali fide, conſtantia & obſervantia CHRISTO adhærere debeatis, hactenus vobis nonnihil prolixius tradidi; nunc ſtrictius breviusque monebo, quomodo erga homines, qui vel fratres, vel Duces veſtri ſunt, gerere vos debeatis. Poſt Fidem maxime commendanda Charitas eſt, per quam fides ſeſe exſerit erga DEUM pariter ac proximum. Merito igitur inprimis charitatem, nec communem illam tantum, quâ complecti omnes homines fas eſt, ſed Chriſtianam, in mentem memoriamque vobis revoco. Fratres in Chriſto omnes facti ſunt, qui in Chriſtum credunt, ſive Judæi fuerint, ſive Gentiles. Spirituale hoc vinculum nequaquam rum pendum ſed ſartum tectumque conſervandum eſt, inter afflictiones & perſecutiones graviſſimas. Hanc igitur generalem regulam omnibus præſcribo: *Fraterna charitas* non ſit tantum ad tempus aliquod inter vos, ſed *maneat* duretque perpetuo, quâ vos invicem ſuſtentetis & ſublevetis.

CAP. XIII *Fidelis hominis officia* 1. *erga proximum & fratres,* 1. φιλαδελφία.

Verſ. II. Nec amore fraterno eos ſolum complectimini, qui aſſidue vobiſcum vivunt, ſed illos quoque, qui aliunde ad vos veniunt, ſedibus ſuis ejecti, fortunisque ſpoliati. Unde porro ſic moneo atque mando: *hoſpitalitatem oblivioni ne mandate*, ſed eam potius quacunque occaſione erga quoscunque exercete, ſive diaconi ſitis, quibus præcipue hæc cura eſt demandata, ſive non. Ad quam movere vos vel hoc præcipue debet, quod niſi hoſpitales ſitis, ingens incommodum incurrere poteſtis, negando hoſpitium juſtis viris, quibus ſine culpa negari nequit: ſicut contra ſi hoſpitales fueritis, hoc inde emolumentum haurire poteſtis, ut viris ſanctis & juſtis profitis; quod nunquam ſine magna remuneratione erit, quemadmodum exemplis è Sacra Scriptura depromptis probatur. *Per hanc enim* hoſpitalitatem *nonnulli inſcii Angelos hoſpitio exceperunt*, ut

2. *Hoſpitalitas.*

ut Abrahamus & Lothus, Geneſ. XVIII. & XIX. & magno beneficio affecti fuerunt, ab iis benedictionem & liberationem acceperunt. Non minus autem hoſpitalis ac liberalis hodie adhuc beneficium divinum attrahit ignarus, quando Chriſtus ſibi ipſi acceptum refert, quod minimo ex fratribus tribuitur, Matth. XXV. 30. *Hebr.* XIII.

Verſ. III. Si qui vero in vincula conjecti adire vos & hoſpitio excipi nequeant, non tamen propterea eos negligere debetis: *memores* potius *eſtote vinctorum*, non tantum in precibus veſtris, aut affectu, ſed ipſo quoque effectu ſeu opere, proſpicientes illis de cibo, potu aliisque neceſſariis rebus, *quaſi ſimul vincti*, cum ſitis membra ejusdem corporis, eademque ſors vos maneat, & voluntate adverſariorum communium jam pro vinctis habeamini; illorum igitur captivorum rationem ita habeatis, ac veſtri ipſius: neque talium duntaxat recordari fas eſt, ſed generatim etiam *afflictorum* ac male habentium omnium & laborantium quocunque mali genere, qui & *ipſi in corpore ſitis* mortali, Rom. 8, 11. terreſtri, iisdem obnoxio malis. 3. *Compaſſio.*

Verſ. IV. Ad charitatem, hoſpitalitatem & συμπάθειαν exercendam, inſtitutum quoque à DEO eſt conjugium, cujus vinculum indiſſolubile eſſe, ac propterea fidelis ac infideli, non quacunque de cauſa ſeparare ſe debet & turpe divortium committere, (Matth. XIX. 3. ſſ. 1. Cor. VII. 12. ſſ.) neque deſerenda conjux propter pericula & perſecutiones, aut alia incommoda, modo fides ab utraque parte ſancte ſervetur. Eam ob rem præceptum Domini hoc habetote & obſervatote: *Honorabile*, pretioſum ac bona æſtimatione dignum ſit & habeatur *conjugium*, ſecundum inſtitutionem & jus divinum atque humanum, *in omnibus*, cujuscunque ſint ſtatus, conditionis, ſexus & ordinis in Eccleſia: *& torus* conjugalis uſusque conjugii *impollutus* ſit, nec ullo modo contaminetur, aut 4. *Fidelitas & caſtitas in matrim.*

Hebr. XIII. impurus & carnalis habeatur (1. Tim. IV. 3.) ullivo interdicatur ; *scortatores vero & adulteros* quoscunque , & quocunque modo polluentes se , *judicabit DEUS*,& graviſſimis pœnis afficiet. Quare ſcortationem & adulterium omnibus interdico, conjugio autem nemini.

5. αὐτάρκεια *Verſ.* V. Ac ne egeſtatem inopiamve prætexatis, quando benefaciendum proximo & charitas exercenda eſt , eum in modum , quo dixi hactenus fieri debere , cum revera avaritiæ radix amara in corde reſideat , etiam atque etiam monitos vos velim , ut fugiatis amorem auri argentique , & omnium rerum , quæ pecunia æſtimari poſſint. Sint *mores* veſtri *alieni ab avaritia , ita ut contenti ſitis præſentibus* , quæ DEUS ſubminiſtravit , non reſpicientes ſive ad præterita , quæ amiſeritis , ſive ad futura , quia incertum eſt , an aſſequi ea , & , ſi aſſequamini , an uti iis poſſitis. Sufficiat DEUM habere omni ſufficientem , & niti ejus promiſſione benigna. Ipſe *enim* quod olim Joſuæ , capiti Iſraëlitarum & univerſo adeo populo *dixit* , (Joſ. I. 5.) *plane non* , ac nullo prorſus modo , *te deſeruero* , *nec te dereliquero* , id dicit hodienum omnibus atque ſingulis , in cœleſtem patriam contendentibus , ac multa mala , in itinere viaque ſtricta & variis afflictionibus obſeſſa (θλῖψις Matth. VII. 14.) ſuſtinentibus Chriſtianis.

6. Confidentia. *Verſ.* VI. *Adeo ut nos* , iſta promiſſione ſubnixi , *confidenti* in omnibus neceſſitatibus , cum præſentibus , tum futuris , *animo* eſſe & *dicere* quique cum Meſſia , pro ſe & pro corpore ſuo loquente , (Pſal. CXVIII. 6.) queamus : *Dominus mihi eſt auxiliator* perpetuò , & in omnibus , adeoque & vitæ neceſſitatibus ; *ac* propterea *nihil* eſt , quod *metuam : quid mihi facturus eſt homo* imbecillis & impotens , ſi DEUM habuero omnipotentem ?

7. Conſtantia in do- *Verſ.* VII. Talibus promiſſis ſubinde obviis , cum freti eſſe poſſitis , inprimis vos cohortor , ut fidem ſemel traditam firmi-

firmiter constanterque teneatis, proque ea certetis (Ep. Jud. v. 3.) Eam in rem *memores estote Ducum* & antecessorum *vestrorum*, non tantum eorum, qui sub Vet. Testamento vixerunt, & quorum satis prolixum catalogum paulo ante (Cap. XI.) recensui, sed cumprimis quoque horum, qui in Novo Test. rectores & primarii duces inter fratres fuerunt, (Act. XV. 22.) adeoque instructi potestate docendi, hortandi, &c. quales Apostolos & Evangelistas haud dubie agnoscitis, (Hebr. II. 3.) *qui locuti sunt vobis verbum DEI*, non minus ac Prophetæ in V. Test. sive Evangelium JESU Christi: *quorum* attenta consideratione semel iterumque, imò nunquam non, *intuentes exitum conversationis*, quanta cum constantia fidei perseveraverint usque ad vitæ finem, eandemque conversatione sancta ornaverint, *imitamini fidem*, & in ea usque ad mortem permanete, ut similiter beatum ex hac vita exitum habeatis, per Salvatorem unicum, JES. C. cujus gratia salvati sunt Patres in V. Test. æque ac nos in N. Test. (Act. XV. 11.) *Hebr. XIII. Etrina à fidelibus Doctoribus tradita.*

Vers. VIII. Non enim in alio quoquam salus est, neque aliud nomen sub cœlo datum, in quo nos oporteat salvari, præter JESUM Christum (Act. IV. 12.) Aliud fundamentum salutis nemo ponere potest, aut debet præter illud, quod positum est à DEO ipso, idque est & manet semper JESUS Christus (2. Cor. III. 11.) Huc igitur vos revoco, & ut immoto huic fundamento petræque salutis immutabili vestram superædificetis fidem, prout fecêre antecessores & Duces vestri in Veteri pariter ac N. T. vos monere non desino atque dico: *Jesus Christus* idem fuit *heri*, sub Veteri Testamento ac præteritis seculis, in quem Patres sperarunt, & in quo salvati sunt, & est idem *hodie* sub Novo Test. nihil prorsus mutatus ab eo, qui fuit in V. Test. nec alius prædicatus ab Evangelistis & Apostolis, nisi quod in assumpta carne apparuerit, & Redemtionis opus, tantopere à veteribus desideratum, *Ejus ratio.*

Hebr. XIII. tum, impleverit, (Gal. IV. 4.) eritque idem *in* futura secula & *æternitates*. Quæ omnia nomen יהוה Jehovah declarat, atque immutabilitatem, æternitatem aliaque divina attributa infert. Hoc cum JESU CHRISTO competat, facile intelligitis, eum verum DEUM esse, redimere atque salvare vos & debuisse, secundum Prophetarum oracula, & potuisse, & præstitisse, adeoque esse mediatorem unicum, Salvatorem, Prophetam & Regem, cui merito fideli obsequio constanter adhærere fas sit.

Vitandæ variæ & peregrinæ Doctrinæ Judaizantiū; quia earum observatio

1. *inutilis*,

Vers. IX. Quare cum doctrina Christiana neque nova sit, neque diversa ab antiquissima Patriarcharum & Prophetarum, eam invariatam & immutabilem retinere, *doctrinis autem variis*, non solidis, nec fundamento JESU CHRISTO, aut vatum & Apostolorum verbo superstructis, (Ephes. II. 20.) & *peregrinis*, quæ Scripturæ sunt incognitæ, forinsecus advectæ, sive ex Judaismo degenere, sive Ethnicismo, quantumvis sapientiæ speciem habeant, *non circumferri debetis*, instar navium à ventis variis agitarum, (Ephes. IV. 14.) ut pro corpore umbram captetis. *Bonum enim* quam maxime & necesse est, *gratia* & veritate per Christum facta, eaque per fidem, quæ hypostasis est, apprehensa, (Joh. I. 17.) *stabiliri cor*, atque ita firmari, ne fluctuet & ad inanes traditiones aut inutiles ritus dilabatur, *non cibis*, sacrificiis, & aliis id genus infirmis egenisque elementis (Gal. IV. 9.) *ex quibus*, in se consideratis, *nihil commodi perceperunt* illis inhærentes atque unice quasi eis viventes & in eisdem per totam vitam *ambulantes*, sub V. T. ceu prolixe hactenus demonstravi. Multo minus nunc in N. T. aliquid utilitatis inde hauriri aut animus constabiliri vel tranquillari potest, quando sepeliri cum honore Synagoga Judaica & vigere Ecclesia Christiana debet, quæ melioribus & æternis bonis gaudet.

2. *perniciosa*,

Vers. X. Neque inutilis tantum nunc observatio legis ritualis est, sed etiam etiam pernicioſa, cum detrahatur gratiæ, quicquid

quicquid legi tribuitur, & sacrificia, ciborum discrimina, alia- Hebr. XIII.
que ceremonialia, non possint cum doctrina Christiana consistere. *Habemus altare* in N. T. lautioribus sacrificiis & cibis instructum, quam in V. T. habuerunt majores nostri, ad quod accedere omnibus Christianis, tanquam spiritualibus Sacerdotibus, licet; *ex quo* tamen *comedendi potestatem non habent, qui tabernaculo* adhuc *serviunt*, & tribus veteribus hærent, & cultum ceremonialem observatum volunt: hi enim negant Christum advenisse & gratiam attulisse, adeoque gratia beneficiisque à Christo partis excidunt. Gal. V. 4.

Vers. XI. Atque hoc ipsum sub veteri quoque Testam. præfiguratum fuit, cultum ceremonialem sc. esse abolendum, idque eo sacrificiorum genere, quod præcipuum habebatur, & extra castra *ac* tabernaculum concremabatur. *Quorum enim animalium sanguis infertur in Sancta* Sanctorum *per Principem Sacerdotem*, ut in solenni festo expiationis, ex divino præcepto, fieri debebat, Lev. XVI. 27. *eorum corpora comburuntur extra castra*, neque licuit illa vel intra tabernaculum cremare, vel comedere Sacerdotibus, aut ulli ex populo. Hoc ritu, ut alia taceam, quæ dici poterant, haud obscure significabatur, cultum ceremonialem, qui tabernaculo & deinceps Templo alioquin affixus erat, cessare aliquando debere, & abolenda esse, relictis Hierosolymis, ubi ignem focumque sacrificiis destinatum habebat per multa secula DEUS, Deut. XII. 6.-14. postquam sanguis Christi in Sanctum Sanctorum illatus fuerit. Omnes igitur victimæ, quarum corpora extra castra & Hierosolyma cremabantur, fuerunt typi sacrificii Christi, reliquis præstantiores, cum non solum mortem ejus sed etiam mortis locum & cultum alium instituendum, qui nulli loco affixus esset, præfigurarent. 3. *per Christum abrogata & impleta*,

Vers. XII. *Quapropter etiam JESUS, ut sanctificaret* & emundaret à peccatis *populum* non tantum Israëliticum, sed

Hebr. XIII. omnes omnino gentes nationesque, & in DEI servitium consecraret, *per proprium sanguinem* suum, & se ipsum (Heb. I. 3.) *extra portam* & urbem Hierosolymam, quæ, ut nostis, respondebat castris in deserto, *passus est*, & in ara crucis totum se DEO divinæque iræ, ceu flammæ ardenti, cremandum obtulit, ut frui beneficiis ipsius omnes possent, secus ac in V. T. res se habebat cum animalibus extra castra crematis, ceu ex paulo ante dictis liquet. Quæ igitur in umbra & typo veluti dispersa erant, ea in ipso corpore & antitypo in unum collecta & consummata sunt simul & semel, (Hebr. IX. 7. ff. X. 1. ff.) à Christo, Pontifice nostro extra Hierosolymam, ut nec ejus sacrificium expiatorium nec cultus ceremonialis repeti amplius debeat.

quam sequi per opprobria quoque par est.

Vers. XIII. Quandoquidem igitur Christus eum in finem, quem indicavimus, passus est extra portam, *ideo exeamus ad illum extra castra*, tabernaculum, templum & cultum Mosaicum, tum contemplatione fidei, gratiam & veritatem typis significatam apprehendentes, & incredulis Judæis aliisque, qui salutem & sanctitatem in externis atque ritibus ponunt, umbras relinquentes, tum imitatione exempli valde illustris, quod reliquit nobis, (1. Pet. II. 21.) *opprobrium ejus*, quod tanquam maledictus in cruce suspensus sit, ac quicquid improperii, blasphemiæ & calamitatis propter ipsum nobis infertur, patienter *ferentes*, ut conformes ei fiamus, in passione juxta ac glorificatione, (Rom. VIII. 17. 29.)

Vers. XIV. *Non enim habemus*, nec habere aut agnoscere debemus, qui Christum sectamur, *hic* in terris certam, stabilem & *manentem urbem*, sive illa sit Hierosolyma, ut Judaizantes sibi imaginantur, sive alia aliqua, Roma, vel Babel ad, quam alligati simus, *sed futuram*, spiritualem, cœlestem, terrena civitate Hierosolyma adumbratam, *quærimus* omni studio & desiderio, tanquam eam, quæ sola firma, constans & æterna est

est. Neque hoc peregrinum vobis videri debet, cum de Patriarchis idem suo superius loco (Cap. XI. 13. ff.) demonstraverim. Quare eo libentius deseramus Judaicam, & aliam quamvis Politiam, in qua externus duntaxat cultus absque spiritu & veritate viget, Christus autem non est, eaque, quæ sursum sunt, unice quæramus, (Col. III. 1. 2.) è nobis ipsis & mundo exeuntes. *Hebr.* XIII.

Vers. XV. Tametsi vero Judaicam civitatem & cultum deseramus, habemus tamen, quod agamus & offeramus, nimirum spirituale sacrificium, quod per CHRISTUM JESUM, ad quem exivimus, jugiter immolamus. *Per eum itaque* mente sursum elevata veraque fide offerimus & *offerre debemus DEO* super altari, quod habemus (vers. X.) sacra nostra victimasque non brutas, sed quæ his quoque significabantur, spirituales (1. Pet. II. 5.) ac nominatim *sacrificium laudis*, & gratiarum actionis (תודה) pro gratia inprimis per Christum nobis exhibita, non statis duntaxat temporibus, sed semper, per omnes vitæ nostræ dies, imo in æternum continuandum & decantandum Hallelujah, quod juge illud sacrificium in V. T. significavit, & aboleri, secundum Danielis prædictionem, debuit in N. T. (Dan. XII. 11.) *hoc est*, ut Hoseæ verbis, quibus hoc ipsum jamdudum declaravit, exprimam (Cap. XIV. 3.) vitulos, s. *fructum labiorum*, quem fides cordis producit per labia, confessionem sc. gratiarum actionem, & quicquid exspectari potest ab iis omnibus, *qui* profitentur & *celebrant nomen ejus*, pro tot tantisque muneribus à Patre cœlesti ex plenitudine Christi collatis. (Vid. Psal. LI. 18. ff. LXIX. 31. 32. CXVI. 10. 2. Cor. IV. 13. Rom. X. 9. 10.) *per quem offerimus spirituales hostias* 1. *laudis.*

Vers. XVI. Ita vero vacandum est sacrificiis evcharisticis, quæ DEO offeruntur, ut alia interim non prætermittantur, quibus juvatur proximus. Hinc moneo similiter, ut oblationes charitatis cum illis conjungatis. *Beneficentiæ autem* in 2. *beneficentiæ.*

Hebr. XIII. universum, ac speciatim *communicationis* cum pauperibus fratribus, de facultatibus vestris (Actor. II. 42. 44. 45. Rom. XII. 13.) *nolite oblivisci*, quasi sufficiat sacrificium laudis solum, hocque charitatis minime sit necessarium. Utrumque fides vera & viva ex se gignit, & DEUS requirit. *Talibus enim hostiis delectatur DEUS*, tanquam bonis & gratis fidei fructibus, non sacrificiis illis Leviticis, (Hos. VI. 6.)

3. obedientiæ erga doctores, *Vers.* XVII. Cumque etiam obsequium præstet sacrificio, (1. Sam. XI. 22.) ne hoc quidem negligi debet. Quare *obedite*, cedite, honoremque exhibere *& obsequimini Doctoribus* & Doctoribus *vestris*, qui sive docendo, sive gubernando, sive alia ratione antecedunt, in omnibus, quæ ex verbo DEI & in nomine Domini dicunt atque faciunt. *Ipsi enim*, bonorum instar pastorum, aut vigilum in speculis constitutorum, dies noctesque solliciti sunt vestri causa, & *vigilant* non pro corporibus tantum, & facultatibus, sed, quod amplius est, *pro animabus vestris*, curando, ne quid earum saluti desit, aut noceat, *tanquam rationem reddituri* DEO, de se pariter atque vobis; (Ezech. III. 17. ff.) quorum onus gravissimum aliqua ex parte levabitis, si morigeros vos & obtemperantes præbueritis, *ut illud*, quod faciunt, & facere pro muneris ratione debent, *cum gaudio* & alacritate potius *faciant*, si fideant, labores & vigilias suas pro vobis non sine fructu esse; omnibus autem modis cavete, *ne gementes* atque dolentes officii partibus fungi cogantur, si dictis monitisque ipsorum audientes non fueritis; nam hoc non *inutile* tantum *vobis* futurum esset, sed etiam noxium & damnosum. DEUS quippe eorum gemitus exaudiet, & vos gravissime puniet.

ejus ratio.

4. precum *Vers.* XVIII. Quapropter ut pœnas temporales & æternas effugiatis, & obtemperate Rectoribus vestris, & precibus eos juvate. Quod ego quoque pro me & aliis, qui salutem vestram curant, à vobis expeto. *Orate pro nobis*, & nostros labores,

bores, curas, vigiliasque DEO precibus ardentibus & assiduis commendate; siquidem videmur & nos annumerandi inter eos, qui bene præsunt. *Confidimus enim* certe, ego & Timotheus, & si qui præterea sunt, qui invigilant vestræ saluti, *quod bene nobis conscii sumus, in omnibus* rationibus & negotiis, atque inter omnes homines *bene*, candide & sincere *conversari* & gerere nos *cupientes* serio (2. Cor. I. 11. 12.) atque adeo de exauditione nostrarum precum non dubitamus; *Hebr.* XIII.

Vers. XIX. *Ex abundanti tamen* quasi vos hortor atque *rogo, ut id faciatis*, & vestras quoque preces nostris addatis, *quò celerius vobis restituar* atque reddar.

Vers. XX. Cæterum ego etiam vicissim interea precabor indefesso studio pro vobis, & precibus hîc finiam, ut *DEUS pacis*, per Messiam, Pacis Principem, instauratorem & Mediatorem, reconciliatus (Jes. IX. 6. Coloss. I. 19. 20.) & qui fideles pacis, omniumque, quæ sub pacis nomine continentur, bonorum participes reddere & perficere magis magisque vult, (Rom. V. 1. ss.) ac eo nomine *reduxit* sursumque evocavit *è mortuis Pastorem illum ovium maximum* & Œcumenicum, *per sanguinem Testamenti æterni*, *Dominum nostrum JESUM*, quemadmodum hactenus copiose & solide demonstravi, qui æterna redemtione inventa, redivivus cœlum ingressus est & interpellat pro nobis, facitque ut omnes promissiones & præces in ipso sint ναὶ καὶ ἀμήν. *Votum Apostoli pro confirmatione Hebræorum.*

Vers. XXI. Ut, inquam, ille DEUS clemens & omnipotentes magis magisque *vos* subinde *perficiat*, in unum velut corpus coaptet, in concinnum ordinem concordiamque redigat, ut unum sitis, dicatis, credaris & faciatis, ne quis deserat Christianam religionem ac deficiat, sed consistat in hypostasi fidei, & sanctam professionem studio bonorum operum ornet: ipse vos *in omni opere bono*, quod ad officium Christianismi pertinet, aptos & idoneos reddat, *ut* non tantum sciatis sed etiam *& perfectione*

Hebr. XIII. *faciatis ejus voluntatem*, in verbo revelatam atque præscriptam, imo ipse *efficiat in vobis* [Phil. I. 11. II. 13.] *quod acceptum sit coram se per JESUM CHRISTUM.* Idque perfecturum Patrem cœlestem, adeo certus securusque sum, ut in antecessum ei una cum Filio gratias agam: *Cui sit gloria in secula seculorum, Amen!* Nihil nobis arrogamus, ipsius donum est, quicquid boni facimus.

Captatio benevolentiæ. *Vers.* XXII. Ad extremum *vero rogo* hortorque *vos, fratres* in CHRISTO JESU charissimi, boni consulite & *sufferte hunc sermonem exhortationis*, præsenti epistola expressum, etiamsi alicubi se verior videatur, ubi apostasiam, tarditatem & negligentiam quorundam castigo, & ad perseverentiam fidei studiumque pietatis vos excito. Tanto autem facilius & libentius eum sustinebitis, opinor, quanto certius est, sermonem DEI esse, mihi mandatum & inspiratum, ut vos DEI nomine exhorter; DEUM autem humiliter & observanter sustinere debetis, & me propter DEUM sustinebitis, qui scio alioqui, genti vestræ maxime invisum esse meum nomen quod propterea quoque lubens prudensque omisi. Spero etiam fore, ut citius admittatis & legatis Epistolam, quia per humanitatem meam brevitati studui. *Etenim brevibus* verbis, pro argumenti dignitate atque nonnullorum perversitate, scripsi & *misi vobis.*

Liberatio Timothei. *Vers.* XXIII. *Scitote fratrem*, & meum, & vestrum, adeoque nostrum, *Timotheum*, solutum liberatumque è vinculis esse, *cum quo, si satis cito venerit*, ac DEUS dederit, *videbo vos*, & de tam charo comite mihi gratulabor.

Salutatio. *Vers.* XXIV. *Salutate* meis verbis totam Ecclesiam, & *omnes Ductores* Doctoresve *vestros*, *& omnes sanctos* atque fideles JESU CHRISTI confessores. *Salutant vos* sancti, *qui ex Italia sunt.*

Gratiæ apprecatio. *Vers.* XXV. Finio nunc & gratiæ Divinæ, quo nomine omnia

omnia fausta & salutaria, quæ CHRISTUS promeruit, com- 1. *Tim.* I.
plector, etiam atque etiam vos commendo. *Gratia* itaque *illa* ineffabilis *adsit vobis omnibus* atque singulis, Amen!

XXXII.

Ex Italia in Græciam, & Judæam indeq; in Cretam & Ephesum rediit.

Posthæc *Paulus* è vinculis, quibus Romæ satis diu detentus constrictusque fuerat, liberatus ea lege, ut cum hucusque nulli in ipsum Romam missi accusatores essent, in Asia coram accusatoribus suis sisteretur, aut Romæ rursus, aliquamdiu adhuc in *Italia* commoratus est, indeque, promiserat, ad *Philippenses* primum, Phil. II. 24. ac deinde ad *Philemonem*, Ephes. ad Phil. v. 22. & tandem octava vice *Hierosolymam* venit, Heb. XIII. 23. Hierosolyma regressus in *Cretam*, Titum ibidem reliquit, ut constitueret presbyteros per oppida singula, Tit. I. 5. Hinc *Ephesum* profectus, *Timotheum* quoque similiter hic commorari voluit, ut ordinaret, quæ deerant, hoc in loco nobili, in quo Episcopi munere ipsum functum esse, multi volunt, quod non nisi in hoc tempus incidit & quadrat, quo Paulus liberatus Roma in Asiam venit, non vero in aliud prius, ceu pleriq; volunt Interpretes, quia parum verisimile est, Timotheum ante huic loco datum Episcopum, eum statim deseruisse, cum Paulo peregrinatum iviſſe, & Apostolum Romam usque invisisse. (Vid *Sandhag.* p. m. 181. & *Pearsonius* in Annalibus Paul.) Paulus itaq; relicto Ephesi Timotheo in *Macedoniam* migrat, unde paulo post primam ad Timotheum Epistolam scribit, (1. Tim. I. 3.) qua ipsum instituit, quomodo gerere se debeat in Ecclesia DEI, ut qui sit fidus ejus Oeconomus, columna & firmamentum veritatis (1. Tim. III. 14. 15.) Hoc nomine

Timotheum Ephesi relinquit, & paulo post ad eum dedit priorem Epistolam.

CAP. I. Post inscriptionem & salutionem, qua significat, se ex DEI mandato & instinctu veram salutaremque doctrinam tradidisse, *Timotheum filium suum genuinum in fide* monet,

Ejus Analysis.

ut

1. Tim. I. ut & ipse retineret puram Evangelii doctrinam, & severe *mandaret quibusdam*, à se coram indicatis, *ne diversam* traderent, aliud aliterque *docerent*, ac ipse docuerit: *neve attenderent* incumberentve *fabulis*, sive Judaicis, sive Græcis, (Cap. IV. 7.) *aut genealogiis* vel XII. tribuum jam dispersarum, & confusarum, vel Deorum, ut Græcis solenne erat, *terminum nullum habentibus*, *& quæstiones* disputationesque inanes *potius quam ædificationem in DEO* fundatam inque fide vera & simplici, gignentibus; sed *summam* & scopum *denunciationis* servarent sollicite, quæ consistat *in charitate*, *ex puro purgatoque* per Christi sanguinem, fide apprehensum, (Act. XV. 9 Heb. IX. 14.) *corde* profecta, *& conscientia bona*, pacificata ex certitudine donatæ propter Christum pacis, (Rom. V. 1.) *& fide non ficta*, quæ per charitatem est ἐνεργουμένη & serenat mentem, ℣. 1..6. Idque tanto magis observari sedulo voluit Apostolus, quia jam tum ab isto *scopo aberrantes ad vanam doctrinam deflexerant* magni quidam, sua opinione, *Doctores legis*, cum tamen non intelligant, quæ dicunt & confidenter asseverant, Legemq; cum Evangelio confundant. ℣. 6. 7. Omnes quidem fideles scire ac confiteri, *quod lex* Mosaica in se *bona* sit, si quis modo ea legitime utatur, ac in eum cum primis finem, in quem data est. Hoc certum exploratumque esse debere, quod jam per fidem *justificato lex non* sit *posita*, ita ut ei incumbat molestaque sit maledictione sua, (Matth. III. 10. κεῖται) cum ab ea per Christum fide apprehensum liberatus sit; sed contra feriat quosvis legem transgredientes & sanæ salutarique Evangelii doctrinæ adversantes, in qua omnibus, etiam gravissimis peccatoribus, remissio peccatorum annuncietur, si vera pœnitentia & fide ad Christum se recipiant, qui legis finis est, (Rom. X. 4.) ℣. 8. 9. 10. idque suo exemplo probat, quando grata mente deprædicat semel iterumque (℣. 12. 17.) summam DEI & superabundantem sibi, maximo peccatori, exhibitam gratiam cum fide & charitate,

charitate, quam CHRISTUS JESUS acquisiverit, & per Evangelium sibi concreditum annunciari voluerit omnibus peccatoribus, in se illustre documentum habentibus, & certis, quod eandem misericordiam adepturi sint, si fide exauditu verbi Evangelici concepta eam accipiant. ℣. 11 — 18. Hoc mysterium salutis, hancque annunciationem demandatam a Christo, Paulus Timotheo commendat, eumque graviter & paterne monet, ut secundum *progressus* de se *prophetias*, matri vel aviæ, aut aliis factas, *bonam illam* & sacram *militiam*, cui divinitus destinatus & præfectus esset, præclare perficiat, *retinendo* cumprimis *fidem*, eamque veram & vivam, non simulatam, (℣. 5.) vel mortuam, ceu scutum in παναπλίᾳ spirituali, Eph. VI. 16. & *bonam conscientiam*, sancte vivendo, & nihil vel admittendo, vel agendo, quod excutiat fidem; cum mysterium fidei in pura conscientia servetur, (1. Tim. III. 9.) & amittatur ab impuris, quemadmodum exempla recentia *Hymenæi & Alexandri* ostendant, 2. Tim. II. 17. 18. IV. 14. qui conscientiam voluptatibus seculi commaculaverint, imo repulerint, adeoque *naufragium circa fidem fecerint*, eamque amiserint; quos propterea *Satanæ tradiderit*, in terrorem aliis, atque *ut* illi *castigati discerent non blasphemare*, aut blasphemiis exponere veritatem Evangelicam, sed convenienter secundum eam vivere, memores scopi & finis annunciationis & vocationis. Preces autem pro iis fieri voluit, ut resipiscant, quod per excommunicationem intenditur. v. 18. 20. 1. Tim. I.

CAP. II. Cum maxima militiæ Christianæ vis in precibus consistat, Apostolus eas *ante omnia fieri vult*, prout necessitas & status conditiove postulat, publice pariter ac privatim, vel *deprecationes* pro malis avertendis, vel *adprecationes* & vota effusa pro obtinendis bonis, vel *intercessiones* pro aliis, vel *gratiarum actiones* pro noxiis ablatis, & bonis datis, nobis aut aliis. Communes enim preces præcipit, fundendas non so- CAP. II.

1. Tim. II. lum pro fratribus fidelibus, sed etiam *pro omnibus* omnino *hominibus* universe & generatim, præcipue vero ac nominatim quoque *pro Regibus & cunctis in eminenti dignitate constitutis*, non quidem ut in vitiis, libidinibus atque persecutionibus perseverent & feliciter agant, sed ut convertantur, vel saltem mitigentur erga Christianos, quo *hi securam & tranquillam vitam transigere* sub eorum tutela possint, immunes ab externis hostibus & publicæ pacis turbatoribus, *in omni pietate*, cum in dogmatibus fruentes exercitio religionis libero, tum in vitæ actione *honestatem* morumque *gravitatem* tenentes. ℣. 1. 2. Ad hoc precum officium pro omnibus atque singulis ut alacriores reddat credentes, triplici utitur argumento, 1. a decoro & honesto, 2. a salutari, 3. ab universali & seria voluntate DEI salutis omnium hominum, qui, ut ad *cognitionem* salvificæ *veritatis omnes venire* per fidem possent, omnibus catholica & efficacia media ordinaverit, & *unum Mediatorem* miserit, *Filium suum* unigenam, (Joh. III. 16.) hominem factum salutis omnium causa; quique se ipsum etiam *redemtionis pretium pro omnibus dederit*, ac pro impiis mortuus sit, Rom. V. 8. & beneficia salutis parta, per Evangelii prædicationem, constitutis in Novo Testam. temporibus orbi obtulerit, Judæis & Gentibus, quorum præconem & Apostolum se quoque verum & fidelem esse asseverat. v. 3 — 8. atque propterea ex autoritate Apostolica viris pariter ac fœminis præcipit, ut orent pro omnibus, & ubi quomodoque *orare* debeant, indicat. Ac *viros* quidem vult supplicare in omni loco, publico & privato, *tollentes sanctas* nulloque scelere contaminatas *manus*, Es. I. 16. sine ira, hæsitatione & disceptatione, sed potius pura mente & plena fide. v. 8. Similem in modum *mulieres* in precibus se gerere jubet, ac, præter communia hæc præcepta, specialia addit, superbo per se sexui observanda, nempe, (1.) ut depositio habitu pretioso, verecundia & pudicitia extrinsecus & intrinsecus ornatæ

1. Pet.

(1. Petr. III. 3. 4.) in precibus ad DEUM accedant, tanquam fœminæ pietatem profeſſæ, ℣. 9. 10. (2) ut in publico loco à docendo abſtineant, ſed cum omni ſubjectione viro debita diſcant, argumento deſumto ex ordine creationis & periculo ſeductionis, cum maritus ab uxore ſeductus eique ſubjectus fuerit, Gen. III. Interim mulieribus non omnem ſalutis ſpem adimit, ſed ſalvari eas docet, in muliebri ſtatu duro licet, in quo poſt lapſum poſitæ à Deo ſubjectæque viris ſint, ut in aliis, ſic quoque in liberorum generatione, modo permanſerint in fide, ac fidei fructus oſtenderint in charitate, ſanctitate & ſobrietate mentis ac corporis, ut convenit fœminis Chriſtianis. v. 9. 15. 1 Tim. III.

CAP. III. Cum Timotheo incubuerit, proſpicere Eccleſiis de idoneis & fidelibus Miniſtris, eorum requiſita præcipua diligenter enarrat Paulus, &, quia præviderat ſpiritu negligentiam & impuritatem Paſtorum (Actor. XX. 29.) ſequioribus temporibus, ſignificantibus verbis attentionem ſibi parat v. 1. dicens, fidelem eſſe ſermonem ſuum & probe obſervandum, ob officii ſacri dignitatem & utilitatem. Pulchram quidem & honorificam eſſe talem functionem, ſed ad eam requiri non tantum communes omnibus vere Chriſtianis virtutes, ſed & quædam excellentiora. Unde ſi quis ex interna vocatione eo adſpiret cum etiam externis notis conſpicuum eſſe debere, quas notas exprimit, ac (1) in *Epiſcopo* requirit, ut ſit ἀνεπίλημπτος καὶ ἀνέγκλητος (Tit. I. 6.) ut nullum ei crimen juſte objici queat, vel ob doctrinam, vel ob vitam; ne cuiquam ſit offendiculo, Eccleſiæ probro, ſibique ipſi æterno exitio, ſed potius illuſtris fidelium typus, bene docendo & bene videndo, 1. Tim. IV. 12. Tit. II. 7. 1. Pet. V. 3. (2.) *unius uxoris maritus*, non ἄγαμος vel πολύγαμος, vel qui concubinas habeat: (3.) *vigilans*, qui & ſui & gregis curam habeat ſedulam, & quoquo verſus vigiles oculos circumagendo hoſtes obſervet, ne periclitetur grex, (Act. XX. 28.) quod inter Epiſcopi & Superintendentis CAP. III.

1 Tim. III. dentis partes haud postremum est. Unde (4) σώφρων *sobrius*, corpore & animo prudens, moderatus in affectibus sit, (5) κόσμιος, bene compositus habitu, gestu, ornatu, conversatione, in dictis & factis suavis & gravis, qui in omnibus τὸ πρέπον observet (6) φιλόξενος, hospitalis & aliunde advenientes Christianos, exules & pauperes, domi suæ libenter excipiat, & ad hospitalitatem suo exemplo facilius alios attrahat: (7) non tantum doctus, sed etiam aptus ad alios docendos perspicue & ordine quodam certo pulchroque, qui recte secet verbum veritatis & ad captum rudis plebeculæ se dimittat: (8) ut vero eo efficacius doceat, *non* sit *vinosus*, vel vino aliive potui inebrianti assidens ad perpotandum & pergræcandum: *nec* (9) πλήκτης *percussor*, id est, promtus ad linguæ, ut Chrysostomus & Hieronymus volunt, vel, quod Gerhardo L. de Minist. Eccles. §. 280. placet, manus verbera: nec (10) turpi lucro deditus (vid. 1. Petr. V. 3.) ejusve cupidus, sed eo tantum cutas cogitationesque omnes intendat, ut multos Christo lucrifaciat, (11) & æquus, mitis, & lenis sit, in condonandis injuriis sibi illatis, & cedendo de jure suo potius, quam ut rigorem urgeat, non vero in convendis vitiis: (12) *alienus à contentionibus*, in docendo & redarguendo, sive publice sive privatim, ex affectibus carnalibus, 2. Tim. II. 23. 24. (13) *non amans pecuniæ*, aut sua quærens, Phil. II. 21. sed αὐταρκὴς DEOque confidens. (14) *Bene præsit propriæ Domui*, ut eam regat in timore Domini, non ut sub prætextu vulgato sed vano rem familiarem probe curet & divitias corradat *liberis* suis, verum ut eos educet in institutione & admonitione Domini, Ephes. VI. 4. *qui demonstrent* subjectionem *cum omni modestiâ*, in vita & tota conversatione; non enim tuto & bene committi illi curam Ecclesiæ, qui domui suæ præesse nesciat. (15) Unde necesse est, ut Episcopus in omnibus exercitatus & longo usu edoctus sit; nequaquam autem adhiben-

dus

dus νεόφυτος, novitius, sive qui noviter imbutus Ecclesiæ sacra- 1 Tim. III.
mentis est, ne inflatus nova dignitate ex ambitione res moliatur novas, aut infirmos in fide ex imperitia offendat, & perdat, sicque in idem judicium condemnationis incidat, in quod Diabolus ex superbia incidit. (16) Denique *bonum habeat testimonium ab iis, qui extra* Ecclesiam *sunt*, i.e. infidelibus, quod honeste se gesserit, & sine nota publica apud eos vixerit; ne, si id desit, mala fama ei exprobretur, aut Diabolus eum rursus illaqueet, ut in priorem iniquitatem incidat, cum suo & Ecclesiæ damno, ỳ. 2—8.

Ab Episcopis ad *Diaconos* progreditur, eosque similiter iisdem notis insignes esse, vult, etiamsi non præcise ad verbi Sacramentorumque administrationem vocentur, speciatim 1. requirit, ut sint *graves*, honesti & reverendi, σεμνοι, 2. non *bilingues*, simulatores, dolosi & versuti, *nec* 3. *vino multo* aut ebrietati *addicti* (ỳ. 3.) *nec* 4. *turpi lucro dediti*, quia talibus bona Ecclesiæ non bene crederentur, qui ea male administrarent: 5. *ut teneant ministerium fidei in pura conscientia*, (vid. Cap. I. 19.) ut, si vel Episcopis in docendi munere surrogentur, vel occasionem prædicandi Evangelium habeant, sincera mento illud exponere queant: 6. *ut prius explorentur* aliquamdiu, & *deinde*, si probi, idonei & *irreprehensibiles* reperiantur, in ordinem Diaconorum recipiantur, & munus *administrent*. 7. Uxores quoque habeant, si quas habent, *graves* habitu & moribus, *non calumniatrices* aliorum hominum, *sobrias* & vigilantes, *fideles in omnibus*, quæ ipsis committuntur. 8. *Unius* tamen tantum *uxoris mariti* sint, æque ac Episcopi, *& liberis* etiam *domesticisque bene præsint* (conf. ỳ. 2.4.) ỳ. 8—13. Hos ut Apostolus excitet ad partes muneris rite fideliterque obeundas, subdit, eos *gradum sibi* ad altiora in Ecclesia *acquirere*, multamque de fidei mysterio loquendi confidentiam apud fideles æque ac exteros, nihil habentes, quod iis objiciant, ỳ. 13.

1. Tim. III. Hinc ostendit, quem in finem hæc atque talia Timotheo scripserit, nimirum, ut incompendio habeat, si forte coram non ita cito de omnibus ipsum instruere posset, ut equidem speret, isque sciat, quomodo versari se oporteat *in domo DEI, quæ Ecclesia DEI vivi sit*, (in ἀντιθέσει ad Templum Eleusinium, vel Ephesinum; quod inter mundi miracula censebatur, mortuis fictisque Numinibus erectum,) tanquam columna & firmamentum veritatis, ac præcipuus aliquis Doctor, à quo multa pendeant, (vid. Gal. II. 9. Apoc. III. 12.) v. 14. 15. Tandem causam addit, cur Timotheus & omnes Ecclesiæ ministri tenacissimi esse debeant mysterii Evangelici, in eo docendo, & contradicentes refutando (conf. Tit. I. 9.) v. 16. *nam*, inquit, *omnium confessione magnum*, imo maximum, *est pietatis mysterium*, in oppositione ad mysteria Eleusina, Ephesina, & alia Gentilium impia & fœda, ἀνομίας καὶ ἀσεβείας. Mox veritatem, magnitudinem & majestatem Mysterii sex argumentis, τεκμηρίοις καὶ ἀποδείξεσι enarrat & firmat. (1.) ait, DEUM ipsum, sive Filium DEI vere manifestatum esse in carne, inque ea assumta sibique æterno fœdere unita habitasse aliquandiu & obambulasse inter homines, (conf. Joh. I. 1. 14.) non eo modo, quo fingebant Gentiles Deos suos genitos esse & apparuisse. (2.) Eundem verum DEUM juste, legitime, plene planeque demonstratum & declaratum divinitatisque fidem meritum esse, non fallacibus signis, falsis relationibus, aut suppositiis vestigiis, quibus Deos suos apparuisse Gentiles jactitabant, sed rebus ipsis ὁμολογουμένοις *in spiritu*, doctrina divina & efficaci, miraculis & operibus, ab ipso, & Apostolis in nomine ejus editis, Matth. VII. 28. seq. XXII. 16. Luc. IV. 22. Joh. III. 2. Actor. II. 22. III. 6. 12. 16. IV. 10. Ebr. II. 4. resurrectione ex mortuis victoriosa, Rom. I. 4. ut ex Prophetarum oraculis, eventu comprobatis & Historia Evangelica liquido constat: quæ omnia iis inprimis, qui in spiritu sunt ac spirituales, perspecta habent,

1. Cor.

1. Cor. III. 9. 10. ff. 1. Pet. I. 11. (3.) Hunc διάθραπον demonstrat liquido cognitum, & visum præsenti intuitu Angelis, tum natum, tum à morte excitatum, tum cœlo acceptum, eosque adeo pleniorem hujus mysterii cognitionem cum maxima admiratione indeptos, testes omni exceptione majores esse, cum λόγος caro factus sit iis nunciantibus, natus cantantibus, tentatus ministrantibus, passus consolantibus, suscitatus apparentibus, assumtus comitantibus. (4.) Magnitudo mysterii porro inde probatur, quod prædicatum fuerit inter gentes, ubique terrarum, alienas à DEO & ξένας, (Ephes. II. 12. ff. III. 2. 5. 6.) Rom. XVI. 25. 26. Colos. I. 26. ff. Gentiles autem mysteria sua, ac nominatim Eleusinia, non omnibus prædicabant, aut manifestabant, sed solis amicis, qui ejusdem erant symboli, non ξένοις promiscue, imo ea prodere nefas & capitale erat. (5.) Divinitatem ejus manifeste arguit, quod *creditum sit in mundo* toto, ab omnis sexus, conditionis, status hominibus, promiscue, non ut mysteria Eleusinia à solis viris, aut Thesmophoria à mulieribus; nec tantum fide, quæ ex persuasoriis humanæ sapientiæ sermonibus proveniebat, sed vera & salvifica, quæ per demonstrationem Spiritus & potentiæ excitabatur, 1. Cor. II, 1-5. (6.) Tandem clausula & colophon mysterii hujus est, quod Christus post resurrectionem suam ad gloriam intraverit, receptus in cœlum ad dextram Patris consederit, gloriose regnet, donec inde reversurus sit in eadem gloria ad judicium, Marc. XVI. Actor. I. 2. 11. 12. non scalis mendacii in cœlum ascenderit, ut Romulus, aut quemadmodum fingunt Gentiles de Diis suis, post ἐπιφάνειαν disparentibus cœloque receptis. Conf. *Jac. Gothofred.* Exerc. Sacr. ad h. l. 1. Tim. III.

CAP. IV. Post mysterium pietatis de CHRISTO, ex quo fluit verum pietatis exercitium, Paulus *mysterium* impietatis & *Antichristi*, in Ecclesia Christi posterioribus temporibus revelandi, pandit, ejusque notas insigniores breviter ponit, CAP. IV.

ut

1. Tim. IV. ut caveri possit. (1.) *apostasiam* publicam, insignem & fere oecumenicam, à fide & veritate Evangelica, ut hac deserta attendant multi spiritibus impostoribus, apparitionibus Angelorum, *doctrinis Dæmoniorum*, & doctoribus seductoribus, 2. Thes. II. 3. 10. (2.) *hypocrisin* & artem histrionicam, qua falsiloqui sub sanctitatis specie simplices decepturi sint; cum tamen cauteriatam habeant conscientiam per impietatem & facinora: ex qua hypocrisi (3.) prohibituri Clericis *nubere*, & (4.) præcepturi sint *abstinere à cibis* certis, quasi eorum esus pollueret. Hos similesque errores refellit Apostolus, asserens fidelium, veram Evangelii cognitionem habentium, libertatem & damnans ista dogmata dæmoniaca Antichristi, initio facto à posteriori, & regrediendo ad priora. Urget enim 1. DEUM cibos aliasque res creasse in hominum commodum, & Christianis liberum esse earum usum: 2. omnia à DEO condita bona, nihilque rejiciendum, tanquam malum, modo cum gratiarum actione & sine scandalo sumatur: 3. ac licet post lapsum maledictio creaturis incumbat, omnia tamen *sanctificari per verbum DEI & preces*, in nomine CHRISTI, seminis benedicti susas, ut ita purificatis per fidem omnia pura & licita sint, (Tit. I. 15.) v. 1. 6. Eorum igitur prohibitionem contra DEUM, ejusque ordinationem & voluntatem, contra verbum DEI, contra fidem, contra libertatem Christianam esse, adeo apostasiam & hypocrisin, colligi potest. Quare, cum hæc non sint levia, Paulus à *Timotheo*, aliisque bonis JESU CHRISTI ministris, postulat, ut fratribus sedulo proponant, & de iis commonefaciant, v. 6. 7. ut salutarem doctrinam illibatam servent, omnes autem *profanas & aniles fabulas aversentur*, ac *seipsos exerceant* ad veram *pietatem*, quæ potissimum in fide, vere Christum complectente & interiori spirituali cultu, exserente se per seria exercitia sanctitatis, consistit; quia *corporalis illa exercitatio*, puta abstinentia à conjugio, cibis melioribus &c. *ad pauca* admodum utilis

utilis sit, *pietas autem ad omnia*, cum promissiones habeat amplissimas *vitæ præsentis & futuræ*. Quæ admonitio ut animis instilletur facilius, vocat *sermonem* παραινέσεως *fidelem* indubitatumque, & dignum adeo, quem omnes omnibus modis acceptent, approbent & faciant, v. 8. 9. Propter quam doctrinam Apostoli aliique fideles testes vehementer laborent, & assiduas afflictiones tolerent, quod spem fixam habeant non in externis mundi elementis & traditiunculis, sed *in DEO vivo*, qui *Servator omnium hominum* est, velletque libenter omnes ad cognitionem veritatis pervenire, sed *maxime fidelium*, qui sibi applicant beneficia oblata, & in pietate se exercent. Hæc necessaria & salutaria sedulo inculcanda, rejectis nugis, denuo præcipit, idque, ut eo efficacius vel fructuosius fieri queat à Timotheo, vult eum muneris niti autoritate, nec comittere quidquam aut pati, ut quisquam ejus juventutem despiciat, ac sub hoc prætextu doctrinam fidelem rejiciat; quam in rem vult eum esse *typum fidelium in sermone*, *in conversatione*, *in charitate*, *in Spiritus* zelo, *in castitate*, & *assiduum in lectione* Scripturæ S. publica & privata, *in exhortatione*, *in doctrina*, *in excitando* dono oracula prophetica explicandi, ei per impositionem manus à presbyterio collato, & sollicito studio proficiendi, ita ut omnibus innotescant profectus illius, & tota vitæ ratio inculpata; quo seipsum & auditores suos hoc fideli; ministerio servet. v. 10 —— 16. 1. Tim. IV.

CAP. V. Quia boni pastoris est, non tantum publice recte docere & pie vivere, sed etiam singula auditorum genera, & singulas oves curare, Apostolus Timotheum de hoc negotio nunc instruit, ac (I.) docet, quomodo *seniores* & *juniores* utriusque sexus corripiendi sint, illos non severius objurgandos sed reverenter, tanquam patres & matres, hos velut fratres & sorores cum omni castitate sermonis & actionum, moneri vult, v. 1. 2. (II.) Canones præscribit de *viduarum* cura, ac CAP. V.

1. Tim. V. *vere tales*, i. e. destitutas liberis, vel nepotibus, qui eas juvare queant, honorandas, ad diaconatum admittendas, sicque de Ecclesiæ largitionibus alendas præcipit; at si non orbæ omnibus sint, illarum *liberos* vel *nepotes edocendos* esse *prius*, quam Ecclesiam onerent suis viduis, *ut propriam* suam *domum* s. domesticos debita *pietate tractent*, & gratam *vicem rependant* majoribus, à quibus prognati sunt, eos alendo. Rationem ex IV. præcepto subjungit, quia *hoc bonum*, conveniens & *acceptum* si coram *DEO*, id jubente & volente. ℣. 3. 4. Viduam autem *revera* talem & *solitariam relictam* his qualitatibus præditam, hisve notis dignoscendam, ponit, ℣. 5. *si omnem spem* suam *in DEUM collocaverit*, & *assidua in precibus* fuerit, ut Hanna, Luc. II. 36. s. cui ℣. 6. opponit *lascivientem*, quam *vivam* ait esse *mortuam*, corpore, anima & conscientia, adeoque non DEO sed ventri & Veneri servientem. Hæc viduis earumque cognatis crebro & severe inculcari vult, ut hac quoque in parte *irreprehensibiles* sint, & utrique suum discant faciantque officium, ℣. 7. &, quæ v. 4. mutua officia præstare jusserat, à contrario confirmat, quod, si quis *suorum &* maxime *domesticorum*, quos cuique DEUS peculiariter tum verbo, tum naturæ lege commendavit, *curam non habuerit*, in spiritualibus ac corporalibus, *abnegaverit fidem*, quæ per charitatem quoque erga suos & opera misericordiæ conspicua esse debet, *imo infideli*, qui ἀντιπλάρχιαν præstet, deterior ac proin gravius puniendus sit, ℣. 8. Si vero fuerit vidua omnibus destituta suorum subsidiis, non tamen statim Ecclesiæ sumtibus alendam aut ad διακονίαν pauperum ægrotorumque deligendam permittit, sed 1. ratione ætatis *non minorem* annis sexaginta, 2. ratione vitæ probatam, si (α) *unius viri uxor* fuerit, non pellex, non adultera &c. (β) *si bonum testimonium habeat* à fidelibus pariter ac extraneis, (γ) *si liberos educaverit* pie, (δ) *si hospitalis* in excipiendis Christianis exulibus fuerit, vel iisdem inservierit, v. g. *lavando pedes*

pedes ; i. *si afflictis suppeditaverit*, quid quantumve potuit, 1 Tim. V.
ζ. *si in omni* reliquo *bono opere* assidua ejusque occasiones *sectata fuerit*, ℣. 10. *Juniores* autem viduas arceri vult ab eleemosyna & Διακονία, 1. quia Ecclesiæ sumtu victitantes, bene pastæ *lasciviant* & ferociant *in contumeliam Christi*, quærantque tale matrimonium, in quo lasciviam suam expleant, atque ita tandem *fidem*, quam *primum* in Baptismo professæ sunt, & Ecclesiæ dein addixerunt, se eleemosynis & ministerio non abusuras, excutiant, *irritamque faciant*, & æternam *damnationem* attrahant, (infr. v. 15.) 2. *quod otio* indeque emergentibus vitiis, garrulitati, curiositati &c. *indulgeant*, alios etiam *discursitando per domos* in peccata pertrahant, & toti Ecclesiæ dedecori sint, v. 11—14. Tales, ut prædicta peccata & scandala devitent, vult honeste *nubere*, *liberos procreare*, *domum* pie *regere* (v. 4.) cum *nonnullæ* hoc remedium conjugii non adhibentes, in turpitudines inciderint, sicque *desciverint* à Christo & *Satanam secutæ* sint, v. 14. Interea donec matrimonium iterum nanciscantur, quemque suis viduis prospicere debere, ne illarum sustentatione Ecclesia oneretur, & ut sufficiat publica stipes vere desertis viduis, supra descriptis, v. 15. (III.) De *Presbyteris* Ecclesiæ Canones præscribit, ac generatim (α) omnes, *qui bene* Ecclesiæ *præsunt*, sive regendo, sive docendo, *duplici honore dignos habendos* afficiendosque esse, cum ob officium quod præstant, tum ob fidelitatem, mandat, *maxime* vero eos, *qui in verbo doctrinaque* cœlesti *laborant*, ac in dies & noctes occupati sunt in lectione, meditatione, prædicatione & instillatione ejus. Talibus igitur (β) necessaria & honesta stipendia præbenda, cum id lex Deut. XXV. 4. intendat, conf. 1. Cor. IX. 9. 10. & operarius dignus sit mercede sua, v. 17. 18. (γ) contra tales non facile admittendas accusationes, & non citra duos vel tres testes; quia Diabolus & impii inprimis infensi illis sunt, & in ipsum officium & Ecclesiam facile devolvunt ca-

1. Tim. VI. lumnias, v. 19. propterea tamen non prorsus immunes dimittendos reos & convictos, sed publice redarguendos, ut alii severioris castigationis exemplo à peccatis absterreantur, v. 20. Atque hæc omnia, ac speciarim judicium Ecclesiasticum, Paulus servare vult Timotheum *sine præjudicio*, prosopolepsia & *præcipitatione* mentis, unde ob rei gravitatem eum obtestatur & sacro juramento obstringit conspectu DEI & Domini J. C. tanquam supremi Judicis, & electorum Angelorum, tanquam testium, ut omnia rite observet, & nominatim quoque in ordinandis Ecclesiæ ministris, ut *nemini cito manus imponat*, peccatis onerato eoque indigno, cui sacrum munus committatur, ne communicet de illius delictis, *sed* probe exploret ante, 1. Tim. III. 10. ut castitati, puritati & abstinentiæ studeat, ita tamen ut valetudinem curet, eoque *paululo vino utatur*, v. 22—24. (IV.) ut in officio elenchtico rite procedat minister verbi, subdit; *quorundam peccata* esse notoria, & præcedere ad judicium, illudque exspectare, aliorum vero occulta, in judicio divino tandem manifestanda publice, quæ certo quoque subsequatur damnatio. Similiter *bona opera* quorundam vere talia *manifesta* esse, suaque habitura præmia, at aliter se habentia, & hypocritica, tandem saltem in judicio divino occultari non posse, & justam pœnam consequi, v. 24. 25.

CAP. VI. CAP. VI. A ministerio Ecclesiæ progreditur Apostolus ad ministeria & servitia hominum, ac inculcare sedulo jubet Timotheum *officia servorum*, cum qui *infidelibus* serviunt; quos monitos vult, ut heros suos, licet, duriores & gentiles sint, omni reverentiæ & obedientiæ honore dignos existiment & afficiant; ne nomen DEI *& doctrina* Evangelica *blasphemetur* inter gentes, quasi aboleret politias, conf. 1. Pet. II. 18. ff. tum *qui fideles habent dominos*, quos contemni sub hoc prætextu non permittit, *quod* in Christo *fratres* adeoque pares sint, sed multo magis & promtius iis serviendi obstrictos pronunciat, *quod fideles*

fideles & dilecti DEI *sint*, utpote *participes facti beneficentiæ* atque gratiæ ejusdem in Christo, ℣. 1. 2. Secundum hunc Canonem fidei & vitæ, hactenus præscriptum, incedere Doctores, ac cum negligentes cane pejus & angue fugere vult Apostolus, tanquam seductores, quos propterea describit à doctrina, moribus, studiis & vita: à *doctrina*, quæ diversa sit & recedat *à sermonibus sanis* (active & passive, 1. Tim. I. 10. 2. Tim. I. 13.) nihilque habeat, quod faciat ad veram pietatem sincerumque DEI cultum: à moribus & studiis, quod typho superbiæ abrepti & inflati simplicem veritatis doctrinam despiciant, & sibi tantum mirifice placeant in commentis suis, *cum* tamen *nihil* vere *sciant* earum rerum, quæ ad cognitionem veritatis secundum pietatem spectant, vel theoretice, vel practice, conf. 1. Cor. VIII. 2. sed *insaniant* & delirent circa vanas & spinosas quæstiones, & *pugnas de vocabulis* & formulis, quæ tamen sunt excogitata ab *ἀνθρωπίνῃ σοφίᾳ*, (1. Cor. II. 4. 13.) *è quibus nascuntur* varia mala, Ecclesiam turbantia, *invidia* cordis, *contentio* & *blasphemia* oris, vel saltem *suspiciones* & opiniones *pravæ*, *supervacaneæ* & inutiles *disputationes hominum mente corruptorum & veritate destitutorum, existimantium* & opere ipso declarantium, *pietatem* religionemve Christianam *quæstui* suo servire debere. *Hos* omnes, horumque similes, omni studio *devitari* jubet, non disputare cum illis, (quis enim eos, qui religionem quæstui habent, pervincere potuit, inquit *Theophylactus* h. l.) cum ipsa *pietas* vera per se *cum animo sua sorte contento* & in DEO donisque gratiæ acquiescente, satis *magnus quæstus* sit, 1. Tim. IV. 8. ut non opus sit turpi quæstu mundi, quem falsi Doctores quærunt, à quibus alienos esse veros Doctores & cogitare vult, quod opes terrenæ in terra maneant & cœlo inferri nequeant, quod victus & amictus sufficiant necessarius, divitiarum servitus & studium noxium & valde damnosum, & avaritia radix omnium malorum sit, impellatque ad omnis generis fraudes, perjuria & maleficia; adeo ut nonnulli 1 Tim. VI.

1. Tim. VI. etiam φιλάργυροι *à fide aberraverint*, & *seipsos undiquaque tormentis fixerint* variis doloribus & cruciatibus, quasi spinis, (Luc. VIII. 14.) v. 3—11. Hæc atque talia ut Timotheus fugiat & longe etiam à collimitiis eorum absit, denuo hortatur Paulus, eumque ideo honorifico titulo *hominis* s. viri *DEI* compellat, ut animum illius à terrenis magis magisque elevet, & avatis, diaboli hominibus, opponat, sicque excitat, ut officii memor, unice cœlestia & mansura bona studiosissime sectetur, regnum Christi, & in eo præcipue *justitiam*, (Matth. VI. 19. 33. Rom. XIV. 17. Col. III. 1. 2. Tim. II. 22.) *pietatem*, *fidem*, *charitatem*, *patientiam*, *mansuetudinem*; cumque hæc omnia non sine acri certamine obtinere queant, ad illud decertandum, validis argumentis ipsum impellit, vocans 1. *bonum certamen fidei* & præclarum, in re optima, pro fide Christi, in & ex fide firma, quæ victoria est, 1. Joh. V. 3. sustinendum: 2. præmium propositum subjicit, *vitam æternam*, quam *apprehendi* magis magisque, secundum ordinem & media divinitus data & eo destinata, & teneri vult: 3. argumentum petit à vocatione, 4. à confessione & stipulatione coram multis testibus facta, sive in baptismo, sive in ordinatione ad munus sacrum: 5. eum obtestatur gravissime coram DEO omnipotente & præsente, CHRISTOque JESU, suo certamine & confessione constanti ad mortem usque crucis exemplum nobis relinquente imitandi, *ut* præcepta hucusque inculcata & *se* ipsum *servet irreprehensibilem* & *immaculatum*, *usque ad apparitionem Domini nostri JESU CHRISTI*, quam suis temporibus certo & glorioſe futuram, religiosa cum veneratione concelebrat, v. 11—17. His monitis defunctus Paulus, redit ad divitias, quorum mentionem fecerat, & discipulum suum instruit, quomodo cum *divitibus hujus seculi* agere debeat, iisque præcipiendum præscribit 1. ne elato sint animo pauperioresve contemnant, nec spem ponant in opibus fluxis, sed 2. in DEO vivente, omnia affatim subministrante ad fruendum, & auferre iterum divitias valentem, si non recte

recte usurpentur : 3. ut aliis benefaciant divitesque sint in bonis operibus, libenter & opulenter communicando pauperibus de suis facultatibus ; atque ita fidem per charitatem operosam testando, *pro thesauro sibi recondant fundamentum bonum* & stabile *in posterum*, nempe *vitam æternam*, per Christum partam & credentibus inque fide viva perseverantibus conferendam. v. 11. —20. Tandem Apostolus finiturus Epistolam, denuo repetit summatimque colligit capita fidelis Ecclesiæ ministri, de custodienda probe salutari doctrina, tanquam deposito cœlesti, à Christo sancte commendato, & devitandis profanis vocum inanitatibus, clamoribus & novitatibus, oppositionibusque falso nominatæ scientiæ, quam dum nonnulli & verbis & gestibus vitæque ratione profiteantur & præ se ferant, circa fidem aberraverint, v. 20. 21. Tit. I.

XXXIII.

Eodem quoque tempore, nimirum anno Christi LXV. ut *Pearsonius* rectius censet, quam *Baronius*, referens ad A. C. LIV. quo primam ad Thimotheum Epistolam Paulus scripserat, ad *Titum*, Cretensium non tam Episcopum (hæc enim vox, ut & res ipsa, ignota tunc erat) quam Presbyterum, aut Evangelistam, Epistolam dedit, quando liber serviebat Evangelio, & dicere poterat, se Nicopoli hyematurum, eoque illum postea evocaverat, Cap. III. 12. Idem hujus Epistolæ argumentum est, ac illius, adeoque ejus compendium exhibet. Apostolus summam Evangelicam doctrinæ in Creta sparsæ tradit, ac Titum instruit, quomodo Ecclesia ibi instituta per omnes status rite instruatur & conservetur, quibus certos præscribit Canones. *Epistola ad Titum.*

In Capite I. post inscriptionem, qua muneris sui dignitatem & partes exprimit, quod tradat totam doctrinam salutarem, quæ sit vera fides s. *cognitio* certa & fiducialis *veritatis* cœlestis, Col. I. 5. *ad pietatem* tendens (1. Tim. VI. 3.) & in prexi se CAP. I.

Tit. I. se ostendens, *sub spe* viva *vitæ æternæ*, quæ non fallat, utpote à DEO veritatis promissa olim, definito tempore 1. Tim. II. 6. realiter manifestata, prædicata, sibique credita à DEO Salvatore, ℣. 1—4. Tito genuino filio suo ad ejus propagationem & conservationem DEI gratiam precatur, eundemque hortatur, ut, quæ ipse ibi inchoaverit, sed aliorsum vocatus perficere non potuerit, suppleat, ac speciatim 1. constituat per singula Insulæ oppida, quorum centum erant, unde Creta ἑκατόμβολις olim dicta, Presbyteros, qui & in verbo laborent, & disciplinam Ecclesiasticam observent, iis notis & qualitatibus præditos, quas plerasque omnes fere 1. Tim. III. præscripserat, nisi quod hic ℣. 7. rationem exprimat, cur in culpatum esse oporteat episcopum, quia sit *Oeconomus* & dispensator mysteriorum *DEI* procurator & observator aliorum, & ℣. 9. post enumerata hactenus moralia requisita, ponat doctrinalia, ut sit *tenax sermonis illius fidelis*, & πάσης ἀντοχῆς ἄξιος, qui est *secundum doctrinam istam*, quæ in cognitione veritatis & praxi pietatis consistit (v. 1.) quam tanquam normam infallibilem sequatur semper, ut *potens sit* 1. *& adhortari* auditores *in doctrina illa salutari*, ad recte utendum percepta institutione, & 2. *convincere contradicentes*, erroresque eorum noxios refellere, v. 10. idque necesse esse inde probat; *quia* sint fere semper in Ecclesia 1.) *inobedientes*, qui se non subjiciant sed opponant veritati, 2.) ματαιολόγοι, locutuleji & blaterones, qui vana & non πιστὰ loquantur, (vid. 1. Tim. I. 6. Tit. III. 9.) ut fabulas, traditiones &c. 3.) *mentium deceptores* & seductores speciosis sermonibus fascinantes simplices, Rom. XVI. 18. Gal. III. 1. Eph. V. 6. *maxime è Judæis: quibus os obturandum* & refrenandum sit; per elenchum ex verbo DEI πιστῷ; cum tales plurimum damni inferant, nec paucos & singulos, sed *integras domus* sive familias, imo urbes & regiones, 2. Tim. II. 16. 18. *subvertant*, *docentes ea, quæ minime* sunt *necessaria*, sed vel superflua, vel antiquata, vel noxia,

noxia, *turpis* tantum *lucri causa*, v. 11. quo nomine indulgent ea, quæ vitiis favent & carnalibus hominibus grata sunt. In Insula Creta vero eo magis elencho gravi opus esse Tito ostendit, quod jamdudum Epimenides, ipse Cretensis, & pro vate habitus, civium suorum ingenia & vitia nativa ita descripserit, quod *Cretenses semper* sint *mendaces* sive fallaces, (unde *creticare* pro mentiri dictum) *malæ* noxiæque *bestiæ*, quæ venenum suum incautis passim affient, & latenter noceant, *pigri* denique *ventres*, qui ventri magis quam DEO servire & in otio luxuque vivere, quam abnegare κοσμικὰς ἐπιθυμίας, & pro tuendo Evangelio malis affligi malint, auribus prurientes, *Judaicis fabulis attendentes*, & *præceptionibus* sive constituti unculis *hominum* de neomeniis, ciborum delectu &c. *qui veritatem* Evangelicam *aversentur* & alios ab ea avertant, licet profiteri velint Evangelium: quum umbræ istæ jam cessaverint, & Christianis, fide per sanguinem Christi *purgatis*, *omnia pura* sint; *impuris autem & infidelibus nil purum*, *sed*, cum diffidant ei, qui legem implevit finemque ei imposuit, JESU CHRISTO, (Rom. XI. 3. Gal. IV. 4.) & propriam justitiam puritatemque stabilire velint, *polluta* esse eorum *mentem & conscientiam*, adeoque omnes actiones & opera inde provenientia, etiam circares medias, Rom. XIV. 23. Ebr. XI. 6. ac totum cultum, quem peragant, Es. I. 11. ff. Impudenter igitur & impie tales jactare, quod DEUM quoque sciant & profiteantur Christum, vereque colant, cum illum turpiter *factis abnegent*, sive directe, sive indirecte, *ac abominabiles* sint & execrandi, qui sibi sanctissimi videntur, propter inquinatam mentem & conscientiam, & *inobedientes* propter incredulitatem, *atque* adeo *ad omne opus bonum reiectanei*, cum se solos omnis justitiæ regulam tenere, videri velint, (2. Tim. III. 8.) v. 12—16. Tit. I.

CAP. II. A talibus Titum longe abesse & contra ea docere & loqui vult, publice ac privatim, apud omnes ordines & CAP. II.

Tit. II. ætates, *quæ sanam illam doctrinam*, quam inculcaverat, decent, Cap. I. 1. 9. nos puris affectibus & moribus DEO commendant, non quæ hominibus placent, ℣. 1. Incipit autem merito *à senibus*, qui junioribus exemplo præire debent, quos monendos præcipit, ut 1. sint *sobrii* & *vigilantes*, (utrumque significat Græca vox) lata quondam lex fuit in Cretensium Republica, quæ sobrietatem imperabat, & vinolentiam graviter prohibebat; sed quia prolapsa sensim legis observatio erat, Apostolus divina autoritate fideles senes in Creta ad sobrietatem revocandos censet, quos præ aliis ei studere decet; 2. *graves* in moribus atque sermonibus, ut tota vita sint venerandi, 3. *prudentes* & moderati in consiliis & actionibus, scientes, quid quovis tempore dicendum & faciendum sit: 4. *sani in fide* erga DEUM, non infecti erroribus aut pravis & antiquis consuetudinibus, *in charitate* erga proximum, non foventes odia vetera aut denegantes officia debita, sed tanto magis ferventes studio, quanto magis ætas senilis friget: *in patientia*, ut tolerent juniores, eosque admonere pergant, ut perferant injurias & adversa ingravescenti ætati frequentius obvenientia & molestiora. v. 2. *Similiter* quoque *anus* sobrias, honestas &c. esse vult, inprimis etiam pro sexu suo hoc habentes proprium, ut 1. *habitu* toto corporis, vestitu, vultu, gestu tales sint, quales oportet esse uxores sanctas & sanctorum: 2. ut *non* sint *obtrectatrices*, garrulæ, curiosæ, *non* 3. *multo vino servientes*, etiamsi ætati concedatur usus vini moderatus: 4. sed *bona* quæque & honesta domi *docentes*, non lenocinium, & ita instruentes virgines & mulierculas juvenculas, ut ad sanam & sobriam mentem eas reducant: ut 5. *maritorum* & *liberorum amantes* sint, illis unice adhærendo & opitulando fide & obsequio; hos in timore DEI educando: 6. *prudentes*, ad exemplum strenuæ illius mulieris Prov. XXXI. 7. *castæ* mente & corpore, omnibusque membris: 8. *domi manentes* & rem familiarem probe soliciteque curantes;

curantes : 9. *benignæ* & placidæ erga domesticos, 10. *viris propriis subjectæ*, 1. Tim. II. 12. Quæ omnia ideo à Christianis fœminis requiruntur, *ne*, si secus se habeant, *nomen DEI*, cujus religionem profitentur, infametur & blasphemetur, v. 3—6. Adolescentes & *juvenes similiter* moneri vult, ut *sobriæ* inprimis *sint mentis* ac moderatis affectibus, ne calor ætatis illos præcipites agat; sed ut sint continentes animo, corpore & opere, v. 6. Atque ut hæc efficacius persuadeat Titus, ei mandat, *ut seipsum præbeat typum* & exemplar ad imitandum *in omnibus bonis operibus*, 1. Tim. IV. 12. inprimis *in doctrina* exibens integritatem & *incorruptibilitatem*, ac in moribus *gravitatem*, in verbis & conversatione *sermonem sanum*, *qui* jure *accusari* & damnari *non possit*, *ut* ille etiam, *qui adversæ partis est*, dicta & facta omnia studiose observat, *rubore suffundatur* & confundatur, utpote *nihil habens* aut inveniens, *quod* doctoribus & auditoribus inter Christianos objicere & *dicere malum* merito queat, v. 7. 8. Servis denique utriusque sexus officia inculcanda hæc scribit: 1. *ut propriis dominis se subjiciant*, non sub prætextu libertatis Evangelicæ subducant; sed 2. iis *in omnibus placere studeant*, quæ sine peccato fieri possunt: 3. *non contradicant* aut obloquantur: 4. *nihil surripientes* aut furtim aliquid decerpentes, cum totum auferre nequeant; sed 5. contra *omnem* inque omnibus *fidem* bonam ostendentes; ne, secus si fiat, professione religionis facti videantur incommodiores, & Evangelio imputetur, quod hominum vitio peccatur: quin potius id dent operam sedulo, cum aliis omnibus, qui nomen CHRISTO dederunt, *ut doctrinam Salvatoris nostri ornent in omnibus*, juxta Canones singulis ordinibus præscriptos; quo plures alliciantur ad eam amplectendam, si viderint, hanc professos ad omnia vitæ officia & commercia reddi commodiores, magisque amabiles. v. 9. 10. Rationem fortissime impellentem ad ea, à fine professionis sumptam, Apostolus uberius illu-

Tit. II.

Tit. II. strat amplificatque (I.) *à gratia illa DEI Salvatoris salutifera, quæ illuxerit* & manifestata ubique sit, *omnibus hominibus*, iisdemque salutem obtulerit, attulerit & contulerit, si recipiatur fide, quam simul operatur, quæ etiam placide & gratiose omnes in omnibus statibus & ætatibus, instruat, regat, *castiget*, & intus admoneat de officiis erga DEUM, nos ipsos, & proximum, cum quoad *fugienda, ut abnegent*, ubique & semper 1. omnem *impietatem* erga DEUM, contra I. tabulam Decalogi, 2. *mundanas cupiditates* quascunque, contra II. tabulam, quæ à mundi Principe, mundo & carne suggeruntur, 1. Joh. II. 15. s. tum quoad *facienda*, ut 1. *vivant sobrie* & sapienter erga se ipsos, mente, corpore & omnibus affectibus, Ephes. V. 15. 17. ut nullis cupiditatibus serviant, ne sibi aut proximo damnum inferant, sed 2. erga hunc *juste* se gerant, ei omnia charitatis officia exhibeant, ac demum 3. *pie* religioseque agant in cultu divino, juxta tabulæ I. præscriptum, in spiritu & veritate adorando, & reliqua, quæ DEUS postulat, sancte præstent. Quod si vero multa interea pietatis justitiæque causa ob impiis sustinenda sint Christianis, ea patienter ferenda esse indicat, ac certos reddit illos, quod *exspectare* possint *beatam spem* beatitudinemque speratam, & *apparitionem gloriæ magni illius DEI & Salvatoris nostri J. C.* (in oppositione ad Jovem, quem Cretenses summum DEUM habebant & Servatorem O. M. vocabant, vid. Steph. le Moyne p. 278. var. Sac.) qui novissimo die introducturus sit fideles suos cultores in suam gloriam, ut videant, quid intersit inter eos, qui DEO serviunt, & qui id non faciunt, Mal. III. 18. conf. 2. Thess. I. 7. ss. Qua occasione (II.) rationem sobrie, juste & pie vivendi deducit ex redemtionis per Christum fine, ℣. 14. quod *se ipsum tradiderit in mortem pro nobis*, ut (α) *redimeret* nos pretio sanguinis sui, *ab omni peccato*, & (β) *purificaret sibi ipsi*, ad suam gloriam, non tantum in justificatione, per fidem, Ebr. IX. 14. X. 27. sed etiam in sanctificatione s. renovatione,

novatione, per media eo ordinata, verbum & Sacramenta, Eph. V. 26. 1. Cor. VI. 11. *populum* proprium & *peculiarem*, ex omnibus gentibus & nationibus, non tantum Judaicum, ut in V. T. Exod. XIX. 5. *æmulatorem* & sectatorem fervidissimum *bonorum operum* quorumlibet, per totam vitam, Luc. I. 74. 75. 2. Cor. V. 15. Quæ omnia atque singula tradi à Tito vult, tum *docendo* ignaros, tum *hortando* segnes, tum *redarguendo* refractarios & adversarios, ἀντιλέγοντας, *cum omni imperio* & autoritate, tanquam legato & ministro DEI, quem *non despicere* licet, v. 11——15. Tit. III.

CAP. III. Posthæc in universum omnes Christianos monendos præcipit, ut, licet sub Ethnicis *Magistratibus* vivant, eis nihilominus *subditi sint*, obtemperentque in iis, quæ secundum leges civitatis observanda & agenda sunt, quietam & tranquillam vitam agant in omni pietate & gravitate, adeoque nil innovent in statu Reipubl. cum Evangelium non aboleat politias, nec solutos pronunciet Christianos à publicis legibus & autoritate principum ac magistratuum; imo tanto magis conveniat illis, dicto superiorum audientes *& ad omne opus bonum* paratos ac promtos *esse, nemini maledicere*, à pugnis & contentionibus desistere, nec malo resistere, illudve retorquere, sed *æquitatem* (Phil. IV. 5.) *omnemque mansuetudinem demonstrare erga homines*, non probos saltem, aut fidei consortes, verum etiam infideles, adversarios, & impios, ut & hi resipiscant, & invitentur ad gratiam DEI salutarem quærendam, quæ illis æque ac nobis obtingere queat, v. 12. Eam ob rem in memoriam revocari cupit pristinum statum in Gentilismo & Judaismo miserrimum, ubi amentia, & stulta ignorantia, inobedientia, errores, servitus concupiscentiarum & voluptatum, malitia, invidia & odium, ac propter hæc ira DEI & damnatio regnabant, v. 3. à quibus omnibus liberati sint Christiani, *quando* illis efficacissime *illuxit bonitas & humanitas DEI*, *qua* eos *ex* gratuita *sua misericordia salvos fecit per lavacrum regenerationis* CAP. III.

Tit. IV. *& renovationis Spiritus Sancti, effusi copiose per J. C. Salvatorem*, & ex priore illo fœdo & infelici statu, in justum, sanctum, DEO acceptum & prorsus beatum statum transtulit & transplantavit, non ut otiosi sint, sed tanquam vere credentes summo studio *curent, bonis operibus præesse*, præire & eminere; cum *hæc* ipsa sint *illa*, quæ per se *bona*, honesta *& utilia* aliis hominibus sunt, ad pertrahendum alios ad Christum. Hos sermones fideles inculcare assidue jubet Titum, magna cum asseveratione, ut omnes intelligant, ipsi persuasissimum esse, quod aliis tradat; *aversari* autem & rejicere *stultas* & indoctas *quæstiones*, & perplexas *genealogias*, *contentiones & pugnas legales*; *quod inutiles* prorsus *& vanæ* sint, ad pietatem nihil facientes: cosque, qui mysterio pietatis relicto ad tam noxias παραδιατριβὰς delabuntur, & quæstum ex quæstionaria Theologia faciunt, monendos semel iterumque, & restituendos, at, si meliora & saniora recipere nolint, *devitandos* esse, tanquam *hæreticos homines*, & deploratos penitusque subversos, utpote non ex ignorantia sed pertinacia peccantes; nec adlaborandum, ut tales contemnentur, (Erasm. in Paraph.) cum suopte judicio condemnati sint, ℣.4—12. Hunc in modum Apostolus Titum instruxit, & amplius eum coram instruere cupiens ad se Nicopolin vocat, sed non ante venire vult, quam vel *Artemam*, vel *Tychicum* ejus vices expleturum præmiserit. *Zenam* quoque & *Apollinem*, si ishinc discedere volent, deduci omni studio & necessariis ad iter subsidiis instrui à Cretensibus vult, quum Christianorum sit, bonis operibus præesse (℣.8.) & aliis, quæ usus poscit, subministrare, ℣.12. 13, 14. Salutatione mutua & voto concludit. ℣.15.

XXXIV.

Paulus denuo Romam redit indeque

Accepta hac Epistola Titus procul dubio cuncta secundum Pauli præscriptum ordinavit, rebusque rite constitutis *Nicopolim* profectus est, cum Paulus in ejus locum submisisset *Artemam*,

Arteman, vel *Tychicum*, Tit. III. 12. Hyeme autem *Nicopoli* exacta, *Troada* profectus est, ubi penulam reliquit, 2. Tim. IV. 13. hincque *Corinthum* & *Miletum*, ibid. v. 20. Sed venientibus interea Romam Judæis Hierosolyma eo redire coactus fuit, anno (ut *Spanhemio* videtur,) sequente, ubi conjectus in vincula desertusque in prima defensione à suis, tandem trucidatus est, ut ipsemet prædixerat, 2. Tim. II. 9. IV. 6. 17. Nec tamen in vinculis omisit monere, docere & confirmare suos, ubi opus esse noverat. Scripsit enim primo ad *Ephesios*, Ephes. III. 1. VI. 20. cum *Tychicum*, Epheso oriundum, secum haberet, Eph. VI. 21. quem cum Epistola ad eos misit, ibid. v. 22. 2. Tim. IV. 12. & hac ratione singularem suam solicitudinem pro Ephesiis cumprimis testatam facere voluit, ut Ecclesiam, quam tanta jam antea cura, fide solertiaque per triennium integrum (Act. XX. 29.) plantavit, irrigavit, excoluit, & præmonuit, ad perseverantiam in vera fidei & pietatis doctrina, adeoque in vita vocationi congruente, quin & ad progressus in utraque illa parte faciendos, animaret; ne vel persecutionis metu, vel mundi amore præpostero, vel pudore vinculorum & afflictionum, quas Evangelii causa sustinebat, vel denique luporum rapacium vulpiumve fallacium, quos in ipsorum gregem qua irrepturos, qua irrupturos præviderat prædixeratque, astu & fraudibus, à veritate Evangelica & pristina fidei puritate abduci se paterentur. Eam ob rem Apostolus non tantum beneficia maxima, quibus affecti à DEO sint Ephesii, cum generatim tum speciatim exponit, & felicissimum statum in quem collati sint, in memoriam iis revocat, sed etiam totius doctrinæ summam & præcipua capita reperit, & *Oeconomiam gratiæ inter gentes* pandit celebratque lucu enter, quod, illæ tamen non minus ac hi eorundem beneficiorum & privilegiorum participes factæ sint, sub uno capite Christo unum corpus constituant, adeoque digne vocationi segerant, unitati Spiritus studendo, veterem hominem

Ephes. I. *è vinculis scribit ad Ephesios.*

Ejus argumentum & Scopus.

Ephes. I. nem abjiciendo & novum induendo, DEUM imitando, opera tenebrarum fugiendo, officiaque singulis demandata faciendo, DEO vires & robur gratiose suppeditante.

Analysis & summa CAP. I.

CAP. I. Post *epigraphem*, qua Paulus autoritatem sibi conciliat, (Gal. I. 1.) & *salutationem*, qua animum declarat erga Ephesios benevolum, v. 2. eos ad autorem omnis benedictionis cœlestis in Christo deducit, v. 3. & complementum promissarum benedictionum omnium V. T. per semen benedictum (Gen. XII. XXII.) omnibus gentibus factarum respicit, & ad gratiarum actionem suo exemplo incitat fideles ex Judæis & Gentilibus, Gal. III. 8. 14. In enumeratione autem beneficiorum divinorum orditur ab *Electione*, cujus omnes causas admirando & vix explicabili artificio pertractat, & voce καθώς (v. 4.) ostendit decreti electionis ejusdemque exsecutionis conformitatem essentialem, quod DEUS non alio modo in tempore nobis benedixerit, nosque justificaverit, quam quo ab æterno elegerit, nempe in Christo, per ac propter eum, ex fide prævisa (v. 12.) ordinando media efficacia, per quæ ad fidem & adoptionem perveniremus (Joh. I. 12. Rom. VIII. 29. f. 2. Thess. II. 13. f.) non ex aliquo nostro merito, sed *juxta beneplacitum voluntatis* suæ gratiosæ, ut adeo omnis gloria tribui debeat soli ejus gratiæ, per quam ultro & proprio misericordiæ motu *nos charos* seu gratiosos *sibi reddiderit in* Filio *suo* unigenito & *dilecto*, fide apprehenso, Ebr. XI. 6. cujus præcognitum meritum ipsi unice placuerit, quemque miserit in tempore (Gal. IV. 4.) ut in eo haberemus *redemtionem per* divinum *ipsius sanguinem* (Actor. XX. 28. 1. Pet. I. 18. f.) indeque fluentem *remissionem peccatorum* omnium, & ex hac vitam, salutem, aliaque bona innumera, juxta abundantes divitias gratiæ suæ inexhaustæ, quam *uberrime* effuderit sive *redundare fecerit in nos*, per Spiritum S. *in omni sapientia & prudentia*, (1. Cor. II. 6. 10. 12.) spirituali, (Col. I. 9. ff.) *dum manifestaverit mysterium illud* decreti sive *voluntatis*

voluntatis suæ de salute hominum universali, per prædicatio- Ephes. I.
nem Evangelii (Joh. VI. 39. 40. Rom. XVI. 25. s. Eph. III. 4. 5. 9.)
ex qua fides oritur, (Rom. X. 17) *secundum beneplacitum su-*
um, *quod proposuerat apud se* in Christo, *ad dispensationem in*
plenitudine temporum (Gal. IV. 4.) exsequendam, eo spectan-
tem, *ut omnia* iterum *sub unum caput revocarentur*, & collige-
rentur *in Christo* & per ipsum, *& quæ in cælis & quæ in terra sunt*,
(Col. I. 19. ff. conf. Oeconom. V. T. Cap. I. §. 1.) Angeli &
homines, Judæi & Gentiles; hoc quidem ordine, ut illis (Ju-
dæis) prior in hæreditate cœlesti sors obtigerit per Christum,
quotquot in illum prius *sperarunt*, & secundum præstitutum sa-
lutis ordinem incesserunt, ut essent in laudem gloriæ ejus, ejus-
que gratiæ omnia accepta ferrent, v. 4—13. deinde vero etiam
Gentilibus, ac speciatim Ephesiis, consimili ratione, dum *ver-*
bum veritatis & salutis Evangelicæ prædicatum *audiverunt*, &
fide acceperunt benedictum semen, ita *ut in eo sint* quasi *sigillo*
obsignati Spiritu S. ipso, qui *Spiritus est promissionis*, *& arrhabo*
hæreditatis cœlestis, quo confirmentur *ad redemtionem* plena-
riam *acquirendam*, Rom. VIII. 16. s. 2. Cor. I. 21. s. Eph. IV. 30.
in laudem gloriæ ejus perpetuam, v. 13. 14. Pro tot tantisque be-
neficiis Ephesiis collatis, & cumprimis fide vera in C. J. qua illa
acceperunt, & charitate in omnes sanctos, Apostolus DEO
gratias agit, & simul precatur à DEO Patre, eosque ad idem fa-
ciendum suo exemplo tacite adhortatur, ut *Spiritu sapientiæ &*
revelationis donati & aucti, proficiant in agnitione Christi &
sui, *quo* ita *illuminatis mentis oculis scire* experirique possint, 1.
quæ, qualis, quanta & quam certa, læta & consolatione plena
sit *spes illa vocationis*, & bona speranda, (1. Pet. I. 3. 4.) ad quæ
vocati sint, (Coloss. I. 5.) *ac* 2. *quæ* quantæve sint *divitiæ glorio-*
sæ hæreditatis illius (2. Cor. IV. 17. Rom. VIII. 17. ff.) *in sanctis*,
fidelibus & electis, cumque iis aliquando percipiendæ plene, ut
nunc fide prægustent: *quæ* denique 3. sit *super excellens magni-*

Ephes. II. *tudo potentiæ ejus in credentes* quosvis, (sive Judæos, sive Gentiles,) ut possit abunde implere promissam illam spem, & inestabilem gloriam hæreditatis conferre, inque eam per afflictiones hujus mundi introducere, *secundum efficaciam roboris validissimi, quam* inprimis manifestam fecit & *exeruit in Christo, quando eum è mortuis excitavit, & collocavit in dextra sua, in ipsis supracælestibus*, in quibus regnat omnipotenter & omnipræsenter, non tantum in terra, sed etiam in cœlis & supra omnes cœlites, nempe supra omnes Angelos, eorumque omnes ordines & gradus, *supra omnem* adeo *principatum & potestatem, virtutem & dominationem*, (Coloss. I. 15. 16.) imo etiam *supra omne nomen* aliud celsissimum, *quod* cum gloria *nominari* solet, aut *potest, non solum in hoc seculo, sed etiam in futuro*, quod expectatur in regno gloriæ, Phil. II. 9. seqq. Neque nudum nomen, vel titulum sine re, honoris amorisque causa, ut in hoc mundo fieri aliquando solet, ei tribuit Pater, sed *omnia etiam subjecit* ei, quæ in cœlo & terra sunt, Psal. VIII. Heb. II. 8. subdiditque *pedibus ipsius*, ad humilimam obedientiam, ut eis dominetur pro arbitrio suo, plena divinaque potestate; inprimis autem *constituit eum caput*, quod *super omnia* imperet *Ecclesiæ, quæ est corpus ejus*, quod sibi unit, fovet, nutrit, implet spiritu gratiæ, roboris, solatii, Eph. III. 19. IV. 13. V. 29. 30. Conf. Coloss. II. 10.)

CAP. II. CAP. II. Efficacem illam vocationem in sortem & communionem sanctorum, tam Judæis, quam Ephesiis applicari supra cœptam, excellentemque illam efficacis DEI potentiæ magnitudinem, quam in ipsorum quidem fide & conversione aliqua ex parte cœpit exerere, sed longe plenius ac luculentus in Christi resurrectione, exaltatione & gloria cœlesti demonstravit, nunc uberius & distinctius applicare pergit Apostolus, & beneficium *vivificationis spiritualis*, cujus nomine cum justificationem & salvationem, tum regenerationem & renovationem

nem, eamque tam in hac vita inchoatam, quam in futura glo- Epheſ. II.
rificatione conſummatam, complectitur, ut ex ipſa tractatione patet, pulchre amplificat & illuſtrat à contrario, una cum cauſis ſuis, ita ut (1.) *mortem ſpiritualem* vivis quaſi coloribus depingat, cui non tantum Epheſii & reliqui Gentiles, ſed Judæi quoque *obnoxii* fuerint, *ob lapſus & peccata* varii generis, v. 1. quorum omnium & ſingulorum ſtipendium mors, Rom. VI. 23. ſive originale, ſive actualia ſint, *in quibus* ante converſionem ſecure *ambulaverint*, totamque vitam traduxerint, *ſecundum ſeculum*, mores & conſuetudinem *mundi hujus* corruptiſſimi & perverſiſſimi: idque non tantum propter ingenitam naturæ pravitatem, ſed & ob *Sathanæ* tyrannidem & faſcinationem, qui mortales, accepta ob peccata in eos poteſtate, ita excœcat ſeducit & impellit, ut ei vivant & ſerviant, tanquam *Principi* & DEO hujus mundi; Joh. XII. 31. XIV. 30. XVI. 11. 2. Cor. IV. 4. & niſi potentior JESUS eum viciſſet, æternis tenebris & ærumnis omnes illaqueatos detineret; *quique* etiam *adhuc* ſuæ tyrannidis efficaciam exerat *operetur que in* illis, qui contumaces *increduli* & rebelles Evangelio permanſerunt. Ac ne Epheſii putarent, Paulum ſibi præ aliis peculiarem quandam miſeriam aut malitiam tribuere, Judæos etiam (℣. 3.) *omnes*, & ſeipſum, ante acceptam per Chriſtum lucem, gratiam & vitam, ſimili conditione fuiſſe naturali declarat, utpote *in concupiſcentiis carnis* corruptæ oberrantes *& converſantes, & facientes* cum voluptate *deſideria carnis & cogitationum* vanarum ac mundanarum: & ſic æque *per naturam*, ut poſt lapſum depravata eſt, & naſcendo propagatur accipiturque (Gal. II. 15. IV. 8. ſ.) *filios iræ* & maledictioni æterni obnoxios, ac cæteras omnes gentes nationesque profanas. (2.) Vivificationis cauſam efficientem principalem, & impulſivam proximam memorat, v. 4. miſericordiam DEI inexhauſtam & opulentam, dilectionemque æternam, qua nos in Chriſto proſecutus eſt, (Exod. XXXIV. 7.

Ephes. II. Sir.II.23. Joh.III.16. Rom.V.8. Conf. Ephes. I. 3.4.6. (3.) Post repetitum subjectum è v.1. sed applicatum ad Judæos quoque, *causam meritoriam* & *actum* ipsum *vivificationis* exprimit v. 5. & beneficiorum inde fluentium, quod ea omnia ex CHRISTO ejusque & gratia & merito, ac in eo nobis contingant, v.6. (4) *finem* indicat, *ut demonstraret* ad oculum & re ipsa temporibus succedentibus, לעתיד לבוא vel בעולם הבא supereminentem *illam* & omnia *transcendentem opulentiam gratiæ suæ, pro benignitate erga nos in CHRISTO JESU*, v. 7. quam in salutis nostræ negotio se exseruisse probat, & prius asserta de translatione è statu iræ in statum gratiæ, uno verbo σώζεσθαι inclusa, repetit & confirmat amplius, ut harmonia decreti electionis ejusdemque executionis, Cap. I. 3. ff. quoque monstratæ liquido constaret, ac nil nobis nostrisve viribus aut operibus, sed omnia puræ puræ gratiæ & gloriæ divinæ adscriberentur, Rom. III. 27. 1. Cor. I. 31. cum toti, quicquid sumus aut valemus, *opus DEI simus*, de novo *creati in CHRISTO JESU*, & per eum, in regeneratione, *ad bona opera, ad quæ nos* ipse solus *præparavit* in causis suis, ante nos, donando nobis Christum ejusque spiritum, *ut in iis ambulemus*, per totam vitam, quo DEI nomen glorificetur, Ecclesia ejus ædificetur & adjuvetur, nosque ipsi in vitæ æternæ possessionem, tanquam viæ hujus metam ac terminum perducamur. v. 7 — 11. Tantorum beneficiorum inprimis ac semper memores Ephesios esse vult Apostolus, juxta cum pristini status recordatione, ut ex utriusque collatione tum ad gratias DEO & CHRISTO propterea dicendas, eo vehementius incitentur, tum denique ad salutis stadium decurrendum eo magis inflammentur. Quo nomine in Ephesiorum persona gentes omnes cum Judæis compones, v. 11. 12. earum (1.) miserrimam & ignominiosissimam conditionem, ante vocationem gratiosam & conversionem, graphice describit, quod 1. fuerint *sine Christo*, in cujus unius nomine tantum salus, (Act. IV. 12.) 2. *abalienati* à politia

politia Israëlis, 3. excluſi à fœdere gratiæ & ſpe vitæ æternæ, Epheſ. II.
imo athei, ſive veri DEI, cultus & viæ in cœlum cognitione deſtituti, conf. 1. Cor. XII. 2. (2.) ſtatum gratiæ, in quem translati & omnium beneficiorum ſpiritualium & æternorum una cum Judæis participes facti ſint, memorat, quando ex longe remotis ſpiritu, corde, cognitione, fide, amore, per & propter Chriſtum, ejusque ſanguinem & meritum, advocati, admiſſi, propinqui facti & cooptati in Eccleſiæ ſocietatem ſanctam & glorioſam fuerint, utpote qui Mediator interceſſerit, inter DEUM & nos, inter Gentiles & Judæos, & pacem ac ex utrisque unum corpus fecerit, ſublato pariete intergerino, *in carne* aſſumta, per corporis ſui proprii ſacrificium, ſicque abo-leverit & occiderit *inimicitias* earumque cauſas, *ex lege præceptorum, quæ in ritibus* poſita erat, ortas, & Ethnicos à Judæis ſeparantes, *ut ex duobus illis* populis *crearet in ſemetipſo*, tanquam capite & communi vinculo, *unum novum hominem*, myſticum & ſpiritualem, *eosque* inter ſemet charitatis & *pacis* fraternæ *vinculo devinciret, ac DEO* ſimul *reconciliaret in uno* eodemque ſuo *corpore*, pro utriusque in ſacrificium oblato & crucifixo, (Col. I. 20—23.) v. 13—17. (3) Modum declarat, v. 17. quo parta beneficia utrisque actu communicata & applicata ſint, nempe per prædicationem Evangelii, à Chriſto ipſo, magno illo Propheta, partim immediate, in propria perſona, partim mediate per Apoſtolos, factam, Heb. I. 1. II. 3. 2. Cor. V. 19. 20. non Judæis tantum, ſed & Gentilibus quibusvis, (Rom. I. 16.) eum in finem & effectum, *ut utrique haberent per* unum *iſtum* Salvatorem & Pontificem Max. J. C. *aditum* liberum *ad Patrem* cœleſtem placatum, cum per fidem in regno gratiæ, tum per translationem in regnum gloriæ, poſt beatam illam corporum reſurrectionem, Rom. V. 1. ff Hebr. XII. 8. ff. *in uno ſpiritu*, Rom. VIII. 16. 1. Cor. XII. 5. Gal. IV. 6. Epheſ. IV. 3. 4. omnes fideles inhabitante, regente, vivificante, mo-

Ephes. II. vente, fidem, spem, sensum affectumque eundem, ac denique eadem omnia in omnibus operante, tanquam unius novi illius hominis membris, eadem vita spirituali donatis, eademque velut anima, sub eodem capite, animatis, ℣. 18. Conf. *Rob. Bodii* Trochoregii Prælection. h. l. pag. 313. col. 1. (4.) Denique ex hactenus assertis & explicatis valide infert, Ephesios *non* amplius esse *peregrinos aut inquilinos*, (זרים ut v. 12. eos vocaverant Judæi) sed *concives sanctorum*, ac fœderibus, promissis sive privilegiis gaudere civium sanctæ civitatis, Philip. III. 20. *domesticos DEI*, quibus accessus pateat ad interiora, ut olim Sacerdotibus in Templo, qui videant omnia, fruentur mensa Domini &c. imo domum DEI, utpote *superædificatos* à DEO ipso, tanquam autore & architecto supremo, *super* unico *fundamento Prophetarum & Apostolorum*, quod omnes veri Doctores Verbi omni tempore docuerint & posuerint, ac jacere debuerint, (1. Cor. III. 11.) *ita ut sit lapis angularis* ipse ac idem JESUS CHRISTUS, qui & fundamentum est, Es. XXVIII. 16. jungens & uniens, inque unum comprimens diversitatem lapidum & parietum domus, Judæos & Gentiles, à summo ad imum, & ab imo ad summum usque, *in quo totum ædificium* apte *coagmentetur* & coaptetur in unius sensus harmoniam, vinculo fidei & charitatis, & *crescat* magis magisque, extensive & intensive, *in Templum sanctum* (quia Ecclesia proprie est congregatio sanctorum) *in Domino* J. C. & per illum, à quo omnis vita, sanctitas &c. per imputationem & Spiritus S. donationem, v. 19. 20. 21. Hanc Templi s. Ecclesiæ veræ descriptionem ad Ephesios speciatim accomodat, dicens v. 22. *eos etiam in* Christo lapide illo fundamentali simul & angulari, una cum Judæis conversis, ædificatos esse, per idem verbum, eundem spiritum, eandemque fidem, *ut sint habitaculum DEI per Spiritum S.* qui proinde ipsos quoque conversaturus, renovaturus ac sanctificaturus sit, si modo ejus ductui, motibus & opera-

operationibus locum relinquere & perseverare in afflictionibus constanter patienterque voluerint. Ephes. II.

CAP. III. Ostendit, se ejus rei gratia, scilicet, ut Ephesii aliæque Gentes in eodem illo ædificio spirituali magis magisque fundentur ac firmentur, inque gratia accepta semper crescant & proficiant, donec ea tandem in iis consummetur, preces indesinenter concipere & fundere ad Patrem gratiæ, pro munere suo Apostolico inter Gentes præcipue sibi concredito; quod ut debita fide impleat, omnia libenter & faciat & patiatur, & honori sibi ducat, quod *vinctus ille* sive captivus insignis, eorumque pene omnium, qui pro Christi nomine & Evangelii causa opprobria & afflictiones varii generis, tam à Judæis, quam à Gentilibus perferebat, antesignanus forte dici queat, quum certus sit, ea magis cedere ad Gentium conversarum bonum, profectum in Evangelio, & ædificationem, (Phil. I. 12. 25. Col. I. 24. s.) Hac occasione Apostolus, priusquam periodum inchoatam de precibus absolvat, digreditur non nihil prolixius ad muneris & ministerii sui Apostolici dignitatem usumque declarandum & commendandum, à ℣. 2. usque ad 14. quem totum contextum duodecim commatibus comprehensum, una continua parenthesi ideo, ac rectequidem, meo judicio, includendum censet *Trochoregius*, paulo ante citatus, prælect. h. l. p. 343. Col. 1. & Dn. Prof. *Franckius* Introduct. in hanc Epist. Orditur autem (1.) à conversione & vocatione sua singulari, quam Ephesiis tanquam notam satis supponit, eoque velut ad ipsorum scientiam & conscientiam provocat, ℣. 2. *siquidem audiverint* utique Oeconomiam s. *dispensationem illam gratiæ, sibi* ex gratia (Rom. I. 5. 1. Tim. I. 12. Col. I. 25.) *datæ erga gentes*, ut eas, prius aliens & extraneas, (Cap. II. 12.) ad DEI fœdus & familiam passim & undique evocaret, ipsis portam regni cœlorum per Evangelium reseraret, inque domum DEI sive regnum Gratiæ introductas alimonia spirituali pascceret CAP. III.

Ephes. III, pasceret & roboraret, donec in regnum gloriæ tandem transferrentur. (II.) Summam mysterii, cujus oeconomia sibi commissa sit per immediatam revelationem, (Gal. I. 1.) explicat illustratque, ac id ex duobus prioribus capitibus intelligi, quantum satis est, posse, affirmat, si diligenter & devote expendere scripta velint, ubi salutis tota ratio ex suis fontibus indicata, per omnes causas & media deducta, à contrariis suis illustrata, & fidelibus, ex Judæis Gentibusque in unius Ecclesiæ corpus collectis atque compactis, applicata perspicue sit, v. 3. 4. Versu tamen 5. ejus plenariam patefactionem Novo Test. reservatam scribit, ut alibi quoque fecit, (Rom. XVI. 25. & Coloss. I. 26. 27.) & v. 6. id speciatim exprimit, tribus verbis unionem & communionem Gentium cum Judæis ad Christum conversis, & ἀνακεφαλαίωσιν innuens, & ex antecedentibus repetendam significans, cujus fundamentum denuo inculcat, (*in Christo*,) & medium, (*per Evangelium*.) hujusque (III.) Evangelii ministrum & dispensatorem peculiari præ aliis omnibus Apostolis gratia & efficacia divina, factum se cum humilitate deprædicat, & hoc donum ac ministerium amplificat comendatq; ex objecto, quod *inter Gentes opes illas investigabiles Christi* (Coloss. II. 3.) Ephes. I. 3. ff. *prædicet* publice & *proferat in lucem omnibus*, *quæ* quantaque sit *illa communio mysterii in DEO* à seculis, imo ab æterno, *abscondito*, *qui*, ut *omnia* in tempore *per Christum creavit*, ita per eundem quoque tandem in carne manifestatum omnia instaurare, omnes, tam Judæos quam gentes illuminare, (Joh. I. 9. Luc. II. 31. 32. Actor. XXVI. 18. 2. Cor. IV. 6.) & salvare serio velit, v. 7. 8. 9. (IV.) Finem effectumque quendam specialem indicat, in manifestatione hujus mysterii, v. 10. nempe, *ut* non tantum hominibus sed etiam ipsis *Angelicis principatibus ac potestatibus*, quæ *in cœlis* sunt, *innotesceret* magis magisque *per Ecclesiam*, & ea, quæ DEUS in Ecclesia, ut omnia ita noviſſimo cum primis tempore facit,

multi-

multiformis & multifaria *illa ſapientia DEI*, quam demiſſe introſpicere deſiderant, 1. Pet. I. 12. eaque ex tam ſalutari oeconomia & gubernatione Eccleſiæ, variis ætatibus & periodis, perſpecta, DEUM propterea celebrant. Et ſane ſatis habent, quod hîc una nobiscum admirentur & collaudent, cum inde in clara luce poni videant *propoſitum* illud DEI *æternum*, in DEO abſconditum, (℣. 9.) quod fecit *in CHRISTO JESU*, conf. Cap. I. 9. 10. 11. & ſecundum quod omnia in tempore tam varie & ſapienter adminiſtrat, uno ſemper eodemque manente, tum DEI conſilio immutabili, tum ſalutis humanæ fundamento, inter tot viciſſitudines, periodos, vultus formasque Eccleſiæ diverſas, inter tot perſecutiones, Satanæ & Antichriſti machinationes &c. ℣. 11. Cumque hæc ſapientiæ DEI in myſterio profunditas ſatis perveſtigari vel exprimi nequeat, *utilitatem*, quam ex ea, Chriſti beneficio, homines habeant, paucis commendat, cum præcedenti capite fuſius omnia expoſuerit, nimirum 1. *fiduciam* & libertatem gloriandi de κοινωνία illa absque metu, à Spiritu adoptionis productam: 2. *acceſſum liberum in perſuaſione* cordis firma de DEI in CHRISTO dilectione (Rom. VIII. 38.) ad Patrem reconciliatum, Cap. II. 18. *per fidem*, quæ *in ipſum* fertur, tanquam Mediatorem & Pacificatorem, & manus inſtar ſibi applicat ejus juſtitiam, pacem, omnemque benedictionem ſpiritualem, v. 12. (V) Quæ utilitas cum ex miniſterio Pauli ad Epheſios redundaverit, inde paræneſin deducit, qua ab ipſis petit, *ne propter ſuas afflictiones* turbentur, animumve deſpondeant, aut ſuccumbant in profeſſione fidei Chriſtianæ, vel lapſi ſubſidant & ſubſiſtant in ſtadio illo ſemel incepto, antequam ad metam pervenerint. (Apoc. II. 5.) Non enim defuerunt inter Epheſios, è Judæis præſertim, qui in Apoſtolum Romæ vinctum tanquam maleficum & ſeditioſum hominem inſurgerent, mox apoſtaſiæ ſuæ à lege Moſis pœnas dignas daturum, atque ſic religionem Chriſtianam protinus ruituram, Epheſ. III.

Ephes. III. turam, sublata hac ipsius columna. Atque ut infirmiores adversus metum & scandalum præmonendo fortius præmuniat, tantum abesse debere ostendit, ut vel probrosum vel damnosum Ecclesiæ ducant, habere Doctorem omnium persecutionum generi expositum, ut contra hinc ipsis constantiæ argumentum exsurgat, quod *pro ipsis*, inque ipsorum bonum & salutem, tot ac tanta, tam promto alacrique animo, perferat, nec sub tanto onere & opere, ne in vinculis quidem & martyrio, fatiscat: imo *in gloriam cedat* ipsis multiplicem, v. 13. Post hanc digressionem, per parenthesin satis prolixam, insertam, redit Apostolus ad preces & supplicationes humillimas devotissimasque pro Ephesiis, è medius vinculis conceptas directasque ad verum DEUM, *Patrem Domini nostri J. C. ex quo* Patre *omnis paternitas* & familia, ex Judæis Gentilibusque collecta, sive ea jam *in cœlis* triumphet, sive adhuc *in terra* existat, & à Domino peregrinetur, *denominatur*, & domus vel Templum DEI sanctum dicitur, v. 14. 15. Petit autem, ut Pater cœlestis *secundum divitias* bonitatis *suæ* inexhaustæ & *gloriosæ*, (1.) *det* eis robur spirituale, ut divina *potentia corroborentur per Spiritum* æternum & omnipotentem, *ad interiorem hominem*, ratione animæ, quoad intellectus illuminationem majorem, Eph. I. 17. 18. quoad voluntatem, quo enixior sit promtiorque in bono, Jes. XXVI. 3. (Vid. *Coccej.* h. l.) quoad corpus & omnes vires, ut ita non tantum persistere valeant in illo novæ vitæ curriculo, quod semel ingressi fuerant, sed & hostibus omnibus, diabolo, mundo & carni resistere fortiter, & adversa omnia superare, v. 16. (2) *inhabitationem* constantem & perpetuam *Christi* ipsius, non quoad virtutem tantum, sed etiam præsentiam substantialem, vi promissionis Matth. XXVIII. 20. Joh. XIV. 23. & totius, secundum utramque naturam, *in cordibus* ipsorum, tanquam domiciliis & templis propriis, ut inde animam totam cum omnibus facultatibus, imo & corpus ejusque motus,

motus, actiones & opera præsentissime & gratiosissime regat & moderetur, 1. Cor. III. 16. VI. 19. 2. Cor. VI. 16. Quod *per fidem* ex parte Christianorum fieri, constat, quæ Christum non absentem, sed præsentem apprehendit, accipit & retinet, ut perpetuo maneat, licet nec videamus, nec intelligamus satis, quomodo in nobis sit. v. 17. Conf. *Chemnit.* de duab. natur. in Christo Cap. 30. (3.) *radicationem* & *fundationem* solidam *in charitate DEI* Patris, qua in Christo fideles prosequitur, quam ℣. 16. divitias gloriæ appellavit Apostolus, quæque effunditur in cordibus credentium per Spiritum S. Rom. V. 5. & non tantum immota in se est, verum etiam vires suppeditat, quibus DEO & CHRISTO ἀπτιστοπίστως adhæreant, nec ab eo ulla vi vel arte avellantur, Rom. VIII. 35. ff. quod nulla suo trunco radix, nullum suo ædificio fundamentum præstare potest. Quæ omnia eum in finem Ephesiis optat Paulus, ut *assequi* magis magisque *valeant cum omnibus sanctis* sive fidelibus, *quæ*, quanta, & quam ex omnibus partibus, secundum omnes suas dimensiones, infinita & incomprehensibilis sit charitas DEI, in qua ipsos radicari & fundari cupit; quod *latitudo* ejus sese extendat super universum mundum, Joh. III. 16. *longitudo* in æternum, *profunditas* sit imperscrutabilis, instar abyssi & maris, *altitudo* super omnem captum humanum & angelicum, ℣. 18. Inprimis comprecatur Apostolus, ut *cognoscant charitatem illam Christi*, qua miseros dilexit, & se non tantum pro iis in redemtionis pretium tradidit, (Rom. V. 8.) sed etiam æterno fœdere se unit cum fidelibus, eosque inhabitat, oxornat, firmat &c. quod tanta sit, ut *omnem cognitionem transcendat*, & omnibus rebus præstet, Phil. III. 8. *ut* tandem ita *impleantur ad omnem usque plenitudinem illam DEI*, in omnibus ditati per Christum, omni cognitione, 1. Cor. I. 5. & gustu, Phil. I. 9. adeo ut nullo charismate destituantur, ibid. v. 7. sed perveniant ad consummatam unionem, Joh. XVII. 23. Ephes. IV. 13. Tandem Ephes. III.

Ephes. IV. magnifica & ampliſſima doxologia preces ſuas finit, ad beneficiorum, pro quibus DEO ſupplicaverat, Apoſtolus, certam ſpem atque fiduciam in animis Epheſiorum producendam. Gratias enim agit DEO, velut jam voti compos, nixus ejus gratia & *potentia ſuperabundante* & *operante* efficaciter in fidelibus, quam ipſimet experiantur ſecum credentes ubique *in Eccleſia* per totum terrarum orbem diſperſa, *in* & à *JESU CHRISTO* vocata, fundata & confirmata, cui propterea etiam gratias ſempiternas reddere debeant, ℣. 20. 21.

CAP. IV. CAP. IV. Parti dogmaticæ Paulus nunc ſubjicit, pro more, convenienter paræneticam, ac ex priore infert obligationem, hortaturque pariter & obſecrat Epheſios, præmittens ſive amoris ſive autoritatis incitamentum, *vincti in Domino* titulum, primo generatim, ut, ceu *dignum* eſt vocatione tam gratioſa, tam excellenti & ſalutari, quæ ex ſuperioribus beneficiis intelligitur amplius, *ambulent*, ac totam vitam ita inſtituant, prout decet Chriſtianos, ſobrie ſc. juſte & pie, (Tit. II. 12. ſ. 1. Pet. I. 15.) v. 1. Deinde ad *unitatem*, *pacem* & *concordiam* inter Judæos & Gentiles ſtudioſe ſervandam cohortatur, veram & ſinceram, cujus autor Spiritus veritatis, pacis & dilectionis, per medium eo ſpectans, nempe *humilitatem mentis*, ortam ex conſideratione ἀδενείας noſtræ intima & divinæ majeſtatis gratiæque collatæ multitudine atque dignitate, & exſerentem ſe *manſuetudine*, *longanimitate* erga quosvis, inprimis autem erga fratres & domeſticos fidei, & *tolerantia mutua*, *in charitate*, (Coloſſ. III. 12. 13.) v. 2. 3. Ad quam unitatem ſpiritualem ſectandam & retinendam, multis argumentis utitur. (1.) Urget unitatem *corporis*, h. e. Eccleſiæ Chriſti, quia omnes fideles in Chriſto coagmentati ſint in *unum corpus* myſticum, in quo nulla diſcordia ſed harmonia potius & ſuavis conſenſio eſſe debeat. Conf. 1. Cor. XII. 12. 20. 25. (2.) unitatem *Spiritus*, quo totum corpus Eccleſiæ vivificatur, movetur, ac regitur, ut

omnes

omnes & singuli fideles idem sentiant, & agant, Actor. II. 46. Ephes. IV. IV. 32. Phil. II. 2. (3.) *unitatem spei* & vocationis ad hæreditatem vitæ æternæ, (Eph. I. 18 II. 18. v. 4.) (4.) unitatem *Domini* J. C. redemtoris catholici, Capitis & Sponsi. (5.) unitatem *fidei*, non tantum ratione objecti, sed etiam naturæ & officii, qua Christo inseruntur, & à qua, tanquam à radice, cum spes vocationis nostræ, tum communio cum sanctis, tum denique tota illa spiritualis vita consurgit. 2. Pet. I. 1. (6.) unitatem *Baptismi*, ℣. 5. quo Christo complantati, unum in ipso corpus evadunt, 1. Cor. XII. 13. (7.) unitatem *DEI ac Patris omnium* fidelium, per gratiam regenerationis & adoptionis (Eph. I. 3. s. 1. Pet. I. 3.) *qui super omnes, & per omnes & in omnibus* sit credentibus; ℣. 6. ut adeo in ipso uno omnes copulentur, Joh. XIV. 23. XVII. 21. Ne vero quis præter hæc communia Ecclesiæ toti & omnibus ejus membris dona, alia quoque multa singulis propria, unitati forte opponat, Apostolus hoc ipsum retorquet, & (8.) argumentum potius inde petit, ostendens, *cuilibet* quidem fideli *datam esse* donorum *gratiam, secundum mensuram donationis Christi*, qui, docente dicenteque Scriptura Ps. LXVIII. 19. posteaquam *ascendit in sublime, & captivam duxit captivitatem, dona* acceperit, & ex sua plenitudine immensa (Joh. I. 16. III. 34.) *dederit*, ceu per ἀνακόλουθον pulchre & valide probat, *hominibus*, quum ideo exaltatus sit supra omnes cœlos idem ille, qui inde in inferiores partes terræ descenderat, *ut omnia impleret* majestatice, cum præsentia, tum donis suis, quæ libere & liberaliter in Ecclesia distribuit, ac propterea constituerit quoque diversi generis doctores & ministros variis charismatibus instructos, sed non alium in finem, quam ad unitatem illam Spiritus promovendam & obtinendam, sive *ad coagmentationem Sanctorum, ad opus ministerii* rite perficiendum, *ad ædificationem corporis Christi*, Eph. II. 21. ss. *donec omnes perveniant ad unitatem fidei & cognitionis* salutaris *filii DEI, ad*

Ephes. IV. *hominem perfectum* & constantem, *in mensuram* ætatis vel *staturæ ejus*, quod *completur à Christo*, (Coccej. h. l.) Eph. I. 23. vel, (ut Seb. *Schm.* h. l. exponit,) quo Christus in hac vita provehit suos fideles; *ne* sint *amplius* sicut *pueri*, facile mobiles, aut ut naviculæ leves *fluctuent & circumferantur quocunque doctrinæ* falsæ *vento*, *per versutiam hominum* seductorum, & *astutiam* Pseudo-prophetarum, ad circumventionem vel methodum quandam artificiosam s. diabolicam circumveniendi & in errorem ducendi; sed potius *veritati* sincere & firmiter *adhærentes* per fidem, *in* vel una *cum charitate*, tanquam fidei prole, 1. Tim. I. 5. atque sic *crescant* & adolescant totaliter & perpetuo *secundum* & per *omnia*, quæ ad staturam & οἰκοδομὴν illam spiritualem spectant, ad fastigium usque, *in eum* ipsum evadant, *qui est caput* corporis mystici, nempe *Christus*, donec plene formetur in iis, iique quodammodo in ipsum transformentur, Gal. IV. 19. facti ejus substantia, & os ex ossibus ejus, caro ex carne ejus, Ephes. V. 30. *ex quo* & in quo, tanquam capite, corde & fonte in exhausto *universum corpus coagmentatum & compactum est*, *per omnes commissuras*, & tantum vitæ, nutrimenti & roboris *suppeditatur* & instillatur, quantum ad membri cujusque incrementum, *pro ejus efficaciæ mensura*, quam admetiri ei placuit, requiritur, *ad sui ipsius ædificationem in charitate*, ut tantum censeatur corpus totum crevisse in statura CHRISTI, quantum inter ejus membra unitatis & charitatis vinculum viget, per quam nemo alteri dona invidet, sed πρὸς τὸ συμφέρον sive ad commune Ecclesiæ bonum confert, v. 7.—17. Ex his infert Apostolus paræneſin, quam inchoaverat in Capitis principio, cum obtestatione gravissima, quod, qui in corporis mystici communionem beatam & sanctam adsciti sunt, ut vera & viva ejus membra fiant, tam cum Christo capite, quam cum toto corpore compacta, quibusque omnia divinæ potentiæ donata sint, quæ ad vitam spiritualem & pietatem requiruntur, debeant

debeant totum reliquæ vitæ curriculum convenienter vocatio- Ephes. IV.
ni & dignitati suæ transigere, adeoque penitus relinquere prioris status sub Gentilismo vitia & peccata varia & horrenda, (quæ velut hypotyposi quadam accurata ipsorum oculis objicit,) ex ignorantia & cœcitate cum nativa, tum affectata, perpetrata, v. 17 — 20. Conf. Cap. II. 1. 2. 3. Rationem adfert ab antithesi, quod *Christum non eo modo*, nec eum in finem *didicerint*, per Evangelii prædicationem, & vocationem ad ejus fidem & communionem, quod gentilium more vivere liceat, v. 20. cui correctionem quandam exegeticam subjungit v. 21. *si modo* vere & sincere *eum audiverint*, per verbum & Spiritum, exterius & interius docentem, atque in ipso edocti ac θεοδίδακτοι sint, Joh. VI. 1. Joh. II. 27. *quemadmodum est veritas* omnis & sola *in JESU* solo, omni ratione & respectu, (1.) personæ, quia ipsa veritas est, & אלהי אמת DEUS veritatis, sive ἀληθινὸς θεὸς Jer. X. 10. 1. Joh. V. 20. (2.) *doctrinæ*, Joh. I. 14. 17. VIII. 46. 2. Cor. I. 20. (3.) *vitæ*, Joh. XIV. 6. (4.) bonorum verorum, quorum participes reddit fideles. Quicunque igitur ipsum ita didicerunt, prout in ipso est veritas, illi à vana Gentilium doctrina & vita quam longissime absunt, & abesse debent; edocti nimirum (α) *deponere*, vestis instar sordidæ, *secundum pristinam conversationem*, Ephes. II. 2. 3. *veterem illum* peccati *hominem*, omnibus à natura insitum, originem ex mortalium primo trahentem, qui pro cæcitate & vanitate sua in omnibus actionibus etiam vitæ suæ *se ipsum* magis magisque *corrumpit*, & corrupte se gerit, peccatis actualibus, juxta & *per concupiscentias deceptrices* & fallaces, quæ, dum intus titillant incitantque voluptatem ad peccatum, per falsam spem utilitatis, gaudii, honoris, gloriæ, aut alterius boni apparentis, quo si vetus homo semel fruatur & potiatur, vel se felicem fore sibi spondet, vel animo pacato fruiturum, nihil minus reapse præstant, quam prima fronte promiserant, sed

longe

Ephes. IV. longe miseriorem, corruptiorem, desperatiorem, & ab omni vere bono, animi ἀυταρκείᾳ & beatitate remotiorem destituunt φιλήδονον. (β) Contra *vero renovari* magis *spiritu mentis*, interius & totaliter, sive in superioribus facultatibus, & eo, quod κυριώτατον & præstantissimum censuerunt sapientissimi quique, & quo tanquam dote quadam eximia maxime gloriantur atque superbiunt, eoque spiritum sive mentem tanquam reginam reliquis animæ viribus, in quibus ἀταξίαν aliquam agnoscere vel in viti cogebantur, præfecerunt, (vid. *Bodius* p. 562.) 1. Thess. V. 23. Mox clarius exponit, quomodo renovationem instituere debeant fideles, nempe *induendo* magis magisque & quotidie, 2. Cor. IV. *novum illum hominem*, *qui* olim, cum crearet opifex summus Protoplastos, *secundum DEUM* s. in imagine & juxta similitudinem, Gen. I. 26. 27. Col. III. 10. ejus *conditus* est, nempe *in* habituali *justitia & sanctitate illius veritatis*, quæ in JESU est, (v. 21. v. 22 — 25. Quæ vero potissimum deponenda, quæ resumenda sint, post generale præceptum εἰδικῶς ostendit Paulus, (1.) orsus haud immerito à *mendacio*; quia veteri homini fraudem & errorem, novo autem veritatem tribuit: ac diabolus mendax & pater mendacii, hocque ceu ejus effigies, naturæ nostræ per peccatum impressa, DEUS autem ipsa veritas, & hæc ejus imago est. Omne igitur *mendacium deponere*, contra vero *veritatem* in CHRISTO JESU amplecti vult Christianos, eamque in omni conversatione mutua exercere, dictis & factis, erga omnes, præsertim fidei socios, quia invicem membra sint ejusdem corporis Christi, in olubili vinculo compacta & colligata, v. 25. Conf. Ps. XV. 2. Zach. VIII. 16. 17. (2.) *Iræ* moderationem præcipit, iram non penitus prohibet, cum sæpe justa ejus causa, & necessaria sit; verum cavere sedulo jubet, ne renati modum excedant, aut justo diutius iram teneant, inprimis erga deprecantes culpam, sed cum occidente Sole extinguant; ne, si ei noctu indormiant, diabolo

bolo locum occasionemque opportunam dent, se inflammandi, Ephes. IV.
tentandi, & in peccata gravia seducendi, ℣. 26. 27. Conf. Ps. IV. 5. Matth. V. 21. 22. (3.) *Furtum* quodcunque in gentilismo olim à quopiam, & ex segnicie commissum, abesse vult à Christianismo, cum in eo non tantum injustitia sed & fallacia deprehendatur, illi bonæ fidei, veritati & sinceritati contraria, quæ inter membra ejusdem corporis esse debet. Cui malo remedium præscribit *laborem* utilem, honestum & necessarium, cum assiduitate ac sudore licet conjunctum, (Gen. III. 19.) ut non discat tantum homo, sed exerceat quoque & *operetur manibus* suis propriis id, quod *bonum* est, non quod voluptatibus aut superbiæ &c. inservit, & in damnum aliis cedit; sed quo sibi in certa vocatione acquirat, benedicente DEO, unde & honeste vivat, & *egenis* fratribus, tanquam membris, quorum unum pro alio laborare debet, *impertiri* quoque possit, ℣. 28. (4.) A manibus ad os progreditur, & non tantum à turpibus factis, sed & dictis, Christianos alienos esse, κατ' ἄρσιν καὶ θέσιν mandat. Os animi index, & sermo putridus, spurcus, futilis & grave olens, testatur de cordis pravitate, Matth. XV. 18. seq. Ex renati ergo ore *non prodiatur*, nec audiatur *ullum verbum putridum* & fœdum, sed, si surgat, statim suffocetur, ne extra dentium labiorumque septa prorumpat, DEUM hominesque fœtore suo offendat: contra vero prodeat è spiritualis hominis ore *sermo* non tantum in se *bonus*, sed etiam utilis & accommodatus *ad ædificationem*, (Col. IV. 6) in fide & vita, 1. Cor. XIV. 3. *ut gratiam det*, vel eam augeat confirmetve, *audientibus*, per divinam gratiam & efficaciam. Gravissimam autem rationem subjicit, cur abstinendum ab omni sermone futili, inani & obscœno sit, quod non tantum eo ædificatio, omnibus Christianis injuncta, (1. Thess. V. 11.) impediatur, verum etiam *Spiritus* ipse *sanctus DEI*, in fidelibus habitans & operans, manereque & operari bona semper in illis & per illos vo-

Ephes. V. lens, utpote *in quo obsignati sint*, Eph. I. 13. 14. *usque ad diem liberationis* perfectæ, Rom. VIII. 23. offendatur, *tristitia afficiatur*, & prorsus etiam expellatur, ỳ. 29. 30. (5.) Eandem ob causam tolli prorsus & exesse jubet omnes vehementiores affectus & effectus iracundiæ, (1.) *amarulentiam*, s. acerbitatem internam, & radicem felleam, ex qua reliqua, quæ sequuntur, pullulant, (2.) *excandescentiam*, s. inflammationem, quæ se prodit vultu, oculis, verbis &c. (3.) *iram* injustam, ultionis appetitu flagrantem, (4.) *clamorem* ingentem, inordinatum, ad contentiones, rixas & jurgia vergentem, (5.) *blasphemiam*, s. maledicentiam, Psal. LXIV. 4. CXL. 4. (6.) *omnem malitiam* & nocendi studium, quocunque nomine veniat, & colore tegatur, ỳ. 31. Contraria autem superioribus vitiis virtutes præcipit, tanquam novi hominis fructus effectusve, 1. *benignitatem*, 2. misericordiam, 3. injuriarum offensarumve condonationem, ad exemplum Patris cœlestis, ỳ. 32. (Conf. Matth. VI. 44. ff. Luc. VI. 36. Coloss. III. 12. ff.) quem ut imitentur, cum in offensarum condonatione, tum aliis in virtutibus, monet.

CAP. V. CAP. V. ỳ. 1. Cum summa religionis sit imitati, eum, quem colis, & filii Patrem referre debeant, hinc totum vitæ Christianæ cursum *in charitate* vera, sincera & reali transigendum hortatur, v. 2. proposito ad imitandum exemplo *Christi*, qui una cum Patre nos *dilexerit* ab æterno & hucusque constanter, & intensissime, adeo ut etiam *seipsum tradiderit pro nobis in mortem*, Joh. XIII. 34. XV. 12. s. Rom. V. 8. s. *oblationem* (קרבן Korban, quod generale vocabulum omnia sacrificiorum genera ambitu suo complectitur,) & *victimam* piacularem *DEO*, ita volenti & ordinanti (Ps. XL. 6. Es. LIII. Heb. IX. X.) *in odorem bonæ fragrantiæ*, quo fœtorem peccatorum nostrorum dissipavit, & Patrem placavit, ejusque æstuantem & inflammatam iram ita suavi gratoque suo sacrificio pacavit, ut in eo acquie-

acquiesceret, quemadmodum in typis V. Test. præfiguratum erat, Gen. VIII. 28. Exod. XXIX Lev. I. 9. II. 2. Tantæ dilectionis cognitio viva & efficax apprehensio, quæ fide fit, accendere utique omnes Christianos potest debetque, ut in charitate incedant, 1. Joh. III. 16. IV. 11. Eadem quoque consideratio credentes incitat, ut totos se Christo consecrent, & sacrificent, impuritates quascunque fugiant & sanctitatem sectentur, Rom. XII. 1. Quam ob causam Apostolus etiam digreditur hac occasione ad nonnulla peccata speciatim, quæ Gentiles pro talibus non habebant, & conversi quoque non semper prorsus deponebant, 1. *scortationem*, 2. aliam *quamcunque impuritatem* carnis, Rom. I. 24. 26. s. 1. Cor. VI. 9. atque 3. *avaritiam*, (conf. Cap. IV. 19.) ita exulare vult ab iis, qui sanctitatem profitentur, & Templa DEI purificata per fidem sunt, Act. XV. 9. ut *ne* quidem inter eos audiantur, aut *nominentur*, ne vel ex auditu eorum aliquis de Christianis secius quid suspicetur, & à Christianismi professione deterreatur: item 4. in verbis *obscœnitatem*, Coloss. III. 8. porro 5. *stultiloquium*, sermonemve omnem insulsum, nihilque ad ædificationem facientem, 6. *scurrilitatem*, in facetiis & jocis consistentem, & sub urbanitatis larva se tegentem, quam Aristoteles inter virtutes numerat. (Vid. *Dieteric.* in Illustr. N. T. *Victorin. Strigel.* & *Trochoregius* in h. l.) His omnibus vitiis, utpote *sanctis minime convenientibus*, licet mundani homines meliorum inopia, in scitia, aut fastidio se iis oblectent, & tempus fallant, unam in sermone virtutem opponit, & velut speciminis loco proponit, nempe *gratiarum actionem*, cujus tanta tamque diffusa est materia, ut nemo unquam totam eam exhauriat, cum novis semper beneficiis à DEO nostro cumulemur; tantus usus, ut inde DEI amor & in eum fiducia augeantur, sanctorum mutua communio fraternaque charitas intendatur & confirmetur; tanta denique necessitas & dignitas, ut non alium finem Scriptura nobis proponat, Eph. V.

Ephes. V. ponat, quam ut perpetua εὐχαριστία DEUM celebremus. (1. Cor. X. 31. Coloss. III. 17. 1. Thess. V. 18.) v. 3. 4. Conf. infra v. 20. Quia vero noverat, carnem non facile à velli à voluptatibus & non defuturos seductores, qui vanis sermonibus persuadere aliis conentur, hæc vel prorsus non esse peccata, vel certe non talia, ut hominem cœlesti regno excludant, iram DEI & exclusionem à regno Christi eos manere certo asseverat, qui in illorum consortium veniunt, cum contumacibus & rebellibus, gentilibus ac apostatis, v. 5. 6. 7. Conf. 1. Cor. VI. 9. 10. Gal. V. 19. ff. Quod igitur nil commune cum talibus habere debeant, probat ex novo statu & genere vitæ, ac ab effectu pœnitentiæ, regenerationis & renovationis, semel susceptæ, cum eos, qui ex tenebris Gentilismi emerserint in lucem Christianismi & *lux in Domino* (Joh. I. 9. VIII. 12. XII. 35.) facti sint, ambulare oporteat tanquam filios lucis, & *fructibus Spiritus* ostendere *in omni* omnisque generis *bonitate*, (Rom. XV. 14.) & beneficentia, (Gal. V. 22.) & omni *justitia*, DEO & proximo suum tribuendo, *ac veritate*, sine omni simulatione & fictione, in dictis & factis; (prout Apostolus superioribus capitibus hæc omnia prolixius tradidit) *probantes* semper probeque in luce DEI explorantes, ad lucem verbi, *quid Domino complacitum sit*, Rom. XII. 2. Phil. II. 10. s. *ac nunquam commercium habentes cum infrugiferis illis* & damnosis *operibus tenebrarum*, quæ Spiritus tenebrarum operatur in filiis incredulitatis, (Eph. 2.) quæque in tenebras illas extimas, Diabolo & angelis ejus præparatas, operarios iniquitatis præcipitant; *sed potius* ea *redarguentes* verbis pariter ac vita & exemplo, ut alios iis deditos in viam rectam ac ad lucem revocent; multa enim *ab illis secreto commissa* adeo *turpia* sunt, ut *ne* quidem nominare (v. 3.) vel *dicere* aut exprimere ac enumerare liceat; interim ea generali mentione evolvere & perstringere necesse, nec inutile esse, Apostolus indicat, cum *omnia* tandem opera tenebrarum, quamvis

vis occulte fiant, & opaca nocte tegantur ab hominum conſpectu, *dum à luce arguantur*, *manifeſta* futura ſint illorum conſcientiis, qui ea perpetrarunt, ut perſpecta fœditate vitiorum, ſe ipſos judicare, damnare, & DEUM publica ingenuaque turpitudinis ſuæ confeſſione glorificare incipiant, 1. Cor. XIV. 24. quia *lux*, ut naturalis, ſic ſpiritualis, *eſt illud, quod omnia manifeſtat* & conſpicua reddit: hoc proprium ejus officium, hicque effectus ejus eſt nativus, ỳ. 8—14. Atque hæc mox ỳ. 14. ex Scriptura probat, & his verbis, è Jeſ. LX. 1. quoad ſenſum & ſcopum præſentem, depromtis: *expergiſcere, qui dormis, & ſurge ex mortuis, & illuceſcet tibi Chriſtus.* Unde conſtat, ſalutarem gratiam in N. T. & Verbi lucem tam efficacem eſſe, ut det, quod exigit, ſpiritualiter cœcos dormientesve illuminet, & mortuos excitet, lucisque filios faciat, ac majus clariusque ſubinde lumen affundat iis, qui ſurgunt, inque luce ambulant. 2. Pet. I. 19. Conf. Epheſ. I. 17. ſeq. Phil. II. 15. Unde jam infert claris propriisque verbis, quod hactenus ſub metaphora lucis, & tenebrarum præceperat, monetque Epheſios, ut, quum lux in Domino facti ſint; & aliis prælucere debeant, *videant* ac probe diſpiciant, *quomodo accurate ambulent* & circumſpecte, *non tanquam inſipientes* & ſtulti, temere & inconſulto, cœco quodam impetu, ſine ratione omnia agentes, *ſed tanquam ſapientes*, omnium actionum principia, cauſas, fines, media, modum, & circumſtantias perpendentes, beneque agendi occaſionem non oblatam tantum arripientes, ſed etiam *opportunitatem* rerum quarumvis chariſſimarum jactura *redimentes*, mercatorum inſtar, qui quasvis quæſtus faciendi occaſiones obſervant & occupant, quiete, voluptate & vitæ ipſius periculo poſthabitis, per mare, per terras currunt; (conf. Coloſſ. IV. 5.) rationem adjecit hanc, *quoniam dies* hîc transigendi in Chriſtianiſmo *mali* valde & periculoſi *ſint*, propter diaboli hominumque malitiam, tot obices objicientium tantaque ſæpe Epheſ. V.

Ephes. V. ſpecie fallentium, ut niſi ſancta ſolertia & prudentia in tempore redimendo adhibeatur, nulla ejus pars libera & vacua relinquatur, quæ DEO conſecretur, inque noſtram & aliorum ſalutem procurandam aut promovendam impendatur, ℣. 15. 16. Has diaboli, mundi carnisque ſubdolas artes qui non advertit, imprudens & inſipiens eſt, ideoque denuo monet Apoſtolus Epheſios, *ne ſint* fiantve *imprudentes*, *ſed* contra *intelligentes*, *quæ* ſit *voluntas Domini* revelata, tum ad fidei lumen, tum ad vitæ normam, tum ad conſcientiæ pacem & aliorum ædificationem. In eo enim conſiſtit prudentia Chriſtiana, ut recte ſciamus, quæ ad vocationem & felicitatem noſtram ſpectant, & mature accurateque ſalutem operemur, Phil. II. 12. Conf. Hebr. IV. 1. Cum vero opportunitati bene agendi nihil magis obſtet, quam ebrietas, & ἀσωτία, eam cane pejus & angue fugiendam, ac nil magis ſpiritualem ſapientiam promoveat, quam Spiritus plenitudo, cum Spiritus S. ſit Spiritus ſapientiæ, intelligentiæ, ſcientiæ &c. Jeſ. XI. 2. hanc ſectandam præcipit, quam per hymnos & Pſalmos, odas ſpirituales, DEI laudes & gratiarum actiones ſe exſerere, indicat, ℣. 17—21. Conf. Col. III. 16. ſeq.

Poſt hæc Paulus ad ſpecialia præcepta progreditur, quæ ſpectant vel ad ſuperiores vel inferiores diſtincte, per paræneſin quandam generalem, omnes ordines ex æquo concernentem, *ſubjecti*, inquit, vel ſubordinati *alii aliis eſtote*, pro cujusque loco, ſexu, dignitate & vocatione, mutuas operas præſtando, & inſerviendo, idque *in timore DEI*, quam & cauſam impulſivam, & regulam, & finem mutui officii eſſe vult, ℣. 21. Auſpicatur autem à primo ordine, mulieribusque I. præcipit, ut *propriis viris ſubditæ ſint*, *tanquam Domino* & propter Dominum, ſic mandantem, Gen. III. 16. vere, ſincere, & ſpontanee, in omnibus, quæ Domino non ſunt adverſa. Vid. Coloſſ. III. 18. 1. Pet. III. 1. cauſas addit has: 1. quia *maritus* ex divina ordinatione

tione *caput* sit *uxoris*, *quemadmodum etiam Christus caput est Ecclesiæ, idemque & corporis sui Salvator*, 2. sic etiam vir sua autoritate, charitate & prudentia servet, tueatur, nutriat & regat uxorem, v. 22. 23. 24. Deinde II. Virorum officium uno *dilectionis* vocabulo exprimit, v. 25. eoque intelligit non communem dilectionem, sed specialem & singularem, quam vinculi conjugalis ratio requirit, consistentem vel exserentem se in ἐυνοίᾳ, συνεσίᾳ, provida cura, honore, patientia &c. 1. Cor. VII. 3. Col. III. 19. 1. Pet. III. 17. Causam & modum hujus dilectionis indicat illustratque exemplo Christi, & hac occasione transit ad immensam illam dilectionem, qua Christus Ecclesiam dilexit, describendo eam ex effectu longe maximo, quod *seipsum tradiderit pro ea* in mortem, Joh. XV. 13. ut sanguine suo sponsam sibi, Actor. XX. 28.) acquireret, *eandemque sanctificaret* remissione peccatorum, regeneratione & renovatione, *purgando per lavacrum aquæ in verbo*, sive per Verbum & Sacramenta, quibus fides ut correlativum correspondet, ac tandem in regno gloriæ *eam sibi sisteret gloriosam*, (Ps. XLV. 14.) *quæ non habeat maculam, aut rugam, aut quicquam eorum*, quod peccaminosum, aut vitiosum, aut imperfectum sit, sed ut plene *sancta, & immaculata* sit, non tantum in se, sed talis quoque appareat omnium judicio. Hanc admirandam Christi charitatem accommodat ad rem, quod pari ratione viri uxores suas diligere ac studere debeant, ut eas quoque sanctas sistant DEO, ac aliam rationem addit, quod sicut *sua ipsorum corpora* eas diligere, fovere & nutrire par sit, quod iterum probat collatione mysticæ conjunctionis Ecclesiæ ac Christi eam implentis & instaurantis: denuo rediens ad doctrinam istam, affirmat, fideles esse *membra corporis, de carne & ossibus ejus*, mystico plane modo, per regenerationis gratiam, 1. Cor. XV. 45. 48. & huc quoque applicat verba Genes. II. 24. & diserte explicat de unionis spiritualis mysterio inter Christum & Ecclesiam, v. 26 — 32. tandemque (v. 33.) Ephes. V.

Ephes. VI. (v. 33.) redit ad officium maritorum & uxorum, ac id summatim concludit, ut utrique Christum imitentur, illi Christi amorem erga Ecclesiam, hi ad timorem reverentialem Ecclesiæ erga Christum.

CAP. VI. CAP. VI. A Conjugibus Apostolus ad liberos descendit, & parentes, ac mutua utriusque officia præscribit, è quarto Decalogi præcepto deducta: illis quidem, *in Domino* injungit *obedientiam* inprimis, quæ subjectionem importat, ex interna cordis reverentia profectam, cumque sincero mandata parentum exequendi studio conjunctam, ut ita facile omnes reliquas officii debiti partes complectatur; quo magis autem ad præstanda observanter officia liberos, & quotquot hoc nomine intelliguntur, impellat moveatque, subjungit promissionem singularem & insignem: his autem, *ne* per nimiam austeritatem & severitatem *liberos ad iram provocent*, aut irritent, ut animum despondeant, Coloss. III. 21. & parentes disciplinamque omnem odisse incipiant; *sed* ut *eos enutriant*, iis necessaria vitæ subsidia præbeant, & cum primis etiam prospiciant de *institutione* pia ac disciplina Christiana, & *admonitione* assidua, à Domino injuncta, Deut. VI. 7. Domino grata & ad Dominum ejusque timorem ducente, v. 1 — 5. A liberis & parentibus progreditur ad *servos* & dominos, & *illis* itidem *obedientiam* erga dominos suos *secundum carnem*, (non spiritum,) injungit, æque ac liberis erga parentes, sed convenientem illorum statui, *cum timore & tremore*, (1. Pet. II. 18.) *in simplicitate cordis*, sepositis fraudibus, dolis & simulationibus, non coacte, sed μετ' ἐυνοίας *tanquam Christo* ministerium exhibendo, qui corda intuetur, & sinceritatem inprimis requirit, cui ὀφθαλμοδουλεία καὶ ἀνθρωπαρεσκεία improbatur & damnatur, contra vero fidele servitium gratum, nec sine larga compensatione est, v. 5 — 9. (conf. Coloss. III. 2. ff.) *his* præcipit, ut *eadem* (τὰ αὐτὰ) etiam servis præstent, quæ herili vocationi & conditioni congruunt, ac

ac nominatim *remittant* & relaxent *comminationes* atroces, ri- Ephes. VI.
gorem, sævitiam & inclementiam omnem; contra vero erga eos se exhibeant justos, benignos, moderatos, æquanimes, eademin DEUM pietate & reverentia, eademque animi simplicitate eos prosequantur, reputantes secum atque *scientes* probe, quod Dominum in cœlis habeant, cui reddere rationem debeant, quique sine ullo personarum respectu judicet, ℣. 9. Coloss. IV. 1.

Tandem Epistolæ finem impositurus Apostolus, omnia in summam colligit, & præceptum generale valde convenienter substernit ad militiam attinens Christianam, ac proinde ad omnium superiorum paræneſium praxin summe necessarium. Monet autem excitatque (1.) fratres omnes ad fortitudinem & alacritatem in certamine subeundo: (2.) unde robur & arma petere queant, eos instruit, nempe à *Domino* ipso, qui nos roborare & invincibiles reddere possit & velit, si fide firma apprehendatur & induatur, utpote in quo & à quo παντοπλίαν habeamus, ut non tantum quoad omnes partes tuti rectique simus, sed propellere etiam hostes, consistere tanquam victores adversus omnes insidias, machinationes, artes sophisticas & stratagemata diaboli ejusque angelorum (Apoc. XII. 12.) valeamus, ℣. 10. 11. (3.) Necessitatem indicat talis roboris domini, *quia lucta* fidelibus sit *non* tantum *cum* infirmis *hominibus*, sed etiam *cum* diabolicis *principatibus*, infernalibus *potestatibus*, *dominis mundi*, (2. Cor. IV. 4.) *tenebricosi* & in malo positi; (1. Joh. V. 19.) *& hujus seculi*, *spiritualibus malitiæ in supracælestia* sese insinuantibus, adeoque ipsum spiritum & animam nostram subtilissime tentantibus & impugnantibus; unde ipsimet colligere possint, omnino opus esse, ut *universam istam* spiritualem *armaturam DEI assumamus* & induamus, *quo* tot tantisque malis & hostibus *valeamus* fortiter *resistere* fide, (1. Pet. V. 9.) *in die malo*, sive toto præsentis hujus vitæ curriculo & periculo nunquam

Ephes. VI. non objecto & structo, *& omnibus confectis*, superatis & victis, post victoriam *perstare*, quamdiu tempus adversum durat, v. 12. 13. (4.) Quomodo autem fideles stare debeant semper, & quæ armaturæ sacræ partes, quomodo sigillatim induendæ ac adaptandæ sint, graphica ostendit descriptione, ac 1. vult eos *stare* bene, & stationem servare, *cinctos lumbis*, quasi balteo, quoad interiorem hominem, *veritate* in CHRISTO JESU (IV. 21.) pura, & perfecta, omni errori, hæresi, hypocrisi, fraudi mendacioque contraria, quam inprimis Diabolus, mendacii Pater, impugnat, corrumpere & evertere studet: 2. *indutos lorica justitiæ* Christi, Jes. LIX. 16. 17. qua pectus & cor optime communitur, in se habens Christum habitantem: 3. *calceatos* & ocreatos *pedibus* atque cruribus, *in præparatione Evangelii pacis*, quod non tantum basis est & fundamentum, quo pedes tuto consistant, sed etiam præparat & armat sua δυνάμει divina (Rom. I. 16.) sinceros & constantes ejus confessores, ut promte alacriterque quævis agant & patiantur, ad cursum & certamen perficiendum, ut pacem DEI ὑπερέχουσαν retineant, & coronam vitæ gloriæque promissam obtineant, ac in æternam requiem intrent. 4. ante omnia autem & cum omnibus istis apprehendi jubet *scutum fidei*, in certaminis depugnandi usum, cum sine eo nullum cæterorum armorum profit sufficiatque; fides enim apprehendit θυρεὸν, qui scutum est fidelibus, Gen. XV. 1. & petra &c. Ps. XVIII. 3. XCI. 1. ff. imo omnia; adeo ut hoc scuto armati *omnia* omnino *tela* venenata & *ignita*, i. e. peccata & tentationes varii generis, *pessimi illius* tentatoris diaboli, feliciter *extinguere* possint. 5. Porro & caput tegi vult *galea salutis*, quæ est spes certa, fidei conjunctissima, & ex ea proxime nascens, 1. Thess. V. 8. in cœlum suspiciens, & per densissimas periculorum procellas ac turbines, auxilium liberationemque certam constanter exspectans. 6. Manus demum armat *spiritus gladio*, id est, Verbo DEO vivo, efficaci &c. Hebr. IV. 12.

quo

quo utrinque, ad dextram & sinistram, insultus hostium de- Ephes. VI.
pelli valide possunt, si recte quis eo utatur, ℣. 14—18. Post-
hæc medium commendat, arma prædicta à DEO impetrandi
& salutariter usurpandi; cum tanta sit nostra infirmitas, ut nisi
Dominus perpetuo nobis adsit, nos roboret, fundet & firmet,
nihil simus, aut possimus. Id vero, ut fiat, precibus opus esse
docet, quarum partes aut species, (διὰ πάσης προσευχῆς καὶ δεήσεως)
adjuncta conditione, (*omni tempore in spiritu* Luc. XVIII. 1. ſſ.
Joh. IV. 23.) præsidia, comites & adjumenta, (*vigilantiam &
perseverantiam*) objectum, (*pro omnibus sanctis & me*) aliaque
ad naturam, vim & usum orationis facientia, breviter & ner-
vose indicat, ℣. 18. 19. 20. Conf. Coloss. IV. 2. 3. 4. Postremo,
cum sciret Paulus, Ephesios de suis quoque rebus cupere eru-
diri, de iis Tychicum coram relaturum, utpote eam ob causam,
& ut corda ipsorum moneat ac consoletur, si intelligerent, mor-
tem sibi imminere, missum subjicit, ac voto consueto Epistolam
finit, ℣. 21—24.

XXXV.

Talia cum ad Ephesios scripsisset Paulus, ad *Timotheum* II. *Epistolæ*
etiam, tum Ephesi adhuc agentem, quemadmodum, juxta *ad Timoth.*
Flacium, ex eo colligi potest, quod Priscam & Aquilam ibi ha- *occasio, sco-*
bitantes, & Onesiphorum, Ephesium, salutare jubetur, & sub- *pus & sum-*
scriptio quoque probare videtur, tametsi haud ignorem, sub- *ma.*
scriptiones plerumque parum esse convenientes, hanc Episto-
lam dedit, posteaquam nullam ex vinculis, quibus constringe-
batur, spem liberationis concipere amplius poterat, (Cap. IV.
6. seqq.) & vel ex revelatione Spiritus S. beatam suam ἀνάλυσιν
instare, cognitum habuerat. Paterna igitur Apostolicaque
solicitudine motus, præsenti Epistola, velut *testamento*, ut
Chrysostomus recte censet, omnes suas priores Epistolas, & uni-
versam doctrinam, torque Ecclesiarum præclarissimas consti-
tutiones informationesque, quas tam longa ardentissimaque

2. Tim. I. prædicatione erexerat, confirmare, & Timotheum, ac sub ejus nomine omnes Doctores & auditores, admonere voluit, ut acceptam à se doctrinæ salutaris formam in fide & charitate constanter servarent, & contra impostores, novissimis temporibus exorituros, tuerentur, persecutionesque patienter sustinerent. Cap. I. 13. 14. III. 1. seqq. Eam ob causam quoque Timotheum ad se vocavit, ut eum de his omnibus plenius instrueret. IV. 9. 21.

CAP. I. CAP. I. Post epigraphem & piam salutationem, ℣. 1. 2. convenientem fere per omnia cum ea, qua usus est in priore Epistola, amorem suum paternum erga Timotheum declarat 1. in eo, quod *perpetuo in precibus* suis *illius mentionem faciat*, illumque *videre* vehementer *desideret*, ut ex ejus conspectu gaudium capiat. 2. quod *DEO* (*cui servire* se dicit *in pura conscientia à majoribus*, Patriarchis & Prophetis, in Christianismo, cum & illi Christum agnoverint & coluerint, Actor. XV. 9. 11. 1. Tim. I. 5.) *gratias agat pro sincera* discipuli *fide*, quæ prius etiam in avia & matre ipsius habitaverit, ℣. 3. 4. 5. Quo ipso Timotheum simul excitare voluit, ut tantam gratiam DEI grato animo agnoscat, & propterea eum mox monuit, ℣. 6. ut *dona DEI* gratiosa & gratuita, partim sua institutione, partim ordinatione collata, magis magisque *suscitet*, jugi verbi meditatione, precatione, studio, & exercitio, ne, si horum quid omittatur, igniculi illi, à Spiritu S. in corde accensi, extinguantur (1. Thess. V. 19.) sed ut potius adolescant, aliosque inflamment ad fidem, charitatem, ac similes virtutes Christianas, etiam inter calamitates, pericula & gravissimas persecutiones. Cujus monitionis rationem hanc profert, ℣. 7. quod DEUS non dederit fidelibus *spiritum timiditatis*, quem diabolus potius afflat, vel caro ratione nostra suggerit, ut ad quosvis strepitus, vel tentationes territi animum despondeamus, aut remittamus, sed spiritum 1. *potentiæ*; adeoque satis validum ad sufferenda omnia pericula & vincendos adversarios: *charitatis*, qui ardentissimi

mi amoris ignem in fidelium cordibus accendit, Rom. V. 5. exar- 2 Tim. I.
descentem in DEUM & proximum, qui timorem expellit 1. Joh. IV. 18. contra vero fortitudinem suggerit; 3. *sobrietatis*, qui non tantum in malis perferendis castigat pusillanimitatem, sed etiam justam omnium actionum moderationem suppeditat, & animum solide tranquillat, quod diligentibus DEUM omnia in bonum cedant, Rom. VIII. 28. Unde infert ỳ. 8. Timotheum *non* debere *erubescere* 1. *testimonium* sive Evangelium *Domini nostri* J. C. de ejus cruce & morte, quod ignaris & incredulis stultitia & ignominia videtur quidem, sed Oeconomiæ salutaris rationem cognoscentibus & credentibus DEI potentia & sapientia est, 1. Cor. I. 18. 23. 24. ac plenissima gloriæ, (ut *Chrysost.* h. l. uberius docet,) 2. *neque se, ejus* causa *vinctum*, Eph. III. 1. 13. Rom. I. 16. quin potius 3. promtum paratumque esse una quoque cum Evangelio ejusque confessoribus & præconibus portionem adversitatum patienter sustinendi. Quia vero hoc durum videbatur & infirmitati humanæ impar, addit animum & solatium, dicens: *secundum* vel per *potentiam DEI*, vires sufficientes largientem; hujusque virtutis argumenta subjungit, petita ex *salvatione & vocatione*, facta nobis nullo nostrorum operum merito, *sed secundum propositum proprium* benevolum, *& gratiam datam nobis in CHRISTO JESU ante tempora secularia*, (Eph. I. 4. seqq.) *manifestatam per* illustrem *apparitionem Salvatoris, qui aboleverit mortem, vitam vero & incorruptibilitatem in* apertam *lucem produxerit per Evangelium*, quo promulgata ubique ista ἐυδοκία & gratia singularis fuerit, indeque innotuerit, quale propositum Pater cœlestis ab æterno habuerit, cui executio dilucide respondet, illudque satis explicat, ỳ. 9. ff. Hinc colligi dabatur Timotheo & nobis omnibus dabatur, quod, quæ *Chrysostomi* est illatio, si DEUS & potens est vocando, & bonus idque per gratiam non ex debito faciendo, nihil metuere oportet. Qui enim cum immici essemus, salvos

2. Tim. I. per gratiam fecit : multo magis cum strenue operantes & mala propter Evangelium patientes viderit , auxilio & robore suo (συμπράξει) illis aderit, ℣. 9. 10. Quæ suæ spei exemplo confirmat, ut discipulum fortius alliciat, affirmans, *se* à DEO *constitutum* Evangelii *præconem* , *Apostolum & doctorem gentium*, libenter *illa* omnia *pati*, *ac minime erubescere*, *quum* certo *sciat*, *cui crediderit*, nempe Domino veraci, & *persuasum habeat*, quod omnipotens & clementissius DEUS possit velitque *depositum* cœleste (infra IV. 18.) *in illum* adventus novissimi *diem* custodire, ℣. 11. 12. Non vero solum ad exemplum suum revocat discipulum, sed etiam ad doctrinam puram & sanam salvificamque, à se traditam, cujus *ideam*, *archetypum*, exemplar & expressam delineationem ipsum sequi & servare constanter vult, *in fide & charitate Jesu Christi*, ℣. 13. quæ summa, finis & scopus sunt sanæ doctrinæ, 1. Tim. I. 5. à quo qui deviant, falluntur & fallunt, 1. Tim. VI. 3. ſſ. Atque hoc pretiosissimum depositum, ipsi propositum & commendatum , quomodo *custodire* possit & debeat , statim ostendit , nempe *per Spiritum S.* qui in fidelibus habitat , in omnem veritatem ducit, illuminat, roborat, excitat, custodit, obsignat , & solus sufficit in omnibus tentationibus & afflictionibus , etiamsi nemo hominum adsit, aut adjuvet. Quod iterum suo exemplo ostendit , quando , quemadmodum haud latebat Timotheum , *omnes Asiaticos* Doctores , qui vel tum Romæ fuerant , vel de arctioribus suis vinculis in Asia audiverant, indeque mortem præsagierant , se deseruisse periculi metu, interque eos præcipuos *Phygellum* & *Hermogenem* , DEI autem præsidio & robore nixum se conservatum , memorat ; (vid. infr. IV. 16. 17.) excipit tamen *Onesiphorum* , cujus studium in se & beneficentiam impense laudat, eique & domui ipsius largissimam à DEO retributionem precatur, ℣. 14 — 18.

CAP. II. CAP. II. Ex superioribus & exemplo suo cumprimis infert (1.) admonitionem validam & affectu paterno plenam, ad

ad ſtrenuam militiam, oſtendens ſimul, unde vires ſufficientes conſequi poſſit. *Corroborator*, inquit, *in gratia, quæ eſt in CHRISTO JESU*, per eum parta & propter eum data militibus ſpiritualibus, petentibus, fideque ac charitate verbo excitanda, ℣. 1. (Cap. I. 8. 9. 12. 13. Conf. Epheſ. VI. 10. ſſ.) Et cum Timotheus non gregarius miles ſed dux in ſacra militia ſit, jubet eum (2.) alios inſtruere, ac *depoſitum* egregium *à ſe acceptum inter multos teſtes deponere*, commendare ac tradere rurſus *fidelibus hominibus, qui idonei ſint, ut alios etiam doceant*, ſicque forma iſta ſanæ doctrinæ in fide & charitate ad ſeros usque poſteros ubivis propagetur. Quibus verbis volebat, ceu *Flacius* in Gloſſa h. l. vult, ut Timotheus *ſcholam publicam Theologiæ* inſtituat, ubi informet ac educet ſtudioſos, adhibito magno delectu ingeniorum, morum atque donorum, ad tantum opus neceſſariorum & accommodorum. ℣. 2. (3.) Denique omnes partes militis ſtrenui JESU CHRISTI eum præſtare ac eo nomine labores adverſitatesque quasvis ſuſtinere fortiter, præcipit, cum maxima dignitas ſit ſub ducis Chriſti militare vexillis, ℣. 3. Quod tribus elegantibus ſimilitudinibus illuſtrat, quarum *prima* deſumta eſt à caſtrenſi militia, cui qui ſe dederit, id unum agat, ut, abdicatis omnibus negotiis ſecularibus, placeat Imperatori ſuo, ℣. 4. *altera* ab athletis, qui non coronentur, niſi per omnia certaminis legem ſervaverint, (*Chryſoſt.* h. l.) ut ſobrius, gravis conſtansque ſit, & ad finem usque perſeveraverit, (Matth. X. 22.) ℣. 5. *tertia* denique ab agricolis, qui non niſi poſt exantlatos duros multiplicesque labores fructus capiant, ℣. 6. Quatum ſimilitudinum ſcopum diligenter attendere & applicare jubet, ſimulque à Domino precatur *intelligentiam in omnibus* rebus ad miniſterii militiæve munia rite obeunda, ℣. 7. Hinc exemplum Chriſti in memoriam diſcipulo revocat, qui paſſione ſua mortem proſtraverit, & ex mortuis reſuſcitatus in gloriam intraverit, ſecundum Evangelium à ſe prædicatum, & in- 2. Tim. II.

dubitatis

2. Tim. II. dubitatis testimoniis comprobatum, 1. Cor. XV. in quo ipse laboret usque ad vincula, tanquam malefícus, & tamen vinctus non vincatur, sed libere currat: & propter quod patienter toleret, in electorum gratiam, ut & hi salutem consequantur in CHRISTO JESU, quemadmodum eos fide consecuturos ab æterno præviderat DEUS, *cum gloria aterna* futura, ℣. 9. 10. quam impetraturos omnes Christo (Rom. VI. 4. ff.) commorientes & perseverantes in fide, asseverat, & ad ipsa verba Christi respicit, quibus Matth. X. 32. 33. promisit, se suos Confessores confessurũ apud Patrem cœlestem, minatusque est, se abnegantes se abnegaturum, & pro suis non agniturum, v. 11. 12. *qui* semper *verax* sit & maneat fidelis, seque ipsum abnegare nequeat, v. 13. Hæc sedulo & frequenter inculcari Christianis à Timotheo vult, quæ de doctrina & moribus, sive militia sacra legitime exercenda, proposuit, obtestando per Dominum JESUM, tanquam autorem & testem monitorum præsentem & omnipotentem, non verbis inanibus contendendo, quippe quod non tantum *nihil* ad ædificationem *prosit*, verum etiam *ad eversionem audientium* faciat, (1. Tim. VI. 4. f.) sed *studendo* potius, *ut seipsum exhibeat* sistatque *probatum DEO* militem, & *operarium non erubescendum*, rite tractantem & *recte secantem verbum veritatis*, tribuendo cuique partes debitas & accommodatas, (ut fieri olim in sacrificiis Leviticis solebat,) ex lege & Evangelio, convenienti ordine, tempore, loco &c. v. 14. 15. Cur hæc accurate observare, profanas autem inanesque vocum disceptationes & clamores aversari, fugere & cohibere debeat, hanc adfert rationem, quod supervacaneæ istiusmodi disputationes, licet per se non videantur extreme impiæ, semper tamen ad majorem proficiant impietatem, in reprobum sensum inducant, faciantque, ut invalescentibus humanis dogmatibus ac logomachiis obruatur, obscuretur & obsolescat vigor Evangelicæ doctrinæ, (Eras. Paraphr. h. l.) siquidem

dem *sermo istorum*, qui nugis & inanitatibus dediti sunt, si semel aures animosque simplicium occupaverit, *tanquam cancer* in corpore animantis latius *serpat* depascatque, donec omnia inficiat & corrumpat, quales fuerint *Hymenæus* ac *Philetus*, qui indulgentes sibi suisque speculationibus & novitates vanas confingentes, à veritatis Evangelicæ scopo aberraverint, *dicentes*, resurrectionem jam factam, neque aliam exspectandam esse, sicque *quorundam fidem* quæ spe resurrectionis inprimis etiam nititur, (1. Cor. XV. 12. ff.) jam *subverterint*, & Sadducæismo ac Epicureismo frena laxaverint, ℣. 14--19. tales autem, qui se tam cito dimoveri à fide passi sunt, stabiles satis non fuisse, innuit Apostolus, &, ne statim pii periculum timeant, ac si quorundam perversitas Evangelicam veritatem prorsus evertat, consolationem adhortationemque subjicit; illam, quod *fundamentum* fidei salutisque nostræ, *à DEO* positum & fundatum, Dominoque nostro J. C. è mortuis resuscitato, & suos resuscitaturo nixum, firmum, solidum & stabile sit, nullis hæreticorum fraudibus oppugnationibusve labefactandum, utpote hoc sigillum, annullo veritateque DEI obsignatum & confirmatum, vi fœderis gratiæ, habens: *novit Dominus*, pro sua omni scientia, *qui sint ipsius*, & cum ipso, ipsum unice respicientes & fide constanter ipsi adhærentes, eosque amat, curat, defendit & firmat; (Joh. X. 14. f.) sed una quoque à fœderatis suis postulat, *ut discedat ab* omni *iniquitate*, *qui nominat nomen CHRISTI*, illud recte novit, profitetur & invocat. Quicunque igitur pacto fideliter steterit, ab omni injustitia ambitiosaque curiositate recesserit, non habet, quod terreatur, & ad dubitationem desperationemve commoveatur; quia fideli & satis potenti gaudet Domino, ℣. 19. Nec esse monet, cur quis miretur, quod in Ecclesia quoque mali sint; cum ita fere cum ea comparatum sit, ac *cum ampla* divitis *domo*, ubi *non tantum aurea & argentea*, *sed etiam lignea fictiliaque vasa sint*, *alia quidem in* 2. Tim. II.

2. Tim. III. *honorem, alia vero in ignominiam*; nisi quod in mundo, quæ natura argillacea vel lignea vasa sunt, aurea argenteave fieri nequeant, (vid. *Chrysost.* h. l.) in domo DEI autem, sive in Ecclesia, fieri possit, *ut, si quis seipsum*, opitulante Domino, & efficacia media suppeditante, *emundaverit ab istis* impuris personis & rebus, *sieri* vel declarari *queat vas in honorem* DEI, *sanctificatum & utile Domino, ad omne opus bonum præparatum*, ℣. 20. 21. (Conf. Rom. IX. 23.) Hinc infert paræneſim & ad cœptum redit, ac monstrat, à quibus sordibus seipsum Timotheus expurgare & quas virtutes sectari debeat; *fugere* eum vult *juveniles concupiscentias*, quæ facile ad impuritatem, ambitionem, logomachias, contentiones, *stultas indoctasque quæstiones* pertrahunt, *persequi* contra omni nisu *justitiam, fidem, charitatem, pacem*, (1. Tim. VI. 11.) *cum omnibus qui invocant Dominum puro corde*: addita causa, quod *servum Domini non deceat esse pugnacem, sed placidum* & mitem *erga omnes, idoneum ad docendum* res salutares, *malos tolerantem, cum manſuetudine instituentem eos, qui se opponunt* veritati & puritati Evangelicæ, cum fieri possit, ut per modestam correptionem, ex charitate profectam, *DEUS ipsis pœnitudinem* erroris & iniquitatis det, adducatque illos *ad cognitionem veritatis* cœlestis: sicque miseri tandem ab ignorantia velut profundo veterno *expergiscentes* excutiant sese *à laqueo diaboli*, cujus captivi & *capti* ante *ad ejus voluntatem* circumagebantur, ℣. 22—26. bestiarum instar, ve mancipiorum.

CAP. III. CAP. III. Arrepta hac occasione de malis in Ecclesia, altius assurgit Apostolus, & spiritu Prophetico miseriam novissimorum temporum prædicit, sub Antichristo, quemadmodum & in priore Epistola Cap. IV. 1. & 2. Thess. II. 3. ss. fecerat; *cognoscere* autem probe Timotheum, & nos omnes, maxime vero ministros, voluit *tempora* illa *difficillima* & gravissima, quæ, degenerante Christianismo, aliquando instabant, ut sciremus, quomodo

quomodo in tantis difficultatibus nos gerere & pericula effu- 2. Tim. III.
gere possimus. Causam malorum malos homines facit, quos vivis coloribus depingit, ut tanto melius caveri queant: (1.) nominat *sui amantes*, ubi radicem & fontem omnium malorum facit φιλαυτίαν, (*Chrysost.* h. l. Conf. *August.* Tr. 123. in Joh.) φίλαυτοι enim sua tantum quærunt, non quæ Christi vel proximi sunt, contra quam facere vult Christianos, & cumprimis Doctores, Paulus, (1. Cor. X. 24 Phil. II. 21.) Unde non mirum, quod (2.) sint φιλάργυροι, pecuniæ & thesauris corradendis unice ac toti dediti, eoque cultum splendidum referant & ex pietate quæstum faciant. Vid. 1. Tim. VI. 5. 9. 10. Ubi opes, ibi plerumque ἀλαζονεία τοῦ βίου, 1. Joh. II. 16. ergo in regno Antichristi (3.) sunt ἀλαζόνες, **Auffschneider/Praler**, qui plura jactitant & pollicentur, quam præstare possunt, vaniloqui ostentatores: hinc que (4.) ὑπερήφανοι *superbi*, qui Pharisaico fastu turgidi, omnes alios, qui non sunt ex ordine & genere Sacerdotali, alto supercilio contemnentes, **die allein hochangesehen, Han im Korb und dem Himmel am nechsten seyn wollen**; sunt tamen re ipsa (5.) *blasphemi* in DEUM, ejusque verbum, Apoc. XIII. 5. 6. XVII. 3. (6.) *Parentibus immorigeri*, qui non patiuntur sibi persuaderi, ut debitam illis obedientiam præstent, sed sub religionis voto & prætextu irritum faciunt mandatum DEI propter traditionem humanam, Matth. XV. 5. & Clericos non tantum sed etiam subditos ab obsequio Magistratui debito impie solvunt. (7.) ἀχάριστοι, *ingrati* adeo erga eos, à quibus maxima post DEUM beneficia acceperunt; (8.) ἀνόσιοι *profani*, impii, ac minime sancti, etiamsi tales vel maxime videri velint: (9.) ἄστοργοι, carentes affectu & naturali amore, quo prosequi par erat vel propinqua necessitudine conjunctos, imo liberos, quos ex concubinis susceptos immaniter trucidant. (10.) ἄσπονδοι, qui pacta fidemque non servant, nec servari debere dicunt hæreticis, & qui semel offensi non possunt placari. Unde ortum vulgare

2. Tim. III. proverbium : non posse cum sacrificis lites melius finiri, quam eorum cæde. Vid. *Flac.* Gloss. h. l. (11.) *calumnitatores*, & criminatores, qui confictis criminibus aliorum innocentiam premunt, & sanctas scilicet inquisitiones contra illos instituunt. (12) *incontinentes*, qui in quodcunque genus carnalium voluptatum sese effundunt, (Estius h. l.) licet continentiam spondeant & foveant. (13) ἀνήμεροι, *immites*, ut in beluinam feritatem, crudelitatem & rabiem degenerent. (14.) *bonorum osores* & persecutores : (15.) *proditores*. (Testantur historici passim, proditiones plerasque per sacrificos, monachos & prælatos esse factas. Ob quam causam etiam tam diligenter secreta in confessionibus expiscantur. Flac. l. c.) (16.) προπετεῖς, *temerarii*, inconsiderati, *protervi*, nihil habentes fixum aut solidum, (Chrysost.) ut sunt traditiones non scriptæ, quæ tamen pari pietatis affectu cũ Scriptura S. recipiendas dictitant, ut & dogma de dubitatione, an quis gratiã habeat &c. (17.) *turgidi* & inflati, 1. Tim. VI. 4 (18.) *voluptatum magis amatores quam Dei*, imo ventri duntaxat servientes, Phil. III. 17. DEUM autem salutiferamque ejus gratiam, quæ abnegationem omnis impietatis & mundanarum cupiditatum requirit, repudiantes Tit. I. 16. & tamen tales videri nolunt, cum titulo, cultu, cæremoniis & hypocrisi præ se ferant *formam*, speciem aut imaginem *pietatis*, interim vero *ejus vim*, veram efficaciam, ac quasi cor vitamque quæ potissimum in vera fide in Christum consistit, penitus *abnegant*, hoc pestilentiores, quod sub persona religionis & vitæ sint contaminatissima, & sinceritatem Evangelicæ doctrinæ fabulis & inventiunculis humanis vitient (Eras. in Paraph. h. l.) Quos omnes Apostolus jubet *aversari* Timotheum, & nos præcipue postremis hisce temporibus : eamque ob causam porro describit illorum fraudes, quod antiqui seductoris artem artemque adhibeant, quibus adversus Adamum usus est, (Chrysost.) sese insinuent ficta sanctitate & impudenter quoque *ingerant*

gerant penetrentve *in* alienas *domos* ac familias, ventris turpisque lucri causa, Tit. I. 11. & ibi *mulierculas* primum *peccatis onustas variisque concupiscentis circumactas* invadant, easque facile capiant & tanquam captivas *ducant*, illis vel timorem incutiendo purgatorii igne, vel spem faciendo, quod per indulgentias suorumque operum supererogationis bullariam communicationem servari possint: atque sic miserellas in ignorantia detinent, ut *semper discant* hæreantque in ejusmodi doctoribus, vel potius seductoribus, & tamen *nunquam ad cognitionem* solidam atque salutarem *veritatis* Evangelicæ *pervenire queant*, sed magis excœcatæ & induratæ pereant; quia isti homines *veritati* sub falsa imagine pietatis resistant, corruptamente præditi & circa fidem reprobi, similesque sint *Janni & Jambri*, Magis vel Sacerdotibus Ægyptiacis, *qui Mosi restiterint*. Addit tamen solatium pro piis, & Evangelio firmiter credentibus, quod illi non semper perfecturi sint male destinata, sed tandem eorum *amentia* & fraus per sinceros doctores & testes veritatis fideles manifesta futura sit, quemadmodum etiam Magorum Ægyptiacorum præstigiæ detectæ fuerint, ℣. 1—10. Quare ad constantiam hortatur Christianos, & in Timotheo omnes pios doctores auditoresque revocat ad suam doctrinam, totamque vitæ rationem, probatam in persecutionibus & afflictionibus variis, quas omnes eos subire quoque ac sustinere oporteat, qui *pie vivere in Christo JESU* ac veros Christianos se præstare velint, quibusque suo exemplo spem facit liberationis ab omni malo per Dominum; impostoribus autem, utpote incorrigibilibus, suam in malis prosperitatem & felicitatem in temporalibus, quam pro nota Ecclesiæ habent, cessuram innuit in cumulum damnationis, duplici nomine pœnas daturis, cum quod ipsi erraverint, tum quod alios erroribus involverint, ℣. 10—14. Hos igitur cane pejus & angue fugiendos, contra hos fortiter pugnandum, standum, & permanen- 2. Tim. III.

2. Tim. IV. dum esse præcipit in doctrina Apostolica & Prophetica, ab se tradita, Timotheo & toti Ecclesiæ Christianæ concredita, (Act. XXVI. 22.) cum ea sola possit homines *erudire ad salutem per fidem in Christo JESU*, utpote *omnis* & tota *divinitus inspirata*, eoque efficax, perfecta, sufficiens & *utilis ad doctrinam* veram & salvificam perdiscendam, & ad *confutationem* errorum omnium, item *ad correctionem* abusuum morumque malorum, ac *institutionem* & eruditionem solidam & plenam, pietatis, non quæ est in Judaismo, aut Philosophia humana, sed in justitia vera, quæ immutabilis DEI voluntas in lege expressa & perspicue declarata fuit. *Ut* adeo Scriptura θεόπνευς & perfectissima & unica regula sit & norma irreformabilis doctrinæ & vitæ Christianæ, & ex ea *homo DEI*, sive minister Ecclesiæ (1. Tim. VI. 11.) & quilibet veri DEI cultor *perfectus fieri*, & *ad omne opus bonum* perfecte instrui possit, v. 10—17.

CAP. IV. CAP. IV. Monstrata hunc in modum sufficienti utilitate & perfectione Scripturæ S. Apostolus jubet eam omnibus tradere, & omnes partes Christianismi sedulo inculcare, idque ut faciant Doctores, in Timothei persona omnes serio obtestatur coram DEO & Domino nostro JESU CHRISTO, (1. Tim. V. 21. VI. 13.) judicaturo vivos & mortuos, in futura illa illustri apparitione, & regno glorioso, v. 1. Neque id semel tantum fieri vult, sed semper aperte palamque & intrepide *prædicari verbum* Evangelicum, eoque *instari* assidue, *opportune & importune*, in pace & persecutionibus, *convinci* adversarios, *objurgari* & corrigi peccatores, moneri & obsecrari, qui bene coeperunt, (2. Tim. III. 16.) cum, vel *in omni lenitate & doctrina*, ne quidquam ex affectu & zelo nimis fervido, vel nimis præcipitanter factum esse videri queat, v. 2. Causam hujus obtestationis gravissimæ ex superioribus Cap. III. 1. ff. repetit & amplificat, quod posthac homines *non toleraturi doctrinam sanam* & salubrem Christi, mundi cupiditates & falsitates castigantem, sed

sed *cumulaturi sibi* sint *pro affectibus* carnalibus *& auribus pruri-* 2. Tim. IV.
entibus, *magistros* quamplurimos, non qui doceant cognitionem veritatis secundum pietatem, sed qui fabulis & inutilibus commentis, Legendis minime legendis vel audiendis, molles auriculas demulceant, quibus adhærebunt & delectabuntur à veritate alieni, v. 3. 4. Adversus hæc mala, Ecclesiam affligentia, alacrem & fortem reddere studet Paulus, & summatim munia strenui militis sive Ducis denuo inculcat, jubens eum 1. *vigilare* in omnibus officii partibus, 2. *mala tolerare* (supra II. 3.) 3. *opus Evangelistæ facere* impigre, imperterrite & alacriter, (v. 2.) 4. *ministerium suum implere*, magna cum fiducia, plenamque fidem ac certitudinem adferre omnibus in rebus. Nec cunctanter omnia ista fieri vult, aut partem laborum in se devolvere, quum non sit diu superstes futurus, sed ceu victima Christo destinata, jamjam immolari incipiat, ac beatæ ἀναλύσεως tempus instet. Excitat quoque suo exemplo discipulum & omnes, qui in militante Ecclesia versantur, ad sacri certaminis imitationem, plurimis argumentis, 1. dum vocat *præclarum* & egregium *illud certamen*, quod à DEO omnibus bonis propositum & depugnandum est, (Hebr. XI. 1.) 2. *cursum* decurrendum, (1. Cor. IX. 24.) 3. per fidem constantem perficiendum: 4. dum certo repositam asserit coronam justitiæ, dandam à juste gratioso & gratiose justo judice, omnibus illustrem apparitionem Domini amantibus & desiderantibus, v. 4—9. Posthæc Timotheum citat, quem volebat ante obitum sibi præsentem esse, cum ut coram eum de sacra militia plenius instrueret, tum quia desertus & ab omnibus pene destitutus erat, solumque Lucam, Evangelistam, secum habebat. Mandavit quoque ei simul, ut adferret secum *Marcum*, ad opus ministerii utilem, & φελόνην, arculam sive thecam, in qua libri sacri Codicis, saltem Hebraici, condebantur, atque membranas, quibus tunc cum migraturus esset ad Dominum, maxime egebat, ut fidelibus

sacra

2. Tim. IV. sacra volumina commendaret, pro sua doctrina orali habenda, (Chrysost.) ℣. 9—14. Hinc 1. queritur de *Alexandro*, fabro ærario, quod multa mala sibi intulerit & sermonibus suis restiterit, cui non tam imprecatur, quam vaticinatur, quod Dominus gratiam pro operibus relaturus sit, quemque observari & caveri vult; 2. de fratribus, qui metu territi se in dicenda causa pro tribunali Cæsaris deseruerint, quod tamen ipsis non cupit imputari. 3. Dominum vero adfuisse sibi & vires sufficientes suppeditasse celebrat, ut Evangelii præconium ad plenum persuaderetur, atque ereptum se esse ex leonis faucibus. 4. Testatur spem vivam in DEUM, quod se porro quoque liberaturus ab omni malo & servaturus sit servum & militem fidelem in regnum cœleste, cui propterea 5. gratias agit devotas & sempiternas, ℣. 14—19. Quibus argumentis simul animat erigitque Timotheum, & alios omnes Doctores ac Christianos, ut fortiter militiam sacram sustineant, præsenti & efficaci Domini ope freti. Tandem salutatione, iterata adventus admonitione & voto Epistolam claudit, ℣. 19-22.

XXXVI.

Sumtum de Paulo supplicium.

Nullum dubium est, quin Timotheus, acceptis literis hisque affectu paterno & spiritu pleniſſimis, protinus Romam contenderit, fideli suo Doctori & in Christo Patri in vinculis observanter ministraverit, & ab eo de omnibus, quæ strictim breviterque per Epistolam accipit, plenius instituturus fuerit, de conservanda & propaganda Ecclesia, deque ejus futuro statu, & aliis ad salutem pertinentibus rebus, quarum omnium tamen hypotyposin sufficientem jam ante Paulus ei dederat, & cui sacras literas commendaverat, ex quibus perfectus reddi & ad omne opus ministerii plene perfecteque instrui poterat. Quam ob causam vero Paulus Romæ in vincula conjectus & deinceps trucidatus à Nerone sit, nihil opus est prolixe commemorare, cum,

cum, tacente Scriptura, nihil certi possit adferri, licet Ecclesiastici scriptores admodum hic sint verbosi, ex quibus, suo more, *Baronius* ad A. C. 69. operose probare contendit, occasione lapsus Simonis Magi, facti mense Octobri, cum Icareum volatum tentasset, per Petrum & Paulum precibus à DEO impetrati, hos Apostolos in carcerem fuisse detrusos, eosque martyrium vigesima nona Junii consummasse. Aliam tamen etiam causam é *Chrysostomo* & *Ambrosio* allegavit, cur Nero Paulum è medio sustulerit, (de Petro enim alibi dicendi locus erit) nimirum, quod Imperatoris pellicem & pincernam ad Christianam religionem convertisset. Utcunque vero se hoc habeat, ex Phil. IV. 22. constat, ex Cæsaris domo plures fuisse ad Christum conversos. Gladii supplicio affectum Paulum, quod civis Romanus esset, vulgus historicorum prodidit: nec nos contra torrentem authorum nitemur. Quod vero interea, dum extra portam Trigeminam, quæ Ostiensis dicitur, ad supplicium ducitur, tres milites ex his, qui ex apparitura erant, ad fidem Christianam converterit, & ex truncati Pauli corpore non tam sanguinis fluenta é sectis venis, quam lactis, largiter fluxerint, ut rursus *Baronius* asserit, *Ambrosii Chrysostomique* testimonio fretus, fatemur, nos non credere, licet illud haud inviti largiamur, *Pauli Epistolas*, ut *Ambrosius* ait, *tanquam ubera Ecclesiarum populus enutrire ad salutem.*

XXXVII.

An Paulus in Hispania Evangelium propagaverit?

Ne quid in præteritis relinquam de rebus gestis Pauli, illa quoque tangenda definiendaque paucis quæstio est, an & quando in Hispaniam profectus fuerit, ibique Evangelium prædicaverit? Id animo agitasse Apostolum, ipse prodidit Rom. XV. 24. Destinatum consilium etiam exsecutum illum esse, multi Patres, *Hippolytus*, *Athanasius*, *Cyrillus* Hieros. aliique, quos *Basnagius* in exercit. Anti-Bar. p. 512. adducit, diserte scribunt. Tanti vero hæc testimonia ponderis haud esse, ut omni excep-

ptione majora sint, idem *Basnagius* ostendit, & otia nobis hic fecit, observans, Paulum iter quidem in Hispaniam meditatum, sed impeditum retractumque statim in Asiam fuisse, postea quam é libera custodia dimissus Roma esset, propter *Hymenæum* & *Alexandrum*, naufragium fidei facientes, & teterrima ha reseon lolia seminantes, *Hymnæum* item & *Philetum*, resurrectionem mortuorum negantes, quemadmodum ex priori ad Timotheum Epistola manifestum est. Romam vero Apostolum rediisse, ibique martyrio coronatum, ex posteriori ejus ad Timoth. Epistola liquet, nec ulla sunt disseminatæ à Paulo apud Hispanos fidei vestigia. Addit insuper Cl. Vir, sibi nunquam persuaderi potuisse, Hispaniam fidei luce ante Gallias fuisse illustratam: Gallias autem serius DEI religionem suscepisse post extinctum Paulum. At eadem ratione penetrare in Hispaniam etiam ante paulum potuit Evangelium, qua Romam penetravit, antequam Apostolus eo vel scripsit, vel commigravit. Rom. I. 8. Vid. Col. I. 23. Nec tamen per *Jacobum* id factum esse, certum est, licet, *Baronio* teste ad A. C. 44. n. 1. Hispaniarum Ecclesiæ omnes ex æquo profiteantur.

XXXVIII.

Jacobus quis fuerit, qui Epistolam & quando scripserit?

Petrum postremam suam Epistolam dudum post Paulinas scripsisse, morti proximum, *Spanhemius* contendit, H. E. Sec. I. p. 544. Quapropter postremam Pauli non statim excipiet altera Petri, sed *Jacobi* forte interponenda erit Epistola. Licet enim præcise definire integrum haud sit, quo tempore & hæc scripta fuerit; quia tamen scriptores Ecclesiastici in hoc fere conveniunt, Jacobum Anno Christi Æræ vulgaris LXII. vel LXIII. Neronis VII. vel IIX. Petrum autem A. C. LXVI. & Neronis XII. diem supremum obiisse, præponenda illius & mors & Epistola hujus erit. Qualis Jacobus intelligi debeat, sub cujus nomine Epistola catholica extat, vulgo disquirunt,

runt, & quidam etiam tres Jacobos faciunt, ut Baronius & Estius. Qua de controversia diximus in Ex. Histor. Crit. N. T. P. *Rich. Simonii* Cap. XVII. p. 207. seqq. Evicerunt satis *Spanhemius* Dissert. de Apost. §. 14. & *Basnagius* Exercit. Anti-Bar. p. 506. ff. Lucam in Historia Apostolica *duorum* tantum *Jacoborum* mentionem agitasse, & Jacobum minorem, Jacobum fratrem Domini, & Jacobum Alphæi, unum eundemque fuisse hominem, & vere Apostolum, unum ex XII. Propter summum sapientiæ & pietatis studium, quod in vita assidue excoluerat, ab omnibus justissimus credebatur, & à Judæis pariter ejus temporis ac Christianis colebatur. Unde *Josephus*, cujus testimonium *Origenes* L. I. contra Celsum citat, causam Hierosolymitani excidii & deleti templi ejus necem statuit : *Ligtfootus* in Chron. Temp. N. T. p. 111. & seq. putat, Apostolum, quum *residentiarius Hebræorum in Judæa* fuerit, vidisse ante fata sua prædicta à Domino excidii signa, nempe falsos Prophetas, iniquitatis abundantiam, charitatis defectum, mutuam proditionem & vastationem, & hinc concludisse, judicem & judicium appropinquare, idque non uno loco subinnuisse in Epistola sua, Cap. V. 8. 9. Sic argumentum Epistolæ esset, ceu *D. Sebast. Schmidius* vult, reprehensiorum vitiorum & errorum crescentis ætatis Ecclesiæ Christianæ, quibus Spiritui S. per hoc Apostoli scriptum occurrere visum est. Animadverterat enim plurimos abuti doctrina salutari de fide justificante, à Paulo in Epistola ad Romanos & alibi tradita, &, ut *Augustini* verbis Lib. de Fid. & Op. Cap. 14. & Lib. de diversis Quæst. 83. Quæst. 76. utar, *mala securitate salutem suam perdere, putantes, cum semel in Christum credidissent, etiamsi male operarentur, & facinorose flagitioseque viverent, salvos se esse posse per fidem.* Perniciosissimæ huic opinioni se mascule opposuit, æque ac alii Apostoli, post ipsum scribentes, Petrus, Judas & Johannes, & mentem Pauli uberius exposuit, docuitque ex instituto, quæ *Ejus argumentum.*

Jac. I. & qualis sit, ac esse debeat vera fides, nempe δόκιμος, DEO probata, quæ foras prodat, seexserat atque demonstret, in tolerantia crucis, vitæ sanctitate & charitate. Quæ per totam Epistolam urget Jacobus, ut omnes, qui fidem Christianam profitentur, discant δοκιμασίαν fidei instituere, & cavere sedulo, ne vel in tentationibus succumbant, fidemque amittant, aut inanis fidei persuasione se ipsos decipiant. Vere hæc dici, ex Epistolæ Analysi patebit.

Summa & Analysis. CAP. I. Post inscriptionem v. 1. qua se profitetur *DEI & Domini* JESU CHRISTI *servum*, retinens studiose notum in V. T. de Prophetis titulum עבד אלהים quia ad Judæos quotquot eorum ad Christum conversi erant ex *duodecim tribubus in dispersione* scribebat, ne, Apostoli nomen usurpans, ut posset videretur novam proponere doctrinam, & gaudium in Domino perpetuum (Phil. IV. 4) illis precatur, inprimis etiam in tribulationibus, (Rom. V. 3.) cujus voti rationem mox exprimit v. 2. & in memoriam iis revocat verba Domini, Matth. V. 12. quod *summum gaudium ducere* debeant, *quando* & quotiescunque *in varias incidant tentationes*, & iisdem quasi obruantur, (Conf. 1. Pet. I. 6. IV. 13.) *scientes* illas ex DEI providentia immitti & permitti ipsorum bono, præsertim ad *fidei* veræ *explorationem* & probationem, & fidem exploratam atque probatam *operari perseverantiam* ac tolerantiam omnium afflictionum, (2. Cor. IV. 17. 18.) *perseverantiam* autem & patientiam illam *opus perfectum habere* debere, quod itidem fides producat, quæ ex fructibus ita demonstret indolem suam & ὑγιείαν; quorum utrumque requiritur à veris Christianis, *ut* sint *perfecti*, sinceri, non hypocritæ, DEO Christoque exosi, sed *integri*, spiritu, anima & corpore, 1. Thess. V. 23. *nulla re* nullaque ex parte *diminuti* aut defectuosi, v. 3. 4. Cumque probe sciret Apostolus, multa deesse fidelibus, nec eos suis viribus præstare posse præstanda, ostendit, unde defectum supplere, nempe ex plenitudine

tudine sapientiæ & gratiæ Christi, (Joh. I. 16. 1. Cor. I. 5. 7. 30. Jac. I. Ephes. III. 19.) & quomodo impetrare queant à DEO, liberaliter, gratis, *simpliciter* & certo omnibus petentibus vera, firma nihilque dubitante fide, dante omnia necessaria & salutaria, ℣. 5. 6. Si qui vero tanta munera non consequantur, causam esse eorum dubitationem, fluctuationem, duplicitatem cordis, & inconstantiam in omnibus viis actionibusve suis, quod non soli DEO adhæreant & serviant, sed mundo simul, inducti vel carnis, vel diaboli, vel seductorum astutia & fraude, (Ephes. IV. 14.) ℣. 7. 8. Quia vero præ aliis tentari facile poterant *humiles* sive pauperes & *divites*, ut illi DEO diffiderent & ὀλιγόψυχοι fierent, hi divitiis adhærerent, DEUMque desererent, utro que hortatur, ut simplicem fidelemque animum servarent; hinc illos noluit tristitia affici, aut angi ob rerum inopiam, & divitias appetere, sed potius voluit contentos sua sorte esse, in DEO acquiescere, & non tantum lætari (ut *Grotius* explicat,) sed etiam *gloriari ista sua sublimitate*, & opulentia, quam in Christo, Domino & fratre suo habent: hos vero monet, ne, si fratres sive Christiani esse viderique velint, divitiis se efferant, sed potius glorientur sive gloriam quærant *in humilitate sua*, quam à Christo didicerint, Matth. XI. 29. & in qua si permanserint, exaltandi sint in æternum. Cui admonitioni gravem addit rationem à caducitate hujus mundi & rerum mundanarum desumtam, quam eleganti comparatione cum herbis & floribus vestit, ℣. 7—12. Caducitati autem & perditioni opponit felicissimum statum eorum, qui tentationes afflictionesque hujus vitæ perseveranti fide sustinent, non cedunt, nec deficiunt, Heb. X. 32. XII. 2, 3. Jac. V. 11. ut probati reperiantur. Quisquis enim (ἀνὴρ, Rom. IV. 8.) talem se probaverit, sive mas sit, sive fœmina, *beatus* est revera, & in hac vita, & in altera certo *accipiet coronam vitæ* æternæ, *quam* ex gratia daturum se *promisit Dominus* JESUS CHRISTUS *omnibus* iis, qui con-

Jac. I. stanti fide amoreque ipsi adhærent, ℣. 12. Conf. 2. Tim. IV. 8. Apoc. II. 10. Ne vero quis, si succumbat tentationibus, & deficiat in exploratione fidei, vanas excusationes quærat, & vel imbecillitatem suam prætexat, vel DEO culpam lapsus tribuat sive tacite in corde, sive etiam ore & dictis impudicis, Jacobus his erroribus damnabilibus, quos *Simonianorum* fuisse putant, obviam it, & multis rationibus probat, non DEO, sed ipsis hominibus tribui debere, si ἀδόκιμοι reperiantur, & à tentationibus malis vincantur. 1. Redarguit impietatem, si quis cogitare vel dicere præsumat, se à DEO tentari ad malum: 2. contradicit absolute, & affirmat, DEUM neminem prorsus ulla ratione inducere ad peccatum vel minimum leviſſimumque: 3. causam subjicit, quod sit ἀπείρας Θ, *intentabilis malorum* in se suaque natura, utpote summe bonus & sanctus, ac proinde etiam *neminem* ad malum tentare aut velit, aut possit. 4. Veram causam tentationis sive peccati indicat, eamque proximam & internam, non externam, quæ Satanas est, nempe *propriam cujusque concupiscentiam* pravam, post primam aversionem Protoplastorum, per carnalem generationem in omnes propagatam, quæ, quia cum origine nostra incipit, peccatum originale dicitur, vereque peccatum est, cum suo effectu, motibus & operibus melior esse nequeat, & nunquam otiosum sed semper actuosum sit, quia à vero tramite *abstrahit* hominem & *inescat* grata quadam suavitate, ut consentiens lubensque admittat & quasi *concipiat* peccatum, conceptumque infelici partu edat & *perficiat*; perfectum autem *mortem propignat*, etiam in renatis, si non resistant mortificentque veterem hominem auxiliis gratiæ, quæ DEUS suppeditat benevole & copiose, ℣. 13—16. Quapropter monet fraterne fratres, ne hic errent & injurii in DEUM sint, ℣. 16. ac à contrario probat, non esse nec posse esse malum à DEO, cum *omnis datio* & largitio *bona & omne donum perfectum superne* & cœlitus *sit*, *descendens à Patre luminum*, autore effecto-

effectoreque quarumvis rerum sanctarum & salutarium, earumque solarum, ita ut non tantum in largiendo & operando, sed etiam in dono & opere ipso bonus, purus & sanctus, nunquam autem aut nuspiam, neque actione neque opere ullo, malus sit, aut fieri possit, quia *apud eum non est* vel inest (ἔνι pro ἔνεστι) *mutatio* ulla aut *conversionis umbra*, ut in Sole, qui nunc apparet, nunc disparet, nunc clarius fulget, nunc nubibus, vaporibus vel eclipsi, obscuratur; sed est purissima, æterna & immutabilis lux, lucens in tenebris, easque dispellere cupiens, & dissipans, si homines non magis ament tenebras, quam lucem, Joh. III. 19. nec malitiose resistant: quod ex regenerationis opere & beneficio demonstrat declaratve, quod ex mera benignitate & propensa voluntate nos aptos & dignos fecerit εἰς τὴν μερίδα τοῦ κλήρου τῶν ἁγίων ἐν τῷ φωτὶ, & liberaverit è potestate tenebrarum, transtuleritque in regnum filii sui dilecti, Coloss. I. 12. 13. ac eo nomine *nos progenuerit* & regeneraverit *per verbum veritatis*, seu Evangelium, publice prædicatum, Eph. I. 13. *ut sieremus primitiæ creaturarum ejus*, ei sanctificatæ, consecratæ & acceptæ, quo respiciebat lex de frugum fructuumque primitiis DEO offerendis, ℣. 17. Hinc monitum infert, ut *quilibet* illud ipsum *verbum* veritatis cito *audiat*, indeque discat, quid sentire de causa mali & origine boni debeat, *tardus sit ad loquendum* aliquid contra DEI sanctitatem, *& tardus ad iram* ex impatientia pugnæ adversus tentationem carnis ad malum oriunda, quum *ira nunquam, quod justum coram DEO est, operetur*, sed causa sit, cur plurima in justissime contra voluntatem Divinam admittamus: ideoque hoc optimum medium & remedium esse, *ut depositis* omnibus *sordibus & excrementis malitiæ* veteris hominis, (Eph. IV. 22. ff.) *cum mansuetudine*, iram impatientiamque carnis resistentis supprimente, *suscipiamus* & retineamus *verbum illud* per regenerationem jam *insitum* & implantatum, utpote *quod* ex insita indita que sua efficacia *animas salvare possit*, Jac. I.

Rom.

Jac. II. Rom. I. 16. si *non tantum auditores sed & factores* ejus simus; illos enim seipsos decipere & similes esse iis, qui faciem suam nativam fœdatam in speculo conspiciunt, sed obliti mox turpitudinis eam non abstergunt: hos autem *beatos fore in praxi sua*, atque ostendere, se cum fructu regenerationis, justificationis & sanctificationis doctrinam cœlestem audivisse, (Luc. VIII. 15. XI. 28.) ℣. 19—26. Eam ob causam ex fructibus describit *falsam religiositatem*, aut pietatem à lingua, ad omnia maledicta laxata, etiam adversus DEUM, de corde impuro malo testante, *& puram*, veram DEOque placentem, à beneficentia erga personas cumprimis miserabiles, & abstinentia ab omni impuritate & in justitia, in hoc pravo mundo usitata vigenteque, ℣. 26. 27. Conf. Tit. II, 11. 12.

CAP. II. CAP. II. Posthæc arguit Apostolus severe graviterque προσωποληψίαν & hypocrisin, in dictis & factis, quarum neutra consistere queat cum fide in Dominum J. C. glorioſissimum, ℣. 1. quæ opus perfectum sinceri cordis habere debeat, (Cap. I. 4.) ac, ut brevius clariusque hunc errorem refellat, exemplum de casu προσωποληψίας proponit, si ingrediatur in conventum sacrum dives cum splendida & pauper cum sordida veste, ac illi honoratior, huic despectior locus assignetur, v. 2. 3. & ostendit (1.) pessime ita fieri & judicari ex pravis affectibus & cogitationibus, non secundum DEUM ejusque voluntatem, qui elegerit in Christo ad vitam æternam pauperes hujus mundi, qui in fide divites sint per Christum: (2.) divites plerumque esse hostes, persecutores & oppressores piorum, blasphemare & occasionem præbere, ut blasphemetur nomen Christi optimum & sanctissimum, à quo denominentur, vel quod in baptismo invocatum super iis sit, v. 4. 8. (3.) esse transgressionem præcepti divini legisque regiæ culpabilem & damnabilem: nec juvare exceptionem, quod in cœteris legem aliquis servet, peccatum enim unum non statim per se mortem damnationemve inferre; siquidem

siquidem lex & fides sit una copulativa, ideoque *unius præcepti*, Jac. II.
vel interdicti, *violatorem pro transgressore omnium* haberi, ac unum esse Legislatorem cunctorum, qui ἀπροσωπολήπτως judicaturus per *legem libertatis*, sive Evangelium, Rom. VIII. 2. quod nullam peccandi libertatem, sed majorem etiam diligendi fratres obligationem adferat, & immisericors judicium laturus misericors sit super eum, qui misericordiam in Christo consecutus nullam erga proximum, ut debebat, misericordiam exercuerit: ut contra *misericordia* DEI secundum ἐπιείκειαν Evangelicam, fide accepta, servata, & exercita, *glorietur* & prævaleat *adversus judicium* & justitiam Legis rigorosam, damnationem & infernum ipsum, v. 8 — 14. quia Evangelium, ut *Augustinus* ait, tegens, remittens & non imputans peccata credentium, & contra imputans eis justitiam Christi, præjudicat legi, eamque quasi judex superior corrigit: estque hic admirandum temperamentum misericordiæ & justitiæ in articulo de Justificatione, ubi damnatus in foro justitiæ appellat sive provocat ad forum gratiæ; sed gratia ita utitur, ut gratus DEO sit, & officiosus erga proximum, mfidemque declaret operibus; (Conf. Luc. VI. 36. seqq. Rom. VIII. 31. ſſ.) quemadmodum Apostolus à v. 14. usque ad fin. Cap. contra securos & semiepicuræos Christianos & Evangelicos, quos in præcedente Capite auditores & non factores verbi vocavit, solide demonstrat. Ubi 1. inanem esse pronunciat jactationem de fide, operibus cassa, quæ nomen fidei non mereatur, nec salvare queat. 2. assertionem hanc suam similitudine probat illustratque (a) à dilectione desumta, quæ vana & inutilis sit, si verbis tantum, licet bonis & splendidis, ostentetur, & egeno nil detur: ita quoque *fidem*, quæ per charitatem efficax esse debet, Gal. V. 6. *si opera non habeat*, *mortuam in se* & per se, nullaque virtute aut utilitate præditam esse, sive ad justificandum, sive ad salvandum hominem, v. 15. 16. 17. Vera enim fides intra non est, nisi luceat extra: & ubi non est charitatis

Jac. II. ſtudium, ibi non eſt fidei vel veritas, vel vita, inquit *B. Menzerus* in Analyſi h. l. Diſp. Gieſſ. T. V. Diſp. XI. p. 149. (β) à neceſſaria fidei demonſtratione per opera, cum alii fidem veram vivamque cognoſcere non poſſint, niſi ex operibus, ut, ex fructibus cognoſcitur arbor, ℣. 18. (γ) à diſcrimine fidei ſalvificæ & diabolicæ. Dæmones enim credunt eſſe DEUM, ſed voluntatem ejus non faciunt; quibus ſimiles, imo pejores ſunt hypocritæ, vel Chriſtiani nominales, qui DEUM factis abnegant malis, & bona opera nulla edunt; diaboli contremiſcunt propter DEI majeſtatem & juſtitiam, quia mala opera tantum habent, ſed impii DEUM agnitum contemnunt & ſecure otioſeque vivunt, ℣. 19. (δ) Hinc, ut validius confundat vanos & *vacuos* homines, inanem (den leeren) fidem fruſtra jactitantes, exempla adducit juſtificatorum per fidem, quæ opera habuit, (1.) *Abrahami*, quem omnes communem Patrem ſecundum ſpiritum & promiſſionem agnoſcunt, cujus facta teſtentur lucuienter de fide viva: inprimis illud, quod de oblatione filii ſui unici proditum memoriæ eſt; unde nemo non colligere poſſit, fidem ejus admodum operoſam, ſive *operibus cooperatam*, (tanquam cauſam efficientem) aut bonorum operum genitricem, & *ex eis*, tanquam effectu cauſam ſuam demonſtrante, quod fides opus perfectum habeat, ut oportet (Cap I. 4.) *perfectam*, ipſumque ita ex operibus juſtum agnitum habitumque ab omnibus, ac *Scripturam* denuo *impletam* eſſe, *quæ dicit: credidit Abraham DEO, & imputatum* hoc *ei ad juſtitiam*, Gen. XV. 6. ſicque coram DEO juſtificatus, & *amicus DEI*, vi pacti ſ. fœderis gratiæ *dictus* & declaratus *eſt*, utpote qui conſtanter fidem & ſervaſſet, & ſingularis obedientiæ ſpecimine demonſtraſſet, (Conf. Jeſ. XLI. 8. 2. Par. XX. 7. Joh. XV. 14.) Ex quo exemplo pateat manifeſte, *hominem ex operibus*, ceu effectu fidei, *juſtificari* & juſtum declarari palam, in foro ſoli, quemadmodum fidei ſola, ſed non ſolitaria, juſtificatur in foro poli, ℣. 20. 25.

(2.) *Racha-*

(2.) *Rachabæ*, quæ *similiter exoperibus*, quibus fidem egregiam & vivam testabatur in receptione & dimissione exploratorum Israëliticorum, pro *justificata* merito habita *fuit*, v. 25. Conclusionis ex adductis exemplis fluentis veritatem tandem probat & illustrat similitudine petita à corpore humano, quod, ut *sine spiritu* & habitu *mortuum* est: *ita* quoque *fides sine operibus mortua*, v. 26. Jac. III.

CAP. III. Ostendit Apostolus fidem veram etiam per verba vivam esse seque probatam reddere debere, quemadmodum Cap. I. 19. monuerat Christianos, ut tardi sint ad loquendum, & v. 26. dixerat, inanem esse cultum ejus, qui linguam suam non frænet. Hic autem rem periculi plenam esse indicat, loqui ad alios, vel de aliis, inprimis Doctores, ideoque vetat affectare munus docendi, vel temeritatem carpendi alios ambitiose, cum graviorem pœnam sibi accersant, si hic peccent, & facilis frequensque lapsus sit in verbis, vel ex ignorantia, vel incogitantia, vel infirmitate; paucissimi insuper, imo fere nulli, ita perfecti reperiantur, ut ne ullo quidem verbo labantur, & totum corpus quasi freno quodam moderari queant, linguamque refrænare didicerint, ut nec contra DEUM, nec contra proximum peccent. Hanc in rem triplici similitudine declarat commodum, si lingua frenetur, & damnum, si negligatur, tanquam res parva parvique momenti, cum tamen maxima efficiat vel mala, vel bona, ℣. 1. — 5. & exponit, quomodo linguæ vitium totum hominem inficiat, & judicio condemnationis subjiciat, ℣. 6. quia ignis infernalis & mundus quidam injustitiæ sit: ideoque mox tacite monet, ut quilibet Christianus omnem operam adhibeat ad hoc malum extinguendum, licet res sit admodum difficilis, imo homini irregenito impossibilis, & tamen fieri debeat, nisi quis mortifero ejus veneno æternum perire aliosque perdere velit, ℣. 7. 8. Ut ergo fortissime moveat & impellat ad vitium linguæ maledicæ deponendum, docet, non CAP. III.

Jac. III. posse gratum acceptumque DEO cultum præstari, vel pax, concordia & charitas in Ecclesia vigere, nisi illud eliminetur. Molliſſime vero abusum hunc & illis temporibus primis jam serpentem, & futuris nostrisque in flammam fere inextinguibilem erupturum, indicat & refutat. Figura communicationis utitur in proponendo facto exitiali, (licet ipse aliique Doctores sinceri nihil commune habeant habereq; cupiant cum tanto malo) dicens: *per eam* (linguam) *benedicimus DEO & Patri* J. C. & nostro in eo, *perque eam maledicimus hominibus, ad imaginem DEI* olim *factis*, & ad eam reformandis: *ex eodem ore procedit benedictio & exsecratio*; unde haud abs re suspicari ac dicere de Christianis possunt Gentiles & Judæi, eos duplicem habere linguam & esse ἀνθρώπους. Facti indignitatem triplici ratione ostendit, (1.) ab *indecenti*: *non oportet hæc ita fieri*, indigna esse innuens DEO Patre, qui nos regenerat verbo veritatis: Christo, in quo omnes gentes & familiæ benedicendæ: vocatione Christiana, (1. Pet. III. 19.) &c. (2.) ab *impossibili*, quod probat similitudinibus, ex ipsa rerum creatarum natura petitis, in qua DEUS aliquod vestigium quoque spiritualium deposuit, quod non possint ea fieri: α. à fonte, qui non simul dulcem amaramque aquam ex eodem foramine emittere: β. à ficu, & γ. à vite, quarum illa non oleas nec hæc ficus gignere queat, ℣. 9 — 13. (3.) *à negatione veræ sapientiæ*, & scientiæ, quæ maledicis & loquentibus בלב ולב tribui nequeat, cum hæc se demonstret per verba & facta bona in tota conversatione, *cum mansuetudine*, nec apud eos sit, *qui zelum amarum & contentionem in corde habeant*, ac quavis arrepta occasione in exserationes & condemnationes fratrum prorumpant, & tanquam hæreticos anathematis fulmine percutiant, (vid. *Schmid.* in Paraphr. & *Coccej.* h. l.) quos nil juvet, quod de veritate s. orthodoxia & pietate ejusque defensione contra alios glorientur, quasi illis sint doctiores & puriores, cum mentiantur contra veritatem Evangelicam, Ephes. IV. 21. 25.

IV. 21. 25. ejusque virtutem abnegent ipsa praxi, & *hæc non* sit Jac. III.
sapientia illa vera *è supernis descendens* à DEO & Patre luminum, Jac. I. 5. 16. 17. *sed* 1. *terrena*, mundana, mundo consueta, carnalis, 1. Joh. II. 16. Phil. III. 19. rerum, quæ in terra sunt, & valent inter homines terrenos: 2. *animalis*, rationalis, ex naturalibus viribus & ingenii acumine fabricata, vel hausta ex philosophicis hypothesibus & rationibus, (1. Cor. II. 14.) 3. *dæmoniaca*, ob superbiam, qua ambiunt præ cæteris excellere, & contentionis studium, & quando ea obtruduntur, pari pietatis affectu recipienda, quæ doctrinæ sunt dæmoniorum, 1. Tim. IV. 1. Hæc ne durius dicta videri queant, probat Apostolus 1. ab effectibus æmulationis & contentionis, qui sunt *inconstantia* in bono, indeque orta perturbatio, tumultuatio, exagitatio, *& omne opus* negotiumque *pravum*: 2. ab antithesi veræ & cœlestis sapientiæ, quæ non tantum in nuda scientia consistit, quæ inflat, sed in exercitio etiam Christianarum virtutum bonorumque operum, ac primo quidem *casta* est à terrestribus illis studiis, ut *Grotius* h. l. explicat, mentemque & voluntatem cum affectibus purgans ab omni impuritate carnis & spiritus, impollutamque custodiens, Jac. I. 27. deinde *pacifica*, procul ab amaro zelo, invidia, κενοδοξία, λογομαχία &c. 1. Tim. VI. 4. nec disjungens sed in unum nectens animos, omniaque, quantum fieri potest, in meliorem partem interpretans, & pacem cum omnibus colens: 3. *æqua*, in ratione agendi & judicio de aliorum actionibus, & sermonibus, non persequens strictum jus, sed pacis concordiæque causa aliquid remittens, memor quantum DEUS de suo remittat jure, Matth. V. 7. XVIII. 28. Phil. IV. 5. 4. *tractabilis*, & meliora dicentibus aut suadentibus obsecundans, se aliis attemperans, 1. Cor. IX. 19. ff. 5. *plena misericordiæ & fructuum bonorum* omnis generis, Gal. V. 22. lapsis condolens, eisque parcens & benigne quibusvis succurrens: 6. sine disceptatione in fidei πληροφορία loqui & agere facit, vel, ut alii volunt,

Jac. IV. lunt, non discernit inter homines secundum carnem, ex prosopolepsia. Vid. supra II. 4. 7. *hypocriseos* omnis *expers*, in fide pariter, 1. Tim. I. 5. ac charitate, 2. Cor. VI. 6. & in tota conversatione: denique 8. à præmio hanc cœlestem sapientiam laudat & commendat, quod amplissimi & ubertrimi fructus *in pace seminentur facientibus* & sectantibus *pacem* & pacificam sapientiam, donec plena messe metant apud DEUM in adventu gloriosо JESU CHRISTI, in omnem æternitatem. Ps. XCVII. 11. Prov. XXII. 10. Matth. V. 9. (Gal. VI. 8. f.) ℣. 13.—18.

CAP. IV.] CAP. IV. Apostolus pergit in cœpto argumento, &, ut de rixis ac contentionibus in præcedenti capite egerat, ita nunc altius ducit originem istorum malorum, ostenditque stadium rixandi & criminandi, conflictus, concertationes, bella intestina inter Christianos, aliaque mala, oriri ex voluptatibus, pravis affectibus, & concupiscentiis carnalibus, quas dominari sinunt in membris suis φιλήδονοι μᾶλλον ἢ φιλόθεοι, contenti externa religionis specie (2. Tim. III. 4. f.) iisque, non, ut par est, gratia divinitus adjuti, resistunt, ℣. 1. Ut vero Christianos excitet ad pugnandum contra voluptates, depingit veluti per hypotyposin fœdas & tristes tumultuationes, inde orientes, earumque effecta pernicioſa ac damna: nimirum, quod vehementer quidem concupiscant ex amore voluptatum in membris suis, aliis invideant, quæ habent à DEO, bella iis indicant, & tamen nihil habeant, nec assequantur, aut assequi possint, quod à datore omnis boni non petant largitiones bonas & perfecta dona, nec, si petant vel temporalia, bene petant, sed male, cum sc. in finem, ut voluptatibus suis impendant, & venetri vel mammonæ serviant, ℣. 2. 3. Unde eos vocat *adulteros*, cujusque sexus ac conditiones sint, ut qui deserto summo bono, regnoque DEI, quod ante omnia & unice desiderandum & quærendum erat, mundum, & quæ in mundo sunt, ament, iisque toto amore adhæreant, ac proinde DEUM amare nequeant,

ant, 1. Joh. II. 15. 16. *& nescire velint, quod amicitia mundi sit inimicitia DEI*, Rom. VIII. 7. putentque frustra & inaniter Scripturam dicere, (Gal. V. 17.) quod *adversus invidiam* (& reliqua pravæ concupiscentiæ opera, quæ fere ex invidia & æmulatione oriuntur) *concupiscat Spiritus S. qui in* fidelibus *habitet*, pugnet, eamque damnet; *humilibus autem*, corde, Matth. XI. 29. erga DEUM & homines, & miseriam suam corruptionemque agnoscentibus, & opem cœlitus petentibus, *majorem* longe *dei gratiam*, tanquam Spiritus gratiæ & deprecationum, Zach. XII. 10. quam homo apud mundum possit acquirere per ambitum illius amicitiæ & amoris impuri, vel per contentiones & pugnas, atque ideo per Apostolum Petrum 1. Ep. V. 5. dicat: *DEUS superbis resistit, humilibus vero dat gratiam*, cum variis donis & effectibus præclaris, & non solum eorum spiritum concupiscere facit adversus quaslibet pravas cordis cupiditates, sed etiam efficit, ut ad imaginem DEI reformentur, & interior homo de die in diem renovetur, (2. Cor. IV. 16.) v. 4—7. Ad hanc gratiam igitur ambiendam & impetrandam serio hortatur Apostolus Christianos eisq; severe præcipit, ut 1. *se* totos *subjiciant* submisse, *DEO* tanquam Domino summo, Patri optimo, omnipotenti &c. fide, obsequio, timore & amore, Eph. V. 21. 22. secundum ordinem in verbo præscriptum, 2. ut *resistant* animose, virtute Spiritus inhabitantis, per fidem, (1. Pet. V. 9.) *diabolo*, calumniatori, mendacii, superbiæ, rixarum & bellorum patri. Huic monito, si admittatur & pareatur, promissionem addidit, de victoria contra diaboli tentationes & insultus certo obtinenda *& fugiet, à vobis*, pudefactus & à DEO increpitus, Zach. III. 2. Qui DEO se totum subjicit, & diabolum in fugam agit, *ad DEUM* tanquam optimum doctorem, ductorem & protectorem, *appropinquare* magis magisque ac eidem adhærere debet, ad quod Jacobus Christianos excitat, & vicissim *DEUM appropinquaturum* majori uberiorique gratia, pol- Jac. IV.

licetur,

Jac. IV. licetur, & modum ostendit, quo non tantum fideles & jam conversi, sed etiam *peccatores* insignes & graves, ut voluptuosi, rixosi, adulteri, quos antea nominaverat, item hypocritæ, sive ἄψυχοι ad eum accedere queant, nempe veram pœnitentiam agendo, quam à posteriori & priori describit, valde significantibus verbis, quibus indicat, eam interiorem & totalem esse debere, ut ipsa corda conterantur, doleant, purgentur, mutentur & sanctificentur, per mediorum eo destinatorum usurpationem, perpetuam renovationem, quemadmodum in V. T. subinde totam pœnitentiæ rationem describi, non ignotum esse poterat Judæis, vid. Jes. I. 16. s. Joël. II. 12. ff. ac inpr. hymnos Davidis pœnitentiales, unde satis constat, totum hominem alium fieri & aliter vivere debere *coram DEO* ambulando & se *humiliando*, nec temere judicando, aut damnando, quod esset ipsi legi ejusque justitiæ & sanctitati detrahere, eamque judicare, non observare, imo involare in *unius* summi *legislatoris*, DEI, officium judiciarium, qui solus in sua potestate habet, *salvare & perdere*, (Jes. XXXIII. 22. Matth. X. 28.) ℣. 8—13. Cumque humilitati inanis præsumtio & fiducia sui ipsius cumprimis adversetur, & divinæ providentiæ deroget, ac causa sit avaritiæ, arrogantiæ, jactantiæ, securitatis, hoc quoque peccati vulgaris genus per hypotyposin vel mimesin exprimit, ℣. 13. redarguit, quibusdam argumentis refellit, & corrigit, ℣. 14. 15. 16. & tandem concludit totam præcedentem tractationem, (Flac. in Gloss. h. l.) ostendens non modo non prodesse, sed etiam obesse professionem & notitiam Christianismi jactationemque sapientiæ & scientiæ fideique, si illa omnia in otiosa speculatione & impura vita, veluti captiva detineantur. Regula brevis hæc est cujus praxis perpetua esset debet: *qui noverit bonum* quodcunque *facere*, juxta DEI voluntatem, in Lege & Evangelio revelatam & tamen illud *non facit*, *ei peccatum est* longe gravissimum, Joh. XV. 22. Luc. XII. 47.

CAP. V.

CAP. V. Quia vero *divites* & noverant & poterant præ aliis facere bona, non tamen faciebant, nec se humiliabant, ut Cap. I. 9. &. III. 7. seqq. serio monuerat Jacobus, eis primo loco pœnas denunciat, & fore tempus prædicit, quo *ploraturi* & *ululaturi* sint, instar luporum famelicorum, super & *propter miserias* varias & maximas, certo ipsis *eventuras*, ℣. 1. quia noluerant ταλαιπωρῆσαι & lugere propter peccata, nec per veram pœnitentiam appropinquare DEO, (Cap. IV. 8. 9.) Ubi culpam prima inde exaggerat, quod divitias suas potius putrefieri, vestes à tineis exedi, aurum & argentum corrumpi & vitiari ærugine maluerint, quam pauperibus de iisdem quidquam erogare, (vid. *Calov.* & *Coccej.* h.l.) adeo ut etiam *ærugo contra eos* apertum sit *testimonium* tenacitatis & avaritiæ insatiabilis immisericordiæque erga proximum egenum: deinde pœnam subjungit ex lege talionis, indicans, ipsam illam æruginem vel avaritiam carnes eorum devoraturam, *instar ignis*, hic, **der Geitzige frißt sich das Hertz ab**, flagratque insatiabili cupidine habendi, velut ardendi febre, & in inferno, cum divite epulone. Culpa amplificatur à conditione temporis, quod *thesauros congesserint in ultimis diebus*; quibus verbis respicit, *Coccejo* judice, secula Antichristi, opes mundi corradentis, regnum vero Christi, in quo veri thesauri gratiæ sunt, negligentis & persequentis, ℣. 2. 3. Altera ratio judicii imminentis sumitur ab injustitia summa, qua per defraudationem mercenariorum opes pepererunt, quorum clamor in cœlum penetret, DEumque ad vindictam provocet, ℣. 4. Tertia à luxu & delitiis, quibus diffluebant, tanquam in die mactationis, **es war alle Tage bey ihnen Schlacht-Tag**, ut apud epulonem, Luc. XVI. Conf. Apoc. XVIII. 7. Quarta à persecutione & cæde justorum, quæ nota est Antichristi, v. 5. 6. Adversus hæc mala munit & consolatur pios Jacobus, jubetque eos patientes & longanimes fortique animo esse, usque ad adventum Domini, 2. Thess. II. 1.

Jac. IV. CAP. V.

Jac. V. Luc. XVIII. 8. & imitari agricolas, patienter exspectantes pretiosum terræ fructum, non suspirare adversus alios & vindictam optare, sed DEO judici supremo omnia committere, qui ante fores stet, ỳ. 7.8.9. venturus de improviso, Luc. XXI. 27. seqq. Apoc. VI. 17. XI. 18. & respicere exempla Prophetarum omnium, cumprimisque Jobi, & exitum felicem patientiæ, ỳ. 10.11. Conf. Matth. V. 10.11. Jac. I. 2.12. Et quia ex impatientia facile homines in exsecrationes prorumpunt, vetat graviter Apostolus maledictis certare & juramento quocunque se ad vindictam obstringere, ne, qui ita leves sunt, in judicium condemnatorium (alii legunt pro κρίσιν ὑπόκρισιν, sed *Coccejus* priorem lectionem tuetur, eamque *Syrus* & *Arabs* cum *Lat.* habet) incidant, ỳ. 12. Conf. Eph. IV. 25 Col. III. 9. In afflictionibus potius orandum ardenter ad DEUM pro nostri in patientia sustentatione, in lætis vero rebus psallendum, præcipit, ỳ. 13. Neque in morbis sustinendis impatientes esse vult Christianos, sed istum errorem corrigit, propositisque salutaribus præceptis instruit, quomodo se gerere debeant, ut Ecclesiæ presbyteros accersant, qui pro ægrotis orent, eosque in nomine Domini ungant, pro concesso tum temporis dono sanandi, (Marc. VI. 13. à qua unctione Christiani ἀλειπτοὶ s. unctores dicebantur) ut per preces fidelles sanentur & erigantur corpore & anima, impetrata remissione peccatorum, post editam confessionem & veram pœnitentiam; quarum precum magnam vim & efficaciam esse, exemplo Eliæ, Prophetæ quidem insignis, sed iisdem quibus nos, affectibus obnoxii, confirmat, ỳ. 14.—19. Denique μακροθυμίαν in conversione aliorum præcipue ostendi vult, ut omni labore & patientia studeamus errantes revocare in viam; quam admonitionem tacite innuit & præsupponit, quando commendat hoc studium ab ingenti utilitate, quod ita animæ salventur & liberentur ab æterna morte, & multitudo peccatorum damnantium tegatur per remissionem in CHRISTO JESU in illis, qui

qui convertuntur. Hoc convertentibus tribuit, quod solius Christi proprium est, ut ad hoc salutare Conversionis opus alacriores nos reddat, v. 19. 20. 2. Pet. I.

XXXIX.

Jacobum excipit *Petrus*, qui ad eosdem scripsit, ad quos Jacobus suam misit Epistolam, ac ipse priorem, nempe ad Judæos per Pontum, Galatiam, Cappadociam, Asiam & Bythiniam dispersos, sed ad Christum conversos, non exclusis Gentilibus, quos solos *Flacius* intelligit, sed *Gerhardus* melius illos principaliter, ut ex Cap. III. 1. colligi potest. *Tempus* scriptionis non adeo certum est, aut definiri potest, nisi quod ex Cap. I. v. 14. effici queat, Apostolum paulo ante mortem eam exaravisse. *Locus* pariter in obscuro est, nec, etiamsi detur, Petrum Romæ fuisse, ibique martyrio vitam finiisse, quod plurimi historici magno consensu tradunt, quemadmodum nuper Cl. *Basnagius* in Exercit. Anti-Baron. ad A. C. XLIV. n. XXV. p. 548. ff. contra *Spanhemium* multis argumentis ostendit, hinc valide satis efficitur, ibidem etiam hanc Epistolam scriptam fuisse: ideoque multi putant, multo probabilius statui, Babylone eam missam, æque ac priorem. Utcunque vero id se habeat, parum refert: hoc forte gravius utiliusque est, ut scribendi *occasionem* inquiramus, ex ipsa Epistola. Eam hanc fuisse comperimus, quod inter conversos non pauci in studio pietatis remissiores fuerint, quos proinde ex instinctu divino excitare & monere visum fuit, ut depositum sacrum custodirent, fidem vivam per totam vitam exprimere exercitio bonorum operum perpetuo studerent, nec à Pseudo-Doctoribus, ultimis temporibus frequentes exorituros, seduci se sinerent. Unde totius Epistolæ argumentum & scopum duobus verbis indicare possumus, ex Cap. I. 12. 13. 15. & III. 1. quod sit ὑπόμνησις s. refricatio priorum, & διέγερσις s. excitatio ad constantiam in fide & studium pietatis, *Secunda Petri Epistola. Tempus, locus, occasio scriptionis. Argumentum.*

2. Pet. I. pietatis, contra seductores. Vid. *Athanas.* in Synopsi & *Oecumen.* Lutherus in præfat. ad Vers. German. per tria Capita summam egregie indicat. In I. scribit ostendere Apostolum Ecclesiæ, temporibus Apostolorum vicinæ, statum pure adhuc sincereque prædicati Evangelii : in II. statum dominantis Papatus, & regnantibus doctrinis humanis, in III. statum post revelatum Antichristum, quomodo homines in Epicureismum prolapsi, & Legem & Evangelium despicatui sint habituri, ac nihil quidquam crediturí ; qualis futurus sub finem mundi, & hodie sit. Conf. *Flac.* Verum, pro more, singula percurremus Capita.

CAP. I. CAP. I. Ad fideles se scribere Apostolus in principio indicat, & primis statim verbis eos ad constantiam in fide ejusque demonstrationem excitat, quando dicit, illos *æque pretiosam fidem* (Actor. XI. 17. XV. 9.) ex gratia à Patre luminum, & per eam præstantissima dona *accepisse*, cum Apostolis, *in justitia DEI & Salvatoris nostri JESU CHRISTI* ; quæ deposita custodienda sint, quorumque munerum augmentum & complementum iisdem precatur, in viva & practica cognitione, v. 1. 2. Deinde beneficia divina commemorat, quæ fideles acceperint, eaq; exaggerat, 1. à donantis potentia, 2. à donorum cumulo, (*omnia, quæ ad vitam* spiritualem & æternam, *ac pietatem* spectant) 3. à donationis medio, quod est gratiosæ vocationis cognitio sive apprehenso fiducialis, (Jes. LIII. 11. Joh. XVII. 3.) 4. à causa & fine, *per* & *ad gloriam ac virtutem*, s. gloriosam virtutem, quia per vocationem istam DEI maxime elucet ejus gloria & virtus, eoque omnia tendunt, Ephes. I. 6. 7. 17. ff. II. 7. 2. Tim. I. 9. 1. Pet. V. 10. Per quam gloriam & virtutem *maxima & pretiosissima promissa*, in V. T. Patribus facta, per Prophetas toties repetita, & per Christum parta bona, DEI θεϊας δωρεὰς nobis largitam esse, docet, ut *per ea divinæ naturæ*, id est, Luthero explicante, æternæ veritatis, justitiæ, sapientiæ, vitæ

vitæ &c. *participes fiamus*, & vi gratiosæ unionis Christus, imo tota SS. Trinitas per fidem in cordibus nostris habitet, nosque omni plenitudine divina repleat, (Joh. XIV. 23. Ephes. III. 17. 19.) v. 3. 4. Hinc deducit paræneſin, ut tantorum beneficiorum memores fideles (1.) *fugiant* proculque absint *ab illa corruptione*, quæ est in & *à concupiscentia* prava omnium vitiorum, Gal. V. 17. 19. ff. *in mundo* hoc perverso, 1. Joh. V. 19. utpote cum qua corruptione activa, ut sic dicam, (Ephes. IV. 22.) non possit consistere κοινωνία illa cum DEO, 1. Joh. I. 6. 7. II. 15. 16. (2.) faciant ex donatis viribus, (v. 3. Conf. 1. Pet. IV. 11.) quæ facienda sunt, *eoque omne studium* per totam vitam *conferant*, ut *suppeditent*, instar arboris fertilis (vide infra. v. 8.) *in* viva *fide*, tanquam genitrice, fonte & radice omnis boni, *virtutem* quamcunque, Phil. IV. 8. *& in virtute*, sive exercitio bonorum operum, circumspectionem, *cognitionem* sive prudentiam, omnia in loco, tempore &c. dicendo & faciendo, nec in excessu nec in defectu peccando, 1. Cor. VIII. 1. ſ. 2. Cor. VI. 6. 1. Pet. III. 7. *in hac vero cognitione continentiam* sive moderationem animi & corporis, ne libertate, quam in Christo habent Christiani, abutantur in tota conversatione externa, in verbis, gestibus & factis, ut Simoniani, Gnostici & Nicolaitæ fecerant: *in continentia patientiam* & perseverantiam in afflictionibus & tentationibus plurimis & maximis; *in patientia pietatem* veram, cultumque sincerum DEO præstando, & servando, nec à vitæ sanctitate quidquam remittendo, sive per commoda, sive per adversa tententur, cum sciant sine persecutionibus esse non posse, qui pie vivere in J. C. volunt, 2. Tim. III. 12. Jac. I. 2. ff. *in pietate fraternam charitatem*, cum pietatis professio sine amore fratrum, qui Christum profitentur, intimo nihil sit nisi jactantia & inanis crocitatio, (*Coc.* h. l.) 1. Joh. IV. 20. ſ. denique *in dilectione fratrum charitatem* communem erga omnes homines, etiam hostes, Matth. V. 44. ff. quia charitas est vinculum 2. Pet. I.

2. Pet. I. perfectionis, & non excidit, sed in vitam æternam permanet, (1. Cor. XIII. 8.) ℣. 5. 6. 7. Huic enumerationi virtutum scalari, ad quarum studium profectumque perpetuum hortatus est Apostolus, adhortationis argumenta subjicit suadentia, (1.) *à fine & effectu* vocationis ad regnum Christi, qui est fructificatio in bonis multiplex; quia hæ virtutes, *si abundanter adsint*, ut omnia DEUM donare ostenderat, quæ ad vitam & pietatem pertinent, (℣. 3.) *non constituant nos otiosos aut infrugiferos in Domini nostri J. C. cognitionem*, sed contra potius operosos & fructuosos plenosque fructibus justitiæ efficiant, Phil. I. 11. ostendantque, esse in nobis veram fidem, per charitatem & alia bona opera ἐνεργούμενον, ℣. 8. (2.) *ab antithesi*, ut inertia (das faule/ todte Wesen und Leben,) sive contraria vitia demonstrent, eos, qui se Christianos & fideles profiteantur, vera cognitione, vita, luce & pietate destitutos, talpa *cæciores* esse, non spectare futura & procul, sed præsentia tantum & terrena, ut animalia, quæ natura prona & ventri obedientia finxit, & reipsa *oblitos purificationis* priorum sive *veterum suorum peccatorum*, ejusque finis, turpissime negligere, ac εἰς κενὸν accepisse gratiam regenerationis, justificationis &c. ℣. 9. Ex qua socordia & neglectu non potest non homo recidere in statum miserrimum peccatorum ac damnationis æternæ. Qui vero efficaci gratia & virtute DEI donata recte utitur, maximum inde commodum percipit, quod (3.) est argumentum exhortationis Petrinæ, *ab utili* desumtum, & ex superioribus fluens, sive illatum, quia qui omni nisu atque contentione student purificationi quotidianæ & in exercitio pietatis perpetuo versantur, digne Evangelio ambulant, *non ruent* in peccata contra conscientiam, nec gratia excident, sed *vocationem & electionem suam firmam* certamq; *facient* ex sua parte, ac, præter testimonium Spiritus S. internum, promissa infallibilia &c. ex signis istis idoneis colligent, se non tantum in vocatorum sed etiam electorum numero esse, (Rom. VIII. 16.

VIII. 16. 30.) & *se abundanter ipsis subministrabitur* ex potentia & gratia DEI, *in æternum Domini & Salvatoris nostri* J. C. *regnum ingressus*, nihil remorantibus afflictionibus, diabolo, hominibus & ipsa morte, (ibid. ℣. 38. 1. Pet. I. 5.) v. 10. 11. Hunc in finem (4.) Apostolus subjicit suam quoque commonefactionem perpetuam, additis causis prægnantibus, (α) à conditione eorum, ad quos scribebat, quod etiam *scientes & confirmati in veritate* Evangelica præsenti, non promissa, ut in V. T. 1. Pet. I. 10. ad studium bonorum operum sint excitandi, cum Satanæ, mundi & carnis insidiis adhuc sint obnoxii, 1. Pet. V. 8. ff. (β) *ab officio suo* Apostolico, quod justum & æquum sit, & coram per omnem vitam *excitare* Christianos, ipsisque *in memoriam revocare*, cum beneficia per Christum accepta, tum officiorum partes jugiter observandas, quod eo studiosius facere allaboret, quo propior sit morti; & scripto relinquere μνημόσυνον & suscitabulum, v. 12.—16. (γ) *à certitudine doctrinæ* ab se traditæ, & testificatæ, cum ab Apostolis, quod non figmenta humana, mira arte composita, sed divina oracula proposuerit, ac inprimis inculcaverit *Domini* J. C. *potentiam* divinam *& præsentiam*, manifestationemque in carne, non humilem tantum, sed magnificam quoque in ipso exinanitionis statu, cujus spectator & auditor intimior fuerit, una cum aliis in monte sacro, ubi Salvator honorem & gloriam vere infinitam à Patre acceperit, & toti orbi commendatus fuerit, Matth. XVII. 1. ff. tum à Prophetis, quorum omnium *sermo* de Christo *firmior* sit (Actor. X. 43. 1. Pet. I. 10.—13.) Hebræis, & minus exceptionibus & dubitationibus obnoxius, quam illa transfiguratio CHRISTI, ad quem eos remittit, tanquam tutissimam regulam fidei & pietatis, sive sanctæ vitæ magistram, quemque commendat & magnifice deprædicat ab effectu salutari, quod clarus non tantum in se & perspicuus sit, sed etiam, si debita ratione in timore Domini legatur, & ad illum attendatur, caligi-

2. Pet. I.

2. Pet. II. ginem ignorantiæ, nobiscum natæ, errorumque omnium discutere, & facere possit, *ut dies illucescat* cognitionis salvificæ & vivæ de Christo, *&* major subinde lux sive *lucifer oriatur in cordibus nostris.* Diligenter autem & *inprimis*, ac ante omnia, observari vult à lectoribus Scripturarum Propheticarum, quod *ea non* sint *propriæ explicationis*, ne patiantur se seduci ab illis, qui privatum suum sensum Vatum Oraculis inferunt, quum *non humana voluntate* arbitrive excogitata & *allata aliquando* ulla vera *prophetia*, Canonicis voluminibus comprehensa, *sed sancti DEI homines* (2. Sam. II. 27. IX. 6. 1. Reg. XVII. 18.) *à Spiritu* S. qui Christi Spiritus est, 1. Pet. I. 11. *acti* & impulsi, immediate edocti illuminatique infallibiliter *locuti sint*, & literarum monumentis consignarint oracula & mysteria, πρὸς ἀσφάλειαν nostram, Luc. I. 4.

CAP. II. CAP. II. Cur omnes Christiani attendere probe debeant sermoni Apostolici & Prophetico, memorat Petrus, & prædicit exorituros *inter ipsos falsos Doctores*, quemadmodum & in Vet. Test. falsi Prophetæ extiterint, Matth. XXIV. 11. 24. Actor. XX. 29. s. 2. Thess. II. 3. quos omnes summo studio cavendos, tacite innuit, quando & pericula ab iis imminentia, & pœnas, illos pariter ad seductos manentes, recenset. Periculum tanto magis metuendum declarat, quanto subtilius *introducturi* sint *hæreses exitiales* & dogmata damnabilia, quæ *ad abnegationem Domini* & DEI Salvatoris omnium unici, divino suo sanguine *eos acquirentis* & redimentis, (Actor. XX. 28. Gal. III. 13. Jud. v. 4.) sive directe sive indirecte tendant: & quanto certius *citiusque exitium* spirituale ac æternum, *sibi ipsis*, & aliis eos sequentibus, *accersant*, v. 1. Ne vero improvide istos seductores sequentium multitudo quenquam trahat in errorum societatem, *plurimos* fore nunciat, qui vestigia eorum legentes *in* omnis generis *perditiones ruant*, ex justo DEI judicio, 2. Thess. II. 10. ss. & causam præbeant una cum deceptoribus, ut per ac *propter*

pter eos via veritatis Evangelice, quæ ſecundum pietatem eſt, 2. Pet. II.
blasphemetur, ac ſi det licentiam peccandi iis, qui ſola fide juſtificari ſe ſtatuunt, v. 2. traditiones autem hominum mirum in modum extollantur & majore etiam pietatis affectu quam verbum ſcriptum recipiantur. Quemadmodum igitur character Antichriſtianorum Doctorum eſt blasphemia, Apoc. XIII. 1. 2. XVII. 3. ita quoque ſummam & inſatiabilem *avaritiam* in iis notat Apoſtolus, qua impulſi fraudibus variis utantur, *fictisque ſermonibus* ineſcent incautos, *& negotientur eos* ac nundinentur, emungendo opus διὰ χρισολογίας καὶ εὐλογίας (Rom. XVI. 18.) per miſſas, indulgentias &c. Hinc repetit exitium pœnasque ſeductoribus & ſeductis divinitus, certo & non ſegniter, infligendas, quod confirmat exemplis tribus, quorum primum eſt *Angelorum malorum*, quibus DEUS non pepercerit, ſed damnationis ſententiam in illos pronunciaverit ſeveram, inque carcerem infernalem trucidandos præcipitaverit, ac majus judicium ſuppliciumque illis reſervaverit: ſecundum *priſci mundi* impii, univerſali diluvio puniti, tertium Sodomitarum & Gomorrhæorum, quorum urbes igne cœlitus immiſſo perierint. Quæ exempla eum in finem conſignata ſignificat, ut impii inde perſpicerent iram pœnamque divinam certiſſime paratam omnibus nefariis & irreligioſis, v. 3. —7. Inſerit tamen ἀντιθετικῶς exempla gratiæ divinæ in *Noacho, præcone juſtitiæ*, quem DEUS una cum familia mirabiliter in arca cuſtodiverit, ℣. 5. & *juſto Lotho*, quem nefariorum hominum libidinoſa converſatione, quam videre & audire quotidie cogebatur, divexatum & fatigatum, liberaverit, ℣. 7. 8. Quam doctrinam de impiorum exitio & piorum conſervatione pulcherrimo epiphonemate concludit, ℣. 9. & è diverticulo quaſi redit ad falſorum doctorum deſcriptionem, &, ut *Flacius* ac *Coccejus* volunt, de certa quadam eorum ſpecie agere incipit, nempe de Antichriſto ejusque curtiſanis, & pſeudo ſpiritualibus, vel, ſi de iisdem, ut in prioribus, eorumve ſi-

2.Pet.II. milibus agit, plures & luculentiores notas recenſet, ut ſi una alterave non ſatis innoteſcat omnibus, ex pluribus indicium fieri queat. 1. eſt ſumma libidinoſiſſimæ vitæ impuritas, Romæ & alibi conſpicua: 2. contemtus extremus *dominationis* ſupremi Domini JESU CHRISTI, (℣. 1. conf. *Calov.* h.l.) vel dominationum & poteſtatum ab eo ordinatarum, (Rom. XIII. 1. quorum utrumque quadrat in eos, qui ſervi ſervorum quidem dici volunt, ſed Dominos Dominorum ſed demonſtrant: 3. hinc *audaciam* prorumpunt irrefrenabilem, ut nihil non audeant, divina & humana jura ſubvertant, προπετεῖς ideo Paulo dicti, (2. Tim. III. 4.) 4. ſunt αὐθάδεις, *ſibi placentes* in prudentia carnali, præfracti & pervicaces, infallibilitatem ſibi arrogantes in placitis ſuis & traditionibus; unde 5. *glorias* DEI & Domini noſtri glorioſi, *non metuunt blasphemare*, ejusque merito & gratiæ detrahere, dum ſuis operibus & meritis ordinum hominum peccatorum, interceſſionibus ſanctorum &c. tribuunt, quæ iis non poſſunt ſine blasphemia tribui, ℣. 10. Hoc ſcelus amplificat (β) per collationem ſeductorum cum *Angelis* bonis, *qui licet robore atque potentia* longe *majores ſint* quibuscunque Doctoribus falſis, etiam eminentiſſimis, ac diabolis, *non ferant* tamen, nec auſint pronunciare *adverſus* αὐτῶν (eas, ſc. glorias, ſive Chriſtum ſ. Magiſtratum intellexeris, ℣. 11. vel, ut alii volunt, αὐτῶν eſſe pro καθ' ἑαυτῶν, *adverſus ſe ipſos*, aut mutuo,) *judicium maledicum coram Domino*, ℣. 11. (β) cum brutis irrationalibus, quorum more vivant, & naturalibus tantum motibus ac concupiſcentiis ducantur, omni rerum divinarum cognitione & ſpiritu carentes, & tamen τὰ τῦ πνεύματος blasphemantes; quos proinde *in ſua corruptione*, quam ſibi ipſis accerſunt, æternum *perituros*, cum in proprium exiſtium ruant, ſicut feræ in laqueos & retia vili eſca allectæ, & ita dignam mercedem pro injuſtitia ſua reportaturos dicit, ℣. 12. Quam ἀδικίαν τῶν ἀνόμων mox amplius exprimit, quod ſummam felicitatem *in quotidianis deliciis* & luxu

& luxu ponant, adeoque *labes & macula* sint Christianismi, qui 2. Pet. II.
ejus lumina & ornamenta esse volunt : quodque sine omni pudore *oblectent se* iis, quæ per multiplices fraudes & *deceptiones* conquisiverunt & coacervarunt, vel in usum pauperum & verorum DEI ministrorum collata sunt, & *coepulentur*, institutis eo nomine etiam publicis conviviis, (Conf. Jud. v. 12.) Et quia plenus venter in libidines despumat, hac quoque spurcitie eos imbutos esse, & *oculos adulterii plenos* habere dicit, qui libidinositatem prodant, licet castitatis votum præferant & mentiantur. Atque in his similibusque *peccatis* tantopere immersos illos esse, ut, moniti licet sæpissime gravissimeque à testibus veritatis cordatis, ab iis *non desistant*, sed πᾶσι ἐργαζόμενοι τὴν ἀνομίαν semper sint & maneant, utpote inescati, excœcati à diabolo inque reprobrum sensum dati, & *inescantes* atque capientes *animas* in fide & pietate *nondum* satis *firmatas*, sed fluctuantes, (Eph. IV. 14.) ut sua ex illis commoda parent augeantque, cum *cor habeant exercitatum* probe *avaritiis*, s. lucrosis quæstibus, & semper iis pendeat hamus, non piscandi animas sed numos aureos, fortunas & regiones, sub specie religionis. Eos propterea perditionis & *exsecrationis filios* vocat, (Joh. XVII. 12. Actor. VIII. 20. 2. Thess. II. 3.) omni maledictione dignissimos, (Psal. CIX. 17.) qui innocentes & veritatem cœlestem sectantes, anathematum fulminibus & diris execrationibus percutiunt, & relicta via recta cum Simone Mago & *Bileamo* conduci se mercede iniquitatis patiuntur à diabolo, ut populo DEI maledicant. (Num. XXII. XXIII. XXIV.) v. 13—17. Non subsistit hic Petrus in descriptione falsorum Doctorum aliquando exorturorum, sed amplius procedit, & sive nova eorum genera, ut *Coccejus* vult, vel nova vitia, ceu nostrates vulgo statuunt, perstringit duabus similitudinibus, *fontis* sine aqua, *& nubis* inanis, à vento dissipatæ, ut pluviam non reddat; quibus indicat, eos vacuos esse spiritu donisque gratiæ, & externa specie fallere,

2. Pet. III. nil soliditatis, veritatis aut solatii habere dareve posse sitienti (Prov. XXV. 14. Jer. II. 13.) animæ justitiam & salutem, sed eam in securitatem adducere, prætumida sua & fastuosa vaniloquentia, qua *inescent in carnis concupiscentiis & lasciviis eos, qui vere* (al. legunt ὀλίγον *paululum*, sicque *Syr. Arabs. Hieron. August.* & *Vulg.* reddunt, H. Grot. ad *breve tempus*) *effugerunt* illos, *qui in errore* Antichristiano *versantur*, & Evangelicæ veritatis confessionem amplexi sunt, sed cupiditatibus suis & carni nuntium non miserunt, ut tamen salutifera Evangelii gratia postulat, Tit. II. 11. seq. **die sich nennen Evangelisch, und sind doch Eigenwillisch, oder Reformirt, und sind doch** deformirt. Tales utique merentur, ut ipsis dentur ex justo DEI judicio Placentini, imo ipsi hujusmodi eligunt pastores & doctores, pro lubitu, (2. Tim. IV. 3.) *qui libertatem promittant*, prædicent & applicent carnalibus adhuc & ventri mundoque servientibus, 1. Pet. II. 16. cum tamen *ipsi* quoque sint *servi* & mancipia *corruptionis* in concupiscentia, victi à diabolo & peccatis, Joh. VIII. 34. Rom. VI. 16. Horum autem hunc in modum seipsos & alios decipientium & deceptorum, sive relapsorum, conditionem miserrimam & longe deteriorem esse, quam ante conversionem erat, (Luc. XI. 26.) ac melius illis futurum, *non cognovisse viam justitiæ* Evangelicæ & fidei, *quam post agnitionem retrorsum converti ab eo, quod ipsis traditum est, sancto mandato*, 1. Pet. I. 15. seqq. Luc. XII. 47. Ut igitur tanto magis exaggeret cum peccatum, tum periculum turpissimorum horum apostatarum, citat duo proverbia vetera, apte in eos quadrantia, quorum prius ex Prov. XXVI. 11. desumtum est.

CAP. III. CAP. III. Denuo indicat scriptæ secundæ hujus & prioris Epistolæ scopum, ut vere fideles, *sincera mente præditos*, quique effugerunt in errore versantes, & non inescati à licentiosis libertatis professoribus, aut implicati rursus sunt inquinamentis mundi, excitet ad perseverantiam in doctrina Prophetica

tica & Apostolica, quoad fidem & pietatem, cujus proinde memoriam diligentissime inculcat, &, quæ *Flacii* verba sunt, *vult esse memoriam vivam, seu efficacem & practicam, cum vero usu seriaque cordis pietate conjunctam, non otiosam tantum & speculativam*, ℣. 1. 2. Præmonitionis necessitatem gravissimam hanc subjicit, v. 3. quod post falsos illos doctores, & apostasiam quorundam ab agnita veritate & sancto præcepto, *venturi* sint *in postremo dierum*, sive ultima periodo novissimorum temporum, ἐμπαῖκται, id est, *illusores* & irrisores, inter Christianos, eorumque cœtus, qui puriores aliis habentur, quales, observante *Luthero*, sunt *nostri Epicuræi & Sadducæi, qui nec hoc, nec illud credunt, vitam pro lubitu suo instituunt, juxta suas concupiscentias ambulant*: quibus addere licet *Atheos*, &, quæ *Dieterici* verba sunt in Illustram N. T. *hodiernos Sardanapalistas, cum Cynica & suilla fide* (mit ihrem Sau-Glauben) *quorum symbolon: ede, bibe, Veneri indulge, cætera omnia prorsus nihil.* Capita vero præcipua irreligiositatis empectarum enarrat Apostolus v. 4. eorumque verba & argumentum μιμητικῶς recitat, quorum summa est negatio promissi adventus Dominici ad spem liberationemque fidelium, & impiorum judicium, aliorumque dogmatum, ut resurrectionis mortuorum & consummationis seculi hujus, licet luculenter talia Dominus ipse prædixerit, Matth. XXIV. 29. seqq. Luc. XXI. 25. ff. Rom. VIII. 19. seqq. imo omnes Prophetæ & Apostoli uno ore edixerint, Spiritus Sancti instinctu. Mox refellit hunc errorem à diluvio, in quo tota naturæ immutatio facta sit, & priscus mundus, verbo DEI creatus & consistens, propter hominum impietatem perierit, immisso judicio à justo vindice, DEO; ut adeo falsissimum sit, quod empectæ, ex ignorantia affectata, objiciebant, omnia manere in statu suo primævo, nec mutationi obnoxia esse, v. 5. 6. Hinc infert, *mundum præsentem* majori quoque mutationi obnoxium eumque reservatum esse *ad diem judicii & perdi-* 2. Pet. III.

2. Pet. III. *perditionis hominum impiorum*, v. 7. Conf. Matth. XIII. 40. ff. XXV. 31. seqq. Post quæ ad fideles se convertit Apostolus, missis empæctis, & ostendit, eos debere missos facere illusores & recogitare semper prædicta à Vatibus sanctis & Apostolis, (v. 2.) nec ob moram diuturnam adventus promissi languescere, sed inter alia hoc ex Psalmo XC. 4. diligenter expendere, *quod unus dies apud DEUM sint ut mille anni, & mille anni, ut unus dies*: quodque *non tardet DEUS* promissum ejusque complementum, ultra quam oporteat, sed *longanimitate utatur* erga homines, cum *non velit* ullos, vel *aliquos, perire, sed omnes ad pœnitentiam tendere*, eamque oblatam (Actor. XVII. 30. f.) *arripere*, ac eam in rem & media sufficientia omnibus atque singulis indulgeat, Rom. II. 4. 1. Tim. II. 4. Ne tamen, ut plerumque fit, DEI longanimitate homines abutantur ad carnalem securitatem, dicit illam *diem judicii* stato quidem sed incognito tempore, subito, ac nil tale metuentibus mortalibus, *venturam, ut furem* nocturnum, (Matth. XXIV. 37. ff. Luc. XII. 39. f. 1. Thes. V. 2. Apoc. III. 3. XVI. 15.) Deinde, quod v. 7. dixerat, cœlos & terram igni reservari, uberius explicat, & *celerrime transitura*, flammaque ardente *concremanda* significat; cujus interitus præludium conflagratio Sodomorum & vicinarum urbium præbuit, v. 11. Hinc monitum infert ad præparationem dignam, vigilantiam & exspectationem diei illius, piis læti & felicis, utpote qui spem habeant videndi & possidendi cœlum novum terramque novam, ubi justitia habitet, ex promisso Domini, Jes. LXV. 17. LXVI. 22. Cum vero nonnisi justis, purgatis, sanctis & pacificis, (Matth. V. 9.) aditus pateat ad tantam beatitudinem, denuo iterumque adhortatur fideles ad studium pietatis, & patientiæ, ac idem de eodem argumento Paulum subinde in suis Epistolis loquutum innuit, quod tamen indocti & non satis in sacris literis versati depravent, inque alienum sensum detorqueant, à quibus alienissimos esse

esse vult fratres, & tanto majorem operam dare, ne hominum nefariorum, quos hactenus vivis coloribus depinxit, fraudibus erroribusque abducti à Prophetica Apostolicaque doctrina, excidant â propria firmitate & immoto fidei fundamento, (Eph. II. 20.) sed potius magis magisque *crescant in gratia & cognitione Domini nostri & Salvatoris JESU CHRISTI*, ita, ut non tantum inquinamenta mundi effugiant, sed etiam, quemadmodum in principio Epistolæ prolixe monuerat, suppeditent in fide illa omnia, quæ viva cognitio requirit, & quæ de introitu in æternum glorioſumque regnum Christi, certos ipsos reddere possunt, ℣. 12.—18. Ep. Judæ.

§. XL.

Judas Petro posterior scribit Epistolam ad eosdem ejusdemque argumenti.

Petrum ejusque posteriorem Epistolam excipit *Judas*, Apostolus, Apostoli Jacobi frater, Thaddæus & Lebbæus, veteribusque aliquando Zelotes dictus, quemadmodum vel ex eo colligi potest, quod in Epistola sua catholica, v. 17. 18. respiciat remittatve lectores ad dicta & scripta Apostolorum, se præcedentium, ac nominatim ad Pauli Petrique Epistolas postremas, de illusoribus Evangelicæ veritatis, novissimis temporibus exorituris monentes. Immo etiam ex v. 4. nonnulli concludunt, *Judam* verbo παρεισδυσαν haud obscure indicare, quod ejusmodi homines impii, quos Petrus subintroducturos hæreses exitiales prædixerit, (2. Ep. II. 1.) eo tempore, quo scripsit, jam præsentes habuisse, & stylum quoque in eos strinxisse, vel scribendi occasionem inde cepisse. Longe profecto verisimilior est hæc sententia, quam illorum, qui putant, Petrum plurimas sententias pene verbotenus é Judæ epistola in novissimam suam transscripsisse, atque adeo Juda posteriorem fuisse. Alii contrarium factum contendunt, &, vel exscriptorem, vel epitomatorem Petri Judam faciunt. Nobis ut neutrum placet, quod unus Apostolus ab altero sua hauserit vel compilaverit,

quum

Ep. Judæ. quum uterque ex divina inspiratione scripserit, & idem Spiritus S. vel eadem, vel valde similia utrique suggerere potuerit, quemadmodum de quibusdam Prophetis & Evangelistarum sancta quadriga constat: ita placet hoc, quod *Spanhemius* H. E. Sec. I. p. 546. scribit, *Judam sero admodum scripsisse Epistolam, post Petri & Pauli novissimas, adeoque post excidium urbis, & Annum LXX. postque natas turpissimas hæreses, ut Simonis, Menandri, Ebionis* &c.

Quod ad *occasionem* & *argumentum* Epistolæ attinet, minime necesse esse putamus, de iis prolixam instituere narrationem, quum ea sufficere hic possint, quæ ad Petri ultimam observata sunt, & negari nequeat, in plurimis utramque convenire; adhæc ex brevi brevis Epistolæ explicatione & analysi ea facile perspiciantur. In *Exordio* 1. nomen suum, cum proprium, tum officii & genus familiamve exprimit, quando se vocat *Judam JESU CHRISTI servum, fratremque Jacobi:* quo satis indicat, se à proditore *Juda* distinctum, veri nominis Apostolum, & constantem testem, servum & confessorem (quod *Judas* Hebraice declarat, & *Taddæus*, Marc. III. 18. ut nonnullis placet) Domini sui esse, nec minoris habendum, quam Jacobum, Paulum & Petrum, Jac. I. 1. Rom. I. 1. 2. Pet. I. 1. adeoque brevem hanc epistolam pari pietatis affectu cum aliis sanctorum DEI virorum scriptis recipiendam esse. 2. Indicat eos, ad quos scribit, sed generatim, neque enim vel à genere, vel à patria, vel ab habitatione eos describit, sed à beneficiis communibus, quæ DEUS in illos omnes contulerat, qui Christi nomen profitebantur. Atque illa forte ratio est, cur *Epistolæ Catholicæ* nomen obtinuerit, nec unquam disputatum sit, num ad solos Judæos, an ad solos Gentiles, eosque vel hujus vel illius regionis, an denique ad utrosque mixtim scripta sit. Quanquam haud forte abs re censeant Interpretes, ad eosdem scriptam esse, ad quos Jacobus & Petrus suas dederunt Epistolas, quorum

quorum maxima pars ex Judaismo ad Christum conversa esset: Ep. Judæ.
sic *Estius* ℣. 17. colligit; sed non satis hoc argumentum stringit, cum etiam Paulus de illusoribus novissimorum temporum prædixerit, etsi ad Gentiles scripserit. Quicquid vero hujus sit, tribus verbis Judas sat perspicue indicat, ad quos vel quibus scribat: τοῖς ἡγιασμένοις, τετηρημένοις κλητοῖς, quorum verborum ordinem *Estius*, *Lyranum* secutus, hunc esse recte observat: *vocatis* (quod non tam participii quam nominis vim habere, & reddi posse *vocatitiis*, Erasmus aliique dudum adnotarunt) *nempe iis, qui in DEO Patre sanctificati sunt, & JESU CHRISTO servati.* Quæ sane ad omnes Christianos pertinent, quibusque non tantum maxima & pretiosissima beneficia, quibus affecti à DEO T. O. M. sint, in memoriam revocat Judas, una cum tacita admonitione custodiæ fidelis tanti depositi, verum etiam promittit, DEUM eos servaturum, ne à deceptoribus seducti pereant, (Joh. X. 28. 29. 1. Pet. I. 5.) ac eo nomine precatur ipsis v. 2. *augmentum* & complementum *misericordiæ* & gratiæ, à DEO Patre, (2. Cor. I. 3.) *Pacis*, à Pacis Principe & datore, J. C. & *dilectionis*, à Spiritu S. (Rom. V. 5.) Cur talium munerum incrementum fidelibus ex animo apprecetur, mox innuit, quando testatur v. 3. affectum & sollicitudinem suam singularem erga fratres dilectos, quibus, juxta divinum mandatum atque instinctum, necesse habuerit ad eos scribere de re gravissima, nempe de *communi* totius Ecclesiæ *salute*, eosque serio *adhortari*, ne, assurgentibus quotidie novis impostoribus, seduci se ab iis patiantur, sed in acie starent, παναπλίᾳ & fortitudine divina instructi, contra Veritatis Evangelicæ hostes strenue decertarent, *pro fide* vera, certo, plene & sufficienter satisque clare *semel tradita sanctis*, s. Ecclesiæ, quæ est congregatio sanctorum, à DEO, & revelata Prophetis & Apostolis Domini JESU CHRISTI, ut ei nihil addere aut detrahere sine jactura salutis liceat. Quo vero melius diligentiusque caverent hæreticos,

Ep. Judæ. partim jamjam tum furtive subingressos, partim novissimis temporibus plenis agminibus introituros, eos describit 1. tanquam prænotatos *olim*, & *præscriptos* ad *judicium* illud insigne, cujus exempla & typos in sequentibus adducit, quorum & impostura & supplicia jam *dudum* prænunciata sint à sanctis DEI viris, (2. Pet. II. 1. 3.) 2. ut *impios*, cognitione veritatis, quæ secundum pietatem est, destitutos, imo contra DEUM vel dictis vel factis proterve insurgentes, & 3. *gratiam DEI* salutiferam, in Evangelio propositam, nobisque in Christo factam, Joh. I. 17. & castigantem nos, ut abnegantes ἀσέβειαν & mundanas concupiscentias, sobrie, juste & pie vivamus in hoc seculo, Tit. II. 11. 12. *transferentes* (sive didactice, sive practice) *in lasciviam*, vel licentiam indulgendi cupiditatibus carnalibus pro lubitu, & libertatem impunitatemve promittentes ita licentiose viventibus: 4. ut *abnegantes* veram Christi Deitatem, sive quod *sit solus Herus* (δεσπότης) imperium habens in omnia, *DEUS & Dominus noster*, jure creationis & redemtionis, seque ei servire debere in sanctitate & justitia per omnes vitæ dies, Luc. I. 74. 75. Ab hujusmodi impiorum & nefariorum hominum consortio, ut Judas abstrahat pios, varia adducit exempla illorum, qui rebellarunt contra Dominum, & supplicia subierunt dira, qualia subituros etiam præsentis & futurorum temporum omnium impios, tacite significat. Tametsi autem non ignota essent Judæis conversis exempla, quæ profert, ea tamen iis in memoriam revocat, ut vel in iis speculum temporum judiciorumque sibi semper similium, haberent, in quo infelicitatem impiorum intuerentur, ac aliorum damno cauti esse discerent. *Primum* exemplum Israelitarum adducit, v. 6. quod, cum idem Dominus & DEUS noster, JESUS CHRISTUS, eos multis beneficii affecisset, & quod inter maxima ponendum, ex terra Ægypti, domo servitutis, miraculose eductos, à Pharaonis tyrannide salvasset, ac illustrem typum futuræ redemtionis è potestate principis

principis tenebrarum ipsis ita dedisset, illi autem turpissime ob- Ep. Judæ.
liti tantorum munerum, murmurassent sæpius, rebellassent, certissimis sanctissimisque promissionibus non credidissent, & obstinate reverti in Ægyptum voluissent, diversis vicibus perdiderit, & in deserto prostraverit, ut hæreditatem promissam adire nequiverint. Conf. 1. Cor. X. 5. ss. Hebr. III. & IV. Secundum exemplum est *Angelorum malorum*, quos, cum non servassent originem dignitatemque, in quam per creationem collocati ab eo erant, per quem omnia facta sunt, sed sponte & superbe deseruissent assignatum sibi glorioſum domicilium & statum, & altiora affectassent, idem ille Dominus & DEUS, Filiusque DEI, è cœlo præcipitatos in infernum detrusit &c. Vid. 2. Pet. II. 4. Tertium exemplum est à *Sodomæ, Gomorrhæ finitimarumque urbium* exitio desumtum, quod toties fere Prophetæ repetunt, quoties memorabile aliquod vel tremendum DEI judicium notare volunt, ideoque haud abs re eo terrorem omnibus seculis incutit Judas, ℣. 7. Quæ omnia applicat mox Apostolus ad seductores, quos descripserat, sive præsentes, sive futuros, quoad peccata & supplicia, quod. 1. sopiti in peccatis carnem polluant nefandis libidinibus, ut Sodomitæ, 2. quod dominationem illius unius Heri, DEI ac Domini JESU CHRISTI, contemnant, ut Israëlitæ increduli in deserto fecerunt: 3. quod glorias Divinæ majestatis, cum Deitati Christi proprias, tum humanitati ejus communicatas, (1. Pet. I. 11. 2. Pet. I. 17.) blasphemiis proscindant, exemplo Angelorum malorum, ℣. 8. Quanta hæc sit præsumtio & audacia impiorum, à contrario ostendit, exemplo modestiæ non tantum Angelorum bonorum, ut Petrus, sed ipsius etiam *Angelorum Principis* & Domini, J. C. qui *Diabolo*, maledictionem dudum promerito, & in dies magis promerenti, secum disceptanti de corpore Mosis: & ad idololatriam gentem Judaicam eo sollicitanti, *noluit maledicti notam impingere*, aut judicium ferre in causa tantæ blasphemiæ,

Ep. Judæ. sed id tum Patri reliquit, dicens: *increpet te Dominus*, (Zach. III. 2.) Istos autem impostores subirreptitios dicit blasphemare ea, *quæ non noverunt*, quæ ipsorum, ut carnalium & animalium, captum superant, nimirum spiritualia, & τὰς δόξας τῦ θεῦ καὶ σωτῆρος ἡμῶν Ιησῦ Χριςῦ, imo brutis similes ac deteriores pronunciat, dum, *in iis*, *quæ naturaliter sciunt* & ex ratione cognoscunt, quæ honesta, quæ turpia, quis modus in cibo, potu, usu Veneris, *corrumpantur* penitus per noxium abusum, ℣. 9. 10. Ejusmodi hominum, vel potius bestiarum, miserrimum statum deplorat demonstratque Judas, dum similes eos ait bipedum, qui unquam vixêre inter mortales, nequissimis, eoque gravissime punitis, *Caino*, patriarchæ & antesignano atheorum, hypocritarum, operariorum, & persecutorum veritatis, cujus vestigia premant & vitæ diabolicæ rationem imitentur: *Balaamo*, in consiliis populum DEI seducendi & perdendi per illecebras libidinum callido & effuso in avaritiam, suaque duntaxat quærenti commoda, & in iis submerso: 3. *Koracho*, contradicenti proterve divinæ constitutioni, & rebellionem defectionemque à DEO & veris DEI ministris concitanti, qui vero subito periit, ℣. 11. Ne vero tales in Ecclesia vera non reperiri, securosque adeo & tutos à seductione se satis putarent Christiani, ostendit Apostolus, domesticos esse illos seductores, eodem verbo iisdemque sacris utentes, & hanc ob causam vivis coloribus illos depingit per elegantes aliquot metaphoras. Primo eos vocat *maculas*, ut vulgo reddunt σπιλάδες, vel, ut alii volunt, *scopulos in agapis* sive conviviis charitativis, eo se ingerentes impudenter, pascentes semetipsos, & convivantes abjecto DEI timore, absque omni verecundia. 2. *nubes sine aquis*, (2. Pet. II. 17.) 3. *arbores*, non tantum *emarcidas* & fructum bonum non proferentes, sed etiam prorsus *infrugiferas* in bono, *bis emortuas*, (quia relabuntur iterum in peccata & mortem, quæ semel effugerant) *& eradicatas*, vel *eradicandas*. 4. *Undas maris feras*, despuman-

deſſumantes ſua ipſorum dedecora, (Eſ. XLVII. 19. Phil. III. 19.) Ep. Judæ.
5. *aſtra planetaria*, in ſe obſcura & mutuatitio Solis lumine extrinſecus fruentia, *quibus caligo tenebrarum in æternum ſervatur*; quia falſi Prophetæ interiori luce deſtituti & mente excœcati, fallaci lumine aſſumto in errores ſeduxerunt pernicioſos, in tenebras exteriores projicientur, (Matth. XXII. 13.) ℣. 12. 13. Certitudinem judicii contra hos aliosque omnes impios demonſtrat & confirmat ex Prophetia *Enochi*, vel conſervata in populo DEI, vel divinitus Judæ revelata, quæ judicii univerſalitatem, ſcopum & rationem luculenter exprimit, ℣. 14. 15. Mox pluribus iterum verbis notat impiorum claſſes, agmina, vel vitia, quod ſint *murmuratores* contra DEum, **denen es GOtt nicht recht macht**, qui non contenti DEI ordinationibus, vel tanquam nimis laxis, vel nimis rigidis, humanas addunt conſtitutiunculas, aut rationalem religionem comminiſcuntur, ut Athei & Naturaliſtæ, *querulatores*, expoſtulatores & contentioſi, incuſantes alios de hæreſi, ob pravas ſuſpiciones, quas de iis concipiunt & fovent, inſanientes circa quæſtiones & logomachias, (1. Tim. V. 4.) Phariſæis ſimiles, nunquam non de Chriſto & diſcipulis ejus querimonias inſtituentes: (Vid. Marc. VII. 2.) *ſecundum concupiſcentias ſuas ambulantes*, omnia libidinum genera ſectantes, carni ejusque deſideriis obſequentes, vid. ℣. 4. 8. 10. *quorum os loquitur prætumida*, Pſ. XII. 4 LXXIII. 9. & magnifica jactant myſteria, quæ ſesquipedalibus & horriſonis verbis efferunt, ut Valentiniani & Scholaſtici faciunt; *admirantes perſonas* divitum & potentum, eos fictis laudibus extollentes, utilitatis gratia, ut ab iis ita delinitis munera aliqua & beneficia impetrent, (2. Pet. I. 14.) ℣. 16. Veruſtiſſimæ Enochi prophetiæ ſubjungit monita Apoſtolorum, quæ & ipſa prophetica erant, ut exinde majori facilitate ac claritate Satanæ impoſturam in ſeductoribus deprehenderent, ſi forte plurimi vaticinium Patriarchæ ignorarent. Hos paſſim dixiſſe & præmo-

Ep. Judæ. nuisse sæpius indicat, *irrisores ultimis temporibus* extituros, qui omnem religionem & pietatem ludibrio habeant, & spreta Christi vita, *secundum suas concupiscentias impietatum* omnium perpetuo *incessuri sint*, ℣. 17. 18. quorum notas nonnullas adhuc adponit, ut tanto melius cognosci & evitari queant: primo eos vocat ἀποδιορίζοντας, *qui segregant* & separant alios (ἑαυτοὺς, nunc in vulgaribus Græcis Codicibus legitur, in vetustoribus tamen non extabat, nec Syrus habet, neque etiam impii seipsos separant, sed potius ingerunt in cœtum sanctorum, ac soli Ecclesia catholica & congregatio sanctorum esse volunt) qui ipsorum impietates redarguunt, & cognitionem veritatis, quæ secundum pietatem est, separari nolunt, sed utrumque gnaviter urgent. 2. dicit eos esse ψυχικοὺς, *animales*, carnales, mundanos, irregenitos, 1. Cor. II. 14. brutis similes & pejores, qui rationem corruptam & sensibus obsequentem non tantum sequuntur, sed etiam in iis, quæ naturaliter cognoscunt, corrumpuntur, ut v. 10. de iis dixerat. Addit denique *spiritum non habentes*, nempe sanctum, & veritatis, (Joh. XIV. 17.) quem tamen procul dubio jactitarunt, ut Enthusiastæ & fanatici facere solent. Ita omnium temporum hæreticos, Epicuræos & Pseudo-Christianos vivis coloribus depinxit, v. 19. Ad extremum autem blande ac benevole instruit fideles, quomodo se gerere debeant in tanta tentatione & periculosis difficillimisque temporibus, primo erga DEUM & seipsos, ut tanquam vivi lapides, 1. Pet. II. 5. (α) *se ipses superstruant sanctissimæ suæ fidei*, semel, plene planeque traditæ, quæ DEO agglutinat, corda purgat, Actor. XV. 9. & non sinit impuritatibus & concupiscentiis indulgere, sed impellit nos ei vivere & servire in sanctitate & justitia omnibus vitæ diebus, qui nos redemit & tanta gratia affecit. Subdit etiam mox, quo pacto ita fundari & stabiliri possint in fide, nempe si *in Spiritu sancto* assidue *precentur*, qui, ceu spiritus gratiæ & precum opituletur fidelium infir-

infirmitatibus, Rom. VIII. 26. & omnia suppeditet ex plenitudine Christi, quæ ad vitam & pietatem, ac perseverantiam in fide necessaria sunt. (β) *Ut seipsos servent in amore DEI*, observantes conservationis media, & caventes sedulo, ne eo excidant per amorem mundi & rerum mundanarum, Joh. II. 15. 16. prout irreptitii Doctores & Pseudo-Christiani, Demam secuti, facere solent: (γ) sic constanter perseverantes in fide per charitatem erga DEUM & proximum operosa, spe firma exspectare posse ac debere *misericordiam Domini nostri JESU CHRISTI*, qui adest suis fidelibus præsenti efficacique ope, eos corroborat & servat, ac largissime introitum suppeditat ad regnum suum, sive *vitam æternam*, v. 20. 21. Deinde, quomodo de errantium salute solliciti esse, eamque, quantum possunt, procurare & juvare debeant, prudenter monet. Quia enim magnum discrimen est inter seductos & seductores, interque eos, qui ex infirmitate, & qui ex contumacia peccant errantque, omnium quidem curam habendam præcipit, sed adhibito isto discrimine & *habita delectu* (quod vult verbum διακρινόμενοι, vid. *Joh. Verryn* Comment. h. l. p. 111. s.) ut *aliorum* quidem *misereantur*, cum iis non inhumaniter sed molliter agant, quos vident vel cœco zelo abreptos, vel speciosis verbis Pseudoprophetarum circumventos, vel alia ratione inductos, non satis cautos, in errores esse, quos suavissima invitatione ac miserationum Christi pollicitatione alliciendos & recipiendos innuit, (conf. Gal. IV. 1.) v. 22. *alios autem*, præfractos & securos, *terrore* ac metu supplicii divinorum e somno securitatis excitent, & *servare* ac *e flamma* infernali (Matth. III. 10. 12. Jud. v. 7.) *eripere* studeant. Interim vult Christianos odio habere non solum omnia turpia facta carnis, verum etiam *vestem a carne contaminatam*, sive quicquid ullo modo inquinare potest, quemadmodum olim Israëlitæ ex legis præscripto vestes quoque ipsas ab impuris hominibus pollutas vitabant. Lev. XIII. XIV. XV. Conf. 1. Thess. V. 22. Ep. Judæ.

1. Joh. I. V. 22. 2. Thess. III. 14. Tandem claudit Apostolus Epistolam voto δοξολογικῷ, quo suam fiduciam in DEUM declarat, DEIque manum ac robur deprædicat, ac Christianos ad eum periculosis temporibus erectos animos habere cupit, certosque illos reddit, Dominum, DEUM & Salvatorem nostrum, posse & velle *custodire* à lapsu immunes, stabilire & firmare, 1. Pet. V. 10. *ac sistere* pro tribunali *in conspectu gloriæ* ac majestatis *suæ inculpatos, cum exultatione* æterna in futuro seculo: cui propterea in ἀντιθέσει ad abnegatores (v. 4.) Deitatem veram, & omni jure convenientem *gloriam & magnitudinem, robur & potestatem* tribuit, & tribuendam inculcat in omnia secula. Amen. ℣. 24. 25.

§. XLI.

Johannes Apostolorum postremus, quibus & quid scripserit? Prima Epistola.

Postremo loco ad *Johannem* Apostolum descendimus, inter scriptores sacros quidem ordine postremum, sed suo merito inter primos numerandum; unde & *Theologi* & *Presbyteri* nomen accepit, quod ætatis juxta ac honoris fuit. Quibus in locis Evangelium propagaverit, non satis compertum est. Illud tamen in confesso est apud omnes scriptores Ecclesiasticos, quod in Asia cumprimis prædicaverit. Unde *Hieronymus* de Scriptoribus Eccles. in Joh. dicit, *totas Ecclesias Asiæ ab eo fundatas esse*; quod tamen *Baronius* ad A. C. 97. n. 2. minime probat, cum constet, *minoris Asiæ* Ecclesias magna ex parte à Paulo & Petro fuisse erectas; ille enim *Epheso* triennium docuit, & complures Asiæ partes Evangelium prædicando peragravit. Magis ergo assentitur *Epiphanio* hæres. 51. dicenti, Johannem post necem Petri & Pauli, à quibus Asianæ Ecclesiæ fundatæ & ad pietatem optime institutæ fuerint, post ætatem senectam, jussum à Spiritu S. prædicare & reflectere errantes in via. Ubi vero antea vixerit fueritve, & salutarem Christi doctrinam disseminaverit, nil certi traditum comperimus ab authoribus, nisi quod ad *Parthos* quoque eum ascendisse, idem *Baronius* ad A. C. 44. n. 30.

44. n. 30. ex eo colligi posse putat, quoniam primam ejus Epi- 1. Joh. I.
stolam Parthis inscriptam fuisse testetur *Augustinus* L. II. Quæst. Evang. Cap. 39. Idem, sed forte ex eodem Augustino, statuerunt *Higynius* Papa, *Possidius* in Ind. Opp. August. & *Johannes II.* Papa. Hinc *Estius* confidenter pronunciat, *Johannem ad Parthos scripsisse, quod in ea regione locisque circumvicinis plurimi essent Judæi ex antiqua captivitate & dispersione decem tribuum.* Verum, quia hoc argumentum solum, vel conjectura potius, non sufficit, nolumus rei incertæ immorari. Satis nobis est, quod antiqui omnes ore atque mente consentiant, Apostolum nostrum Evangeliis & scriptis Canonicis colophonem imposuisse, ubicunque tandem & ad quoscunque scripserit. Neque id in dubium vocari potest, quod Johannes cum in Evangelio, tum in Epistolis, ac præcipue in prima, tam doctrinæ Evangelicæ puritatem contra hæreses tum vel exortas, vel deinceps exorituras, masculè defenderit, quam vitæ Christianæ sanctitatem diligenter inculcaverit. Vid. *Luther.* in Præfat. I. Epistol. Alii quoque Interpretes dudum observarunt, propositum esse Johanni in Epistola prima, quæ compendium exhibet Evangelii, cum secundum *Estium* ea versetur potissimum in adstruenda vera Oeconomia Domini CHRISTI, fideles confirmare tum in fide Christiana, tum in studio pietatis, ac nominatim dilectione proximi. Vid. Piscator & Belgæ in Bibl. Τὸ πρωτεῖον tamen obtinere hîc doctrinam de Christo ejusque beneficiis, ut, qui in Christum credunt, de salute æterna certi reddantur, quem fere etiam εὐαγγελιογραφίας suæ scopum fecit Apostolus XX. 31. *Calovius* in prolegom. ad hanc Epist. bene monuit, ac addidit, ideo adduci *charitatem, ceu fidei in Christum consequens & indicium*, ac τεκμήριον, ut *à posteriori* nos certos reddat de gratia DEI in CHRISTO, communione cum DEO, regeneratione, ἐυδαιμονίᾳ & vita æterna, quemadmodum de salute certiores nos reddere voluerit *à priori*, à testimonio

1. Joh. I. trium testium in cœlo, & in terra. Propterea eum non tam præcipere, quam commendare charitatem, argumentis maxime efficacibus & corda fidelium valde accendentibus: neque more Paulino distincte de fide & charitate agere, sed immiscere doctrinæ statim officia charitatis, adeoque ex ista περιεμματικῶς quasi deducere cum insigni δεινότητι, & magis informare, quam præcipere de charitatis debito, ejusque necessariam cum fide connexionem &c. Quæ, quia faciunt quodammodo ad ipsius Epistolæ explicationem, præmittere visum fuit. Nunc ad brevem resolutionem & exegesin ipsius Epistolæ progredior.

CAP. I. CAP. I. Apostolus instructurus, ceu diximus, credentes in Christum, quomodo Christianismum suum, tam in constantia fidei, quam in sanctis moribus usque ad finem traducere debeant, Exordii loco repetit brevem summam fidei & doctrinæ, in Evangelio suo prodixius expositæ, de *Verbo vitæ*, sive Filio DEI, cujus & veram Deitatem & humanitatem, incarnationem, ac officium, indeque parta & redundantia in genus humanum beneficia, emphaticis verbis probat & exprimit, sibique & collegis suis certissime comperta esse, constantissime scribit & annunciat; sicque in principio omnibus tum gliscentibus & postea oborientibus hæreticis os impurum obstruxit, ℣. 1. Mox causam & finem scriptionis & testificationis Evangelicæ tam insignis indicat, nimirum, ut Christiani per eam in vitam æternam credant, ipsorum bono manifestatam, & vitam æternam habeant, v. 2. Conf. Joh. XX. 31. sicque per fidem in communionem veniant cum DEO Patre, cum JESU CHRISTO, non excluso Spiritu S. cum Apostolis & Apostolica Ecclesia, v. 3. Conf. 1. Cor. III. 16. VI. 19 20. 2. Cor. VI. 16. ex qua communione omnia bona consequuntur, & amplissimam lætandi copiam fideles ita accipiunt. Unde eum quoque in finem scribere se illis Johannes significat, *ut gaudium* ipsorum in DEO sit plenum, *perfectum*, stabile atque perdurans,

rans, ita ut nemo illud auferre possit, nullaque ægritudo inter- 1. Joh. I.
turbare, Joh. XV. 11. XVI. 20. 22. Conf. *Flac.* Gloss. h. l. Ex beata ista communione cum DEO & lætitia spirituali occasionem arripit Apostolus monstrandi, quomodo comparati esse, quid respicere & facere debeant, qui tantis beneficiis fruuntur, iisque perpetuo frui cupiunt. Primo *promissionem* insignem producit, à vera luce (Joh. I. 9.) acceptam & commendatam ac ubique annunciandam, *quod DEUS* in ea communione, quam in Filio ejus cum ipso habemus, nobis *lux sit*, & Pater luminum, Jac. I. 17. ut nos sua luce illuminet, & sibi similes sive filios lucis faciat, eamque ob causam Filium suum, Lumen de Lumine, miserit, ut omnes illuminet, Joh. I. 9. VIII. 12. XII. 35. seqq. Eph. I. 17. 18. V. 8. 2. Cor. IX. 6. In eo igitur nullæ sunt tenebræ, & ubi credentes illuminat, in iis tenebras dispellit, eos purgat, sanctificat ab omni inquinamento carnis & spiritus, 2. Cor. VII. 1. 1. Thess. V. 23. Deinde ex hac promissione infert officium illuminatorum & fidelium, ut in luce ambulent; quo autum fortius stringat Apostolus, argumentatur à negatione effectus ad negationem causæ, & contra, h. s. ubi non est effectus communionis cum DEO, ambulatio in luce, ibi non est communio cum DEO, etiamsi aliqua jactetur, & contra: ubi est effectus communionis cum DEO, ibi est vera cum DEO communio, v. 6. 7. Conf. D. *Seb. Schmid.* Comment. h. l. p. 80. Post hæc speciatim quoque ad communionem cum Christo descendit, cujus ℣. 3. mentionem fecerat, quæque inprimis etiam cum fructibus suis explicanda erat, (nam καὶ, ut nonnemo observat, h. l. idem declarat ac *præsertim*) ut inde non minus perspicerent fideles, quid sui muneris officiique esset. Ubi iterum spectatur 1. promissio, ex qua 2. deducitur nostra obligatio. Illa satis ampla & ineffabilis est. Singula quippe vocabula singula pondera sunt. *Ille sanguis*, non V. T. typicus, sed N. T. antitypicus *JESU CHRISTI*, Salvatoris & Redemtoris unici, dudum pro-

1. Joh. I. missi, *qui* non homo tantum, sed DEUS, *DEique filius* unigenitus, æternus, (qui jam erat, non esse cœperat in principio omnium rerum, ℣. 1.) verbum vitæ & ipsa vita est, (℣. 2.) missus in plenitudine temporis, Gal. IV. 4. manifestatus & visus in carne, 1. Tim. III. 16. passus, & divino sanguine sibi acquisivit Ecclesiam, Actor. XX. 28. eamque sanctificat, purgat, & gloriosam aliquando immaculatamq; sistere vult, Eph. V. 25. 26. 27. *emundat nos*, non tantam merito, quod pridem factum, sed etiam apprehensione expiationis meritoriæ, in articulo justificationis, & creatione novi cordis & suppeditatione virium spiritualium, Ephes. II. 10. ut nos purgare possimus ab omni inquinamento carnis & spiritus, 2. Cor. VII. 1. (Vid. *Calov.* & *Schmid.* h.l.) Quod qui intermittunt, turpissime abutuntur merito & efficacia sanguinis pretiosissimi, JESU CHRISTI, cœci sunt, oblivisciturque purgationis priorum suorum peccatorum, 2. Pet. I. 10. ac nescire volunt, quod continuata purgatione per sanguinem CHRISTI opus sit: quos juste redarguit Apostolus ℣. 8. *si dixerimus*, aut cogitaverimus, *quod* (ὅτι est hic, ut sæpissime, particula asseverandi) *peccatum non habeamas*, nec purgatione indigeamus quotidiana, *decipimus nos ipsos*, dum nosmetipsos ignoramus, quod peccatum in nobis adhuc habitet, & in motibus saltem concupiscentiæ negotiosum valde sit, (Rom. VII.) quodque mortificari semper debeat, (Gal. V. 24.) *veritasque* renovationis *in nobis*, & corde nostro *non est*, v. 8. Conf. Ephes. IV. 21. seqq. & *Schmid.* p. 96. Subjicit autem mox generale remedium, ostenditque quomodo contingat fidelibus purgatio, qua opus habent, primo *affirmative*, v. 9. *si confiteamur* humiliter, vere, ac sincere, *peccata nostra*, omnia atque singula, DOMINO nostro JESU CHRISTO, *qui justus est*, JEHOVA justitia nostra, & de plenitudine sua nobis communicare & potest & vult gratiam pro gratia, ac justitiam &c. 1. Cor. I. 30. *& fidelis* ac misericors, Hebr. II. 17. *ut* actu nobis, secundum salutis

lutis ordinem incedentibus, vi fœderis gratiæ, *remittat peccata* 1. Joh. II.
& debita noſtra, quod omnes ſancti petere debent, quemadmodum Chriſtus ipſe in oratione Dominica indicavit, & *emundat* quoque *nos ab omni injuſtitia*, inhærente adhuc renatis, purgatque adeo conſcientiam noſtram ab operibus mortuis, ad ſerviendum DEO vivo, Ebr. IX. 14. in ſanctitate & juſtitia, Luc. I. 75. utque aboleatur & inefficax reddatur corpus peccati, nec peccato amplius ſerviamus, Rom. VI. 6. 14. deinde *negative* ℣. 10. ſi non confeſſi fuerimus, ſed potius ex deceptrice opinione illa, quaſi peccatum non habeamus, dixerimus temere, *quod non peccaverimus*, ipſo opere *mendacem eum facimus*, ac juſtum & fidelem negamus, *& verbum ejus non eſt in nobis*, quod omnes peccatores eſſe, & indigere quotidiana remiſſione & renovatione, dicit; ſicque facimus, ut Chriſtus nobis peccata non remittat, nec ab iniquitate mundet.

CAP. II. Oſtendit Apoſtolus duobus primis commatibus, quæ male avulſa ſunt à Capite primo, quorſum ſuperiora ſcripſerit, & inprimis ea, quæ purgationem peccatorum concernunt, nempe, ne in alterutram partem inpingant fideles, & vel in ſecuritatem incidant, dicentes: fidelis & juſtus eſt, purgat nos, (Auguſtin. h.l.) faciamus, quod volumus; vel in deſperationem, ſi lapſi fuerint, ac ſi non amplius contingere iis queat remiſſio peccatorum. Monet igitur ex paterno affectu filios ſuos chariſſimos, 1. ut eo omni ſtudio annitantur, *ne peccent*, & abutantur turpiter ſanguinis Chriſti purgantis merito & efficacia, libere peccatis indulgendo, aut in iis perſeverando, (Rom. VI. 1. ſſ.) quod qui faciunt, communionem cum DEO rumpunt, (Eſ. LIX. 2.) Deinde, quia peccare humanum eſt, in peccato autem perſeverare diabolicum, & veniam negare peccatoribus, novum, Scripturæ adverſum, & Novatianum eſt, oſtendit, quomodo veniam iterum conſequi poſſint peccatores & ſeducti, eosque ad pœnitentiam revocat, & ad Chri-

CAP. II.

1. Joh. II. stum remittit, quem *habere* dicit fideles *Advocatum*, promtum semper & paratum causam nostram suscipiendi & agendi, *apud Patrem* cœlestem, quem ipse nobis Patronum dedit constituitque, & libenter audit, *JESUM CHRISTUM*, Filium suum & Salvatorem ac Mediatorem nostrum, secundum utramque naturam, *justum* non tantum pro se, sed etiam pro nobis, & justitiam nostram, qui nos justos facere possit, *cum ipse sit* non tantum propitiator, sed & *propitiatio pro peccatis* fidelium, sive sacrificium propitiatorium, quo Patrem nobis placavit, & propitium reddidit, cum semetipsum dederit ἀντίλυτρον pro omnibus, 1. Tim. II. 6. *pro peccatis non tantum* electorum & *fidelium*, quibuscunque, sive levioribus, sive gravioribus, *sed etiam totius mundi*, in malo positi, 1. Joh. V. 19. Quia vero fide apprehenduntur beneficia Christi, & vero plurimi seipsos decipiunt falsâ fidei persuasione, ac putant, sufficere ad eam qualemcunque de Christo notitiam, Apostolus commodum nunc exponit fidei veræ naturam & signa, ex quibus certi esse queamus de nostra cum DEO communione, pace & amicitia, docetque, ℣. 3. *in hoc* & ex hoc *cognoscere nos* certo posse per experientiam, quam ipsa fides salvifica in nobis gignit, & à posteriori per opus, quod prodit, *quod eum*, Salvatorem nostrum J.C. vere *cognoscamus* (Joh. XVII. 3.) & ab eo fide accipiamus remissionem peccatorum, lucem, vitam &c. *si præcepta ejus servemus*, quæ in ordine salutis & Christianismi per eum data ac sæpe inculcata ab ipso Domino sunt, Joh. X. 18. XII. 49. 50. XIII. 34. XIV. 34. XV. 10. 20. Conf. 1. Joh. III. 23. Ex ista thesi firmissima concludit Apostolus: 1. *eum*, *qui dicit*, *se cognoscere Christum*, seu vera fide ad eum conversum esse, ita ut in ipso sit, inque ejus communione, *nec* tamen *illius præcepta servat*, *mendacem esse*, & loqui falsum ad decipiendam Ecclesiam, vel ex falsa opinione se ipsum decipere, dum putat, se Christum satis bene novisse, cum revera eum non recte didicerit, aut noverit,

quomodo

quomodo in eo veritas sit, Ephes. IV. 20.21. adeoque *in* tali *veritas* solida *non est* verbi divini, Joh. XVII. 17. nec Christus, qui per fidem veram habitat in cordibus, Eph. III. 17. Contra vero 2. si quis verbum Christi de fide & vita pia erga DEUM & homines constanter servaverit, tum vere inferri posse, quod *revera in eo charitas DEI*, qua fideles prosequitur, perfecta seu *consummata*, scopum assecuta & fructuosa sit, Rom. V. 5. 1. Joh. IV. 12. 16. 17. *Per hoc* quippe certo & liquido *cognosci*, *quod* aliquis *in Christo* non tantum aliquando fuerit, sed adhuc *sit*, (Rom. VIII. 1.) per cognitionem sive fidem veram. 3. *Si quis* non tantum jactaverit se nosse Christum, sed etiam dixerit, se constanter *in eo mansurum*, ut Christus non semel indicavit, Joh. VI. 56. XV. 4. 5. 6. 7. *illum oportere* ita *ambulare* & vivere per omne reliquum vitæ tempus, sicut ipse Christus in diebus carnis suæ ambulaverit, & ὑπογραμμὸν reliquerit Christianis, (1. Pet. II. 21.) v. 4. 5. 6. Ne vero nonnulli vel apud se cogitare, vel obtendere potuissent, Johannem mentionem præceptorum Christi ejusque imitatione novum quoddam onus imponere fidelibus, minime necessarium portatu, vel observatu, occupat ejusmodi objectionem, affirmatque, se *non novum præceptum* per hoc præscribere, de ordine salutis, quod aliud sit à veteri, *sed* tradere illud ipsum *vetus*, *quod ab initio habuerint & audiverint*, cum à Christo, Matth. XXVIII. 20. Marc. XVI. 20. tum ab Apostolis, v. 7. *novum* tamen etiam se inculcare, v. 8. præceptum, per hoc quod scripserit, præcepta Christi servanda esse, quod ex veteri consequatur, & post illud docendum urgendumque sedulo sit, apud justificatos, Joh. XIII. 34 1. Joh. III. 23. *quod verum* sit, & fundamentum veritatis suæ habeat tam *in* ipso *Christo*, quam in fidelibus; cujus hæc sit summa, quod *tenebræ* ignorantiæ & malitiæ, cum omnibus suis fructibus pessimis, sive peccatum originale cum omnibus peccatis actualibus, in quibus illi servitur in vetustate vitæ, in regenitis

1. Joh. II.

ab

1. Joh. II. ab initio regenerationis & renovationis, ac deinceps magis magisque *transeant* (1. Cor. VII. 31.) & minuantur, dum in ipsis lux illa vera, JESUS CHRISTUS, jam luceat, ac suo lumine vias illorum illuminet, in quibus ambulare debent, Joh. I. 9. III. 19. Unde vero aliquis cognoscere queat, an in luce sit, nec ne, exemplo quodam demonstrat luculento, ab odio & amore fratrum desumto, quorum illud arguat, hominem adhuc in tenebris peccatorum dominantium versari, nullamque cum Christo luce communionem habere, nec verum esse Christianum; hoc autem vere fidelem & Christi imitatorem, qui *in luce maneat*, & *in quo scandalum* peccati *non sit*, quo DEUS juste offendatur, eidemque irascatur, Ps. CXIX. 165. sed omne peccatum ipsius à Christo, in quo manet, remittitur, & in eo dilectio DEI consummata est. Quod vero inter Christianos sint, qui odio inexpiabili flagrent, & in tenebris sint ambulentque, causam esse in ipsis, cum tenebris suis & pravis affectibus tantum indulgeant, ut excœcati nesciant, quo vadant quidve agant, Joh. XII. 35. 2. Cor. IV. 4. Quia vero amor mundi inprimis impedit observationem præceptorum Domini, ab eo nunc Apostolus dehortatur omnes, cujuscunque ætatis, status & conditionis sint, ac primo quidem v. 12. compellat *pueros*, sive ætate, sive spiritu, sive utroque modo tales, ac ideo ad eos se *scribere* dicit, *quoniam illis* quoque *remissa sint peccata*, jam in baptismo, & quotidie adhuc remittantur *per nomen* DOMINI nostri JESU CHRISTI, ejusque cognitionem veram, Es. LIII. 11. Luc. I. 77. XXIV. 47. Quod maximum beneficium utique eos impellere poterat ac debebat ad observationem mandatorum divinorum, & odium mundi, Tit. II. 11. A pueris ad *patres* ascendit v. 13. quos hoc argumento ad officii partes rite obeundas commovere studet, *quod cognoverint eum*, uberius sane, ceu par est, quam pueri, *qui ab initio* erat, 1. Joh. I. 1. 2. adeoque omni amore & obsequio ei adhærere & inservire debeant.

Tandem

Tandem *juvenes*, inter utramque ætatem medios, & robore cumprimis valentes, alloquitur, eosque dicit *superasse malum illum*, Satanam, fortitudine in Domino & à Domino suppeditata, Eph. VI. 10. eoque eniti etiam in posterum debere, ut strenue pugnent, omnibus confectis stent, & mundum, cum amore suo & illecebris, per fidem vincant. Hæc monita ad singulos directa repetit Johannes v. 15. ostendens, se in iis causam constituere, cur, quæ mox subjicit, facere promte alacriterque debeant, nempe *non diligere mundum*, vanitati obnoxium, corruptum, inque malo jacentem, 1. Joh. V. 19. *neque ea, quæ in mundo sunt*, terrena quævis, sed unice DEUM, regnum DEI, & τὰ ἄνω, Matth. VI. 24. 33. Col. III. 1. 2. Causam adfert hanc; quia consistere simul nequeat amor DEI & mundi, & *in eo, qui mundum diligit, non sit*, nec esse possit *dilectio Patris* cœlestis, etiamsi millies dicat, se DEUM amare, cum amor DEI totum cor requirat: nec DEUS talem amet, Jac. IV. 4. Quod vero in eo, qui mundum diligit, non sit dilectio Patris, hoc probat argumento v. 16. *quia omne, quod in mundo est*, & à mundanis æstimatur & exercetur, ut *concupiscentia carnis*, (Jac. I. 14. 15.) qua homo voluptatibus indulget & inservit, luxui & lasciviæ deditus: *concupiscentia oculorum*, quando delectantur mortales vanitatibus mundi, opibus, spectaculis, Prov. XXVII. 20. Eccles. IV. 8. 9. 10. *superbia* vel fastus *vitæ*, **da man einen grossen Staat führet und pralet, und alles dahin richtet**, (vid. *Erasm. Schmid.* annot. h. l.) honores, opes, bona animi, corporis, & fortunæ, spiritualia & corporalia, neglectis omnibus legum divinarum humanarumque terminis; hæc, inquam, ad quæ facile revocari cætera omnia peccata & studia filiorum hujus seculi possunt, *non sunt ex Patre* luminum, à quo omne bonum perfectumque donum desuper descendit, Jac. I. 17. sed *ex mundo* depravato. Unde plane consequitur, quod, qui hunc in modum mundum & mundana diligit, non sit ex DEO, nec in eo charitas 1. Joh. II.

1. Joh. II. ritas DEI locum habeat, active & passive. Quam misera vero sit conditio mundanorum hominum, & quam felix amatorum DEI, Apostolus v. 17. monstrat; *mundus*, inquit, *transit* cito, ejusque schema speciosum, 1. Cor. VII. 31. peritque in dies, donec tandem intereat, Luc. XXI. 33. atque adeo etiam transibunt peribuntque omnes, qui mundum ejusque concupiscentias diligunt; *qui autem* DEUM vere sincereque diligit, & *voluntatem ejus* non tantum scit, sed etiam *facit*, recte credendo & in fide ambulando, Joh. VI. 39. 40. 1. Joh. III. 23. constanter ad finem usque, Heb. III. 14. ille *manet* & nunc in hac vita, dum manet in fide & in Christo, & semper magis magisque crescit in renovatione spiritus, *& in æternum* manebit, cum iis quæ in Domino fecerit, Joh. III. 21. 2. Cor. IX. 9. Apoc. XIV. 13. At cum in regno Antichristi cum primis ambitiosus honos, & opes, & fœda voluptas grassatura sint, quæ tempora longe adhuc abesse Christiani putare, indeque in securitatem facile incidere poterant, istam securitatis objectionem occupat Johannes prudenter, & demonstrat, *jam esse noviſſimam horam*, *& quemadmodum* legerint non tantum in scriptis Prophetarum, sed etiam *audiverint* à Christo, Matth. XXIV. 5. 24. ejusque Apostolis, 2. Thess. II. 3. 1. Tim. IV. 1. 2. Tim. III. 2. 2. Pet. II. 1. quod *Antichristus* ille insignis venturus & ampliſſimum regnum habiturus sit, ita *multos jam Antichristos factos* & maximi illius præcursores adesse, Christo adversantes sive doctrina, sive vita, quales erant *Simoniani*, *Cerinthiani*, *Nicolaitæ*, *Gnostici* &c. Unde cognosci queat, quod *ultima hora* adsit. Et quia vel ipsi falsi Doctores, vel eorum fautores excipere poterant, istos homines non adeo malos esse, ut Antichristi dici mereantur, cum ab Apostolis ipsi egressi, eorumque Collegæ aut discipuli saltem fuerint, nec probabile videri, quod vel tantæ pestes in domo DEI exoriri possint, vel ii, qui semel Christum vere agnoverint, tantopere deficere queant, occupat Johannes

hannes hanc exceptionem, & ad eam respondet, illos quidem *egressos* esse ex Apostolis Apostolicisve viris, adeoque etiam de cœtu populoque Christi, sed revera ex sancto collegio non fuisse, nec Apostolicam sed apostaticam doctrinam prædicasse; quod ita probat: *si ex nobis* nostrisque *fuissent*, ut jactitarunt, *nobiscum* utique *mansissent*, & doctrinam Apostolicam retinuissent eandemque propagassent fideliter; at exiverunt sua sponte, non missu consensuve nostro, *ut* ita *manifestarentur*, *quod non omnes*, qui ex nobis egrediuntur, etiam *ex nobis sint*. Quare non recipiendi sed explorandi probe tales sunt, an ex DEO & nostro ordine sint, ℣. 19. Posse autem Christianos facile explorare falsos istiusmodi doctores, declarat ℣. 20. ex *unctione* sive donis Spiritus sancti sufficientibus, quem acceperint *à Sancto illo* Israëlis, sive Messia, Dan. IX. 24. Ps. XLV. 8. Joh. I. 17. III. 34. Gal. III. 2. Tit. III. 5. 6. ac omnia sciant per Spiritum revelationis, 1. Cor. II. 10. 12. Eph. I. 17. 18. quæ πρὸς ζωὴν καὶ εὐσέβειαν pertinent, 2. Pet. I. 3. Hinc ad eorum scientiam & conscientiam provocat, ac testatur, se talia non scripsisse ideo, ac si ipsi veritatem Evangelicam Apostolicamque ignorarent, imo confidere se, cum eam probe sciant, judicare eos posse de falsa doctrina apostatarum, quodque *nullum mendacium* sive dogma falsum *ex veritate sit*, aut proveniat, cum ex vero nonnisi verum bona consequentia sequatur. Instinctu igitur diaboli, qui mendaciorum Pater est, apostatas deserere veritatem, eique contradicere, ac proinde mendaces esse & recte Antichristos vocari, cum negent JESUM Nazarenum esse unctum illum Domini, in V. T. promissum, verum Messiam & Redemtorem, θεάνθρωπον Actor. X. 38. 43. & vel personam ejus, vel officium, vel beneficia infringant; imo sic simul negent Patrem & Filium, ac totam adeo religionem Christianam evertant, sive directe sive indirecte id faciant. Unde quam infelices sint Anchristiani isti seductores & ab iis seducti, ℣. 23. breviter exprimit, di- 1. Joh. II.

1. Joh. II. cens, *omnes qui Filium abnegant, etiam non habere Patrem* propitium, cum is Filium miserit, agnosci & recipi velit ab omnibus, eumque proposuerit ἱλαστήριον, & ἱλασμὸν pro peccatis, 1. Joh. II. 1. & in Filio videatur & honoretur, Joh. V. 23. XIV. 13. ut qui non æque Filium glorificat ac Patrem, utrumque ignominia afficiat, Joh. VIII. 49. ff. Cum igitur omnis salus nostra in eo sita sit, ut salutarem doctrinam puram integramque servemus, & ab ea nec ad dextram, nec ad sinistram deflectamus, monet Apostolus ℣. 24. Christianos, ut, quod ab initio prædicationis Evangelicæ ab Apostolis veris & vere Apostolicis viris audiverunt, & receperunt, retineant in bono corde, Luc. VIII. 15. Joh. XV. 7. ac pollicetur eis amplissimum fructum istius constantiæ in vera agnitaque doctrina, quod permansuri sint non tantum in Patris & Filii favore & gratia constanti, sed etiam in eorum communione, & tandem vitam æternam gaudiumque consummatum accepturi sint, ℣. 25. Vid. Cap. I. 2. V. 20. ab ipso Filio promissum sæpius, Joh. III. 35. 36. V. 26. XVII. 3. 21. Hanc admonitionem fidelem de fugiendis Antichristis concludit, inculcando denuo unctionem gratiosam, à Christo acceptam, quæ in ipsis mansura & omnia necessaria suppeditatura, veritatemque cœlestem ex Evangelio haustam obsignatura sit, ut alio doctore aut doctrina opus non habeant; & promittendo, quod CHRISTUS etiam in iis mansurus sit, cum Patre, si modo ipsi fideles sedulo observaverint, quod facere par est, ac eo omne studium contulerint, ut in Filio maneant; quo denuo iterumque eos paterne cohortatur ℣. 28. addita ratione finali, valde efficaci, *ut, si ipse apparuerit* in adventu glorioso, Colos. III. 4. 1. Pet. V. 4. 1. Joh. III. 2. *fiduciam habeant*, utpote de veritate & rectitudine fidei suæ & sinceritate cordis certi, nec pudore opprobriove æterno suffundantur (Dan. XII. 2.) coram judice justissimo, CHRISTO JESU, damnationis sententiam apostatis & impiis pronunciante.

CAP. III.

CAP. III. Cum Apostolus in præcedentibus Christianos, quod satis est, monuisset ad retinendam Apostolicæ doctrinæ puritatem, eosque instruxisset, quod quomodoque cavere Antichristianos doctores, JESUM abnegantes, debeant & possint, nunc ad sanctitatem vitæ eos impellit: cumque jam primis illis temporibus, ex altera parte irrepserint seductores, qui fidelibus persuadere conabantur, quasi per Christum ea vivendi licentia indulta esset, ut libere peccare & carnis desideria perficere liceret, quibus Christus non offenderetur, (quæ *Gnosticorum*, *Carpocratianorum*, aliorumque ejus furfuris hæreticorum sententia fuit,) Johannes his etiam obviam ire, fideles præmunire & justitiæ sanctitatique vitæ in Christo studendum esse, severe graviterque inculcare voluit, & exorsus est hanc tractationem à Capitis II. commate ultimo, quod male à Capite III. avulsum, Estius, Cajetanus, & ex nostratibus Schmidius atque Spenerus haud absre judicarunt, quo colligit necessarium esse Christianis justitiæ & pietatis studium, h. s. *si scitis*, ut omnino scitis, & certum exploratumque habetis, *quod* ille noster Dominus & Redemtor, J.C. *justus sit*, non tantum qua DEUS, sed etiam qua homo, ut per suam justitiam mediatoriam, *justos* nos homines faceret, & ex se generaret, seque typum omnis justitiæ & sanctitatis sisteret, *cognoscite etiam* & colligite porro ex hoc ipso, *quod omnis* ille, *qui facit justitiam*, sive cum professione veræ & in verbo DEI fundatæ fidei, vera legique divinæ conformia opera, *ex ipso natus* & in ipso creatus sit ad bona opera, (Ephes. II. 10.) adeoque in illis ambulare, non autem libere peccare debeat. Conf. 2. Petr. I. 4. ss. Hinc rationes subjicit, quibus fideles moveantur ad præstandum officium pietatis: quorum primam Cap. III. ℣. 1. petit à summo amoris divini beneficio, quòd Pater cœlestis ex Filio suo & se fideles mystice nasci, & filios suos adoptivos esse vocarique fecerit; quod beneficium omnino à nobis flagitat, ut gratos nos ei, conformes & justos exhibeamus, cum tantum illud sit, ut mundus illud nec capiat, nec re- 1. Joh. III CAP. III

1. Joh. III. natos cognoscat, propterea quod nec DEUM Patrem cognoverit; ideoque fideles minime offendi debere, quod incogniti mundo contemtique in ejus oculis sint; quin potius inde colligendum, quod ex mundo electi DEOque dilecti sint, quemadmodum Salvator ipse non semel docuit, Joh. XV. 18. ff. XVI. 3. adeoque rursus mundum non cognoscere nec ei se conformare in operibus injustitiæ, Rom. XII. 1. 2. sed DEO conformes fieri, eumque imitari in sanctitate & justitia debeant. 1. Pet. I. 14. seqq. Hunc in finem II. eis in memoriam revocat & certitudinem filiationis in statu præsenti gratiæ, (*nunc filii DEI sumus*) & in futuro gloriæ statu, in quo DEO perfecte similes futuri eumque visuri, in eo gavisuri gaudio sempiterno & fruituri sint bonis ἀπορρήτοις ineffabilibus, licet jam nondum plene apparuerit dignitas & libertas glorioſa filiorum DEI, Rom. VIII. 18. 21. sed sub cruce tecta lateat, Coloss. III. 3. 4. & capi ab infirmitate nostra, nedum à cœcitate mundi, nequeat, 1. Cor. II. 9. 2. Cor. IV. 18. Qui vero in altera vita in similitudine DEI perficientur; illi etiam in hac vita incipere debent DEO & Christo fieri similes. Hoc Apostolus ℣. 3. disertis verbis indicat. *Quicunque*, inquit, *hanc spem* certissimam *habet*, *super ipso* DEO fundatam, ejus promissionibus nixam, & arrhabone Spiritu sancto obsignatam, *ille se purificat* per vires in regeneratione concessas supernaturaliter, & Spiritus sancti gratia, purum, castum justumque se servare studet, 2. Cor. VII. 1. Ephes. IV. 21. seqq. respicitque semper exemplum DEI Patris, cujus puritatem & sanctitatem æmulatur, *sicut & ipse purus est*; ut re ipsa declaret, se vere filium DEI esse, & nullam esse communionem justitiæ & illegalitati, 2. Cor. VI. 14. cum certum sit, ℣. 4. *quod omnis qui peccatum* quodcunque lubens prudensque *facit*, ac persuasum habet vel ex propriæ suæ carnis, vel carnalium hominum seductione, Christianos non obligari ad legem moralem, nec peccare, si contra eam aliquid commiserit (conf. *Seb. Schmid.*

Schmid. h. l. p. 266 seqq.) *etiam faciat* ἀνομίαν *illegalitatem*, sive transgressionem Legis, adeoque peccet non tantum materialiter, sed etiam formaliter; quod ex definitione peccati demonstrat Johannes, *peccatum est illegalitas.* Utrumque æque latet, nec hic distinctio facienda, sub qua carnales effugia quærant. Unde non solum Apostolus illam falsam persuasionem refellit, sed etiam porro argumentum novum exhortationis *à fine incarnationis* Filii DEI, & mysterii pietatis omnium confessione magni, desumit, v. 5. quod ille idem venerit & apparuerit in carne, *ut peccata nostra* susciperet, & *tolleret*, Es. LIII. 5. 6. nos regeneraret, sanctificaret, & imaginem divinam in nobis instauraret, non vero ut contra legem peccandi licentiam daret. Nam *peccatum* & illegalitas *in eo non est*, sed etiam plane ipsi contrariatur, & pugnat cum peccato tanquam hoste infenso, ut id aboleat etiam in hominibus: tantum abest, ut id licitum factum sit per eum in fidelibus, sed ubi ille per fidem in cordibus habitat, ibi peccata destruit. Itaque hinc sequitur, v. 6. quod *omnis, qui in Christo manet*, ei insertus per fidem, tanquam palmes in vite, Joh. XV. ac vivum ejus membrum est, *non peccet* volens & prudens, aut concupiscentiis indulgeat & frena laxet, sed iis resistat, & mortificet veterem Adamum, justitiæque vivat, 1. Pet. II. 24. *Quicunque* vero sciens volensque *peccatum* ullum *faciat*, Christum *non viderit, neque cognoverit*, ut oportet, oculis mentis illuminatis, (Ephes. I 18.) & fidei, (Joh. XIV. 17.) v. 6. Conf. C. II. 4. Ex his per modum conclusionis infert, cavere sedulo debere fideles, *ne quis eos seducat*, quasi Christianis libere peccare liceat, tanquam ab omni lege solutis, sed contrarium potius certum firmumque teneant, *eum, qui exercet justitiam, justum esse, sicut ipse* Christus *justus est*; ac viciſſim, quod *qui peccatum facit, ex diabolo sit*, ejusque suggestione & imitatione agat mala, Joh. VIII. 44. *cum diabolus ab initio* defectionis suæ *peccaverit*, ex propriis, & peccati primorum 1. Joh. III.

1. Joh. III. rum parentum initium fecerit tentando, persuadendo & decipiendo, & adhuc *peccet* opereturque in filiis incredulitatis, Eph. II. 2. *Filius DEI autem ideo manifestatus* sit, *ut opera diaboli* omnia, adeoque peccatum vel maxime, *solveret* & destrueret, non tantum extra sed & intra homines, v. 8. ideoque *omnem ex DEO vere natum* (non participaliter, sed nominaliter, ut γεγεννημένος idem sit ac γεννητὸς) *peccatum non perficere*, (Rom. VII. 17. 18. 19. 20.) *quia semen ejus* incorruptibile, (1. Pet. I. 23. Jac. I. 18.) vivum & efficax (Hebr. IV. 12. Rom. I. 16.) *in eo manet*, (1. Joh. II. 24. Luc. VIII. 15.) imo vero *non posse* hoc in statu & quamdiu in eo est & manet, *peccare* ex deliberato animi proposito consilioque, *quia ex DEO natus est*, divinæque naturæ particeps factus indolem divinam habet, conformem DEO, ut omne peccatum oderit, nec sciens volensque committat. Nam cum natura regenerationis, tam ex parte DEI regenerantis, quam hominis regenerati pugnat, ullum peccatum voluntarie & cum consensu facere. Hinc occasionem arripit Apostolus de discrimine Filiorum DEI & diaboli luculenter concludendi & uberius agendi, v. 11. ut qui Christiani esse volunt, se ipsos probe examinent, an ex DEO vel diabolo sint, ac sciant, cum quibus Ecclesiasticam unionem & communionem habere debeant. Duas autem notas ponit præcipuas, ex quibus dignoscere utrique possint semetipsos, & alios, easque *negativas*, (ex quibus tamen affirmativæ colliguntur,) α. generalem, *non facere justitiam*, & β. specialem, *non diligere fratrem*; quia vero prior nota ex præcedentibus satis intelligitur, in posteriore explicanda inprimis occupatur. (1.) Provocat ad annunciationis Evangelicæ initium, v. 11. quo inculcatum Christianis sit, *ut se invicem diligant*, Joh. XIII. 34. 35. XV. 12. deinde (2.) à contrario exemplo illustrat, *Kaini*, cui similes esse non debeant fideles, utpote quem omnes largiantur *ex malo illo* (Matth. V. 37. Eph. VI. 16. 1. Joh. II. 13.) sive diabolo & diaboli primogenitum fuisse, & pro-

& propterea *mactasse fratrem suum*, Abelem, nullam ob causam aliam, quam quod ipse operibus malis assuetus iis indulgeret libere, & Diabolo viveret, fratris autem opera bona & ex fide profecta, eoque DEO grata & accepta essent. (3.) Notam filiorum DEI facit, si *mundus ipsos odio prosequatur*, & ad mortem usque persequatur, quemadmodum justus Abel expertus est ab impio fratre, v. 13. Conf. Joh. XV. 18. 19. Gen. III. 15. (4.) Filii DEI hoc privilegio gaudent, quod certi sint, se *transcendisse è morte* ac damnatione *in vitam* spiritualem, per Christum, Ephes. II. 5. 6. 8. Coloss. I. 12. ss. & communionem cum DEO, ac per Spiritum adoptionis & dilectionis intus testantem & foris per φιλαδελφίαν; cum è contrario *in morte maneat quicunque fratrem*, ex DEO natum, *odio habeat*, tanquam *homicida*, in judicio divino, & frater Caini, qui *non habeat vitam æternam in se manentem*, ℣. 14. 15. Ne vero quisquam sub hypocritica dilectionis specie & jactatione se occultaret, diligenter explicat, quomodo comparata esse debeat vera dilectio fraterna, proponitque exemplo Christi Salvatoris, idq; ab effectu amplificat, quod tantopere nos indignissimos peccatores dilexerit, ut etiam vitam suam pro nobis profuderit, Joh. X. 15. 17. 18. XV. 13. Rom. V. 18. ex quo infert, nos quoque debere adeo diligere fratres, ut, si res postulaverit, vel mori pro iis parati simus, ℣. 16. A maximo dilectionis gradu ad minorem facilis est collectio, quam Johannes ℣. 17. innuit & supponit, indeque recte concludit, quod *si quis habuerit* media, quæ *ad vitam*, victum usumque *hujus mundi*, vel seculi, pertinent, (Luc. VIII. 43. XV. 30. ☉) *& viderit fratrem suum opus* iis *habere*, *clauseritque commiserationis affectum* & effectum *ab eo*, *in eo charitas DEI* DEOque conformis *non* sit, nec *maneat*, etiamsi multa de ea jactet. Quare monet Christianos, ut, si genuini Filii DEI esse eorumque notam habere & ipso opere, ut par est, declarare velint, *non* verbo, sine re, *neque lingua* jactante aut bona quæ- 1 Joh. III

1. Joh. III. que precante, Jac. II. 15. 16. *sed* ipso *opere & veritate*, sine fuco & hypocrisi, non ex ostentatione &c. *diligant*, v. 18. Hinc fructum indicat ex vera charitate ad fideles redundantem, v. 19. quod ex fide sic operosa *cognoscere possint*, *se esse ex veritate*, per verbum veritatis genitos, (Jac. I. 18.) & filios DEI, Joh. VIII. 47. XVIII. 17. XIX. 37. adeo certo, ut in *conspectu ejus* cordibus suis *persuadere* eaque secura reddere *queant*, nullam in se esse condemnationem, cum in CHRISTO JESU sint, Rom. VIII. 1. Si vero contigerit, ceu fit in tentationibus, ut cor s. conscientia accuset & damnet fideles, quasi non habeant veram fidem, adeoque nec filii DEI, sed diaboli ac coram DEO condemnandi sint, ostendit Johannes, v. 20. quomodo conscientias tranquillare possimus, ut nos accusare & damnare desinant, nimirum per hoc, quod scimus & credimus, *DEUM esse majorem corde nostro, & cognoscere omnia* optime, quod ipsum & fratres nostros diligamus opere & veritate, adeoque & veram vivamque fidem habeamus, etiamsi eam non sentiamus, ut proinde condemnationem metuere non debeamus, sed certo remissionem & salutem exspectare queamus. Ex hac cordis persuasione & tranquillatione hunc fructum capere fideles declarat, v. 21. ut *fiduciam habeant erga DEVM*, & aditum accessumque liberum ad eum, petendique quicquid necessarium & salutare est, Rom. V. 2. Ephes. III. 12. Hebr. IV. 16. X. 19. Impetraturos etiam illos, quicquid petierint, v. 22. pollicetur, Conf. Joh. XV. 7. XVI. 23. & confirmat ex hac ratione, *quod præcepta* Christi de divina ordinatione ad salutem *servent*, *&*, *quæ placita sunt coram eo faciant*: ac ne hæc ita accipiantur ab errantibus, quasi dilectio fraterna in se & sine fide spectetur, mox subjicit explicationem, dicitque, se per præcepta intelligere hoc imprimis, 1. *ut credamus nomini Filii DEI* J. C. & confidamus merito, satisfactioni omnibusque promissionibus Christi & de Christo, inq; his justificationem & vitam æternam quæramus, (Joh. XX. 31.)

& 2. *diligamus nos invicem*, ex fide vera & viva, sine qua nihil ipsi placet, & quicquid non provenit ex ea, peccatum est; *sicut* hoc etiam *præceptum* de charitate *dedit nobis*, præter istud de fide, Joh. XIII. & XV. Ex his summatim colligit ỳ. 24. nervumque consequentiæ ostendit, quod, *qui præcepta* CHRISTI, hucusque exposita, de fide & dilectione *servaverit*, *in ipso DEUS maneat, & ipse in DEO*, atque adeo filius DEI sit, Joh. XIV. 23. XV. 7. Cujus rei immotam certitudinem ponit in Spiritus Sancti inhabitatione, donis & operationibus, qui etiam speciatim fidem & charitatem in nobis accendit, auget & obsignat. Conf. 1. Joh. II. 20. 27. Rom. VIII. 14. 2. Cor. I. 22. Eph. I. 13. 1. Joh. IV.

CAP. IIII. Cum meminisset Apostolus ultimo præcedentis Capitis versu Spiritus Sancti, qui fidelibus datus est; inde occasionem capit aliquid de spiritibus eorumque discretione & probatione agendi, ut fideles Spiritum DEI à seductoribus spiritibus distinguere & fugere discerent. Cujus explorationis (1.) necessitatem indicat universalem, quia *multi*, non unus tantum alterque, *falsi prophetæ*, Spiritum DEI jactitantes, *exiverint in mundum*, quos nosse & vacare, omnium atque singulorum Christianorum interest, ỳ. 1. (2) Dilucide ostendit, quomodo ad Lydium Scripturæ S. lapidem δοκιμασία instituenda, & quibus notis dignoscendi spiritus sint. *Verum doctorem*, qui ex DEO sit, & spiritum DEI habeat, ex eo loquentem, per hoc, post institutam ex Verbo DEI probationem, cognosci dicit, *si confiteatur* ore credatque corde, Rom. X. 9. 10. 1. Cor. XII. 3. 2. Cor. IV. 13.) *JESVM CHRISTVM*, sive Messiam verum, Patribus promissum, (vid. supra Cap. II. 22. & IV. 15.) Filium DEI, *qui in carne venit*, tanquam θεάνθρωπον, Mediator, Redemtor, & fundamentum fidei salutisque unicum est, 1. Cor. III. 11. 1. Pet. II. 6. 7. ac ei superstruit seipsum & alios, Ephes. II. 20. *Falsum* autem, si non confiteatur JESUM dicta ratione, vere plene integreque; sed negaverit aliquid, quod vel ejus personam, CAP. IIII.

1. Joh. IV. vel officium, indeque ad salutem nostram redundantia beneficia, infringat, & fundamentum fidei evertat; hunc igitur *non ex DEO* DEIque Spiritu inspiratum, sed *spiritum Antichristi* esse significanter addit, ut cane pejus & angue fugiatur, quem propterea venturū prædixerint atroque carbone notaverint Christus ipse, Matth. XXIV. 5. 24. ejusque Apostoli, 2 Thess. II. 3. ss. 1. Tim. IV. 1. ss. 2. Pet. II 1. ss. & qui spiritus *jam adsit* & operetur mysterium iniquitatis per varios hæreticos subinde surgentes, ℣. 2. 3. quem tamen vicerint & vincere possint filii DEI, per fidem, quæ contra mundum, (vid. infra V. 4.) semper victoriam obtinet, cum *major* sit & fortior, qui in fidelibus habitet Christus, (Eph. III. 17.) cum Spiritu suo, quem dedit, *quam qui in mundo* & in omnibus filiis infidelitatis, (Eph. II. 2.) ℣. 4. Ne vero fideles offendantur, si videant falsos spiritus & doctores potius ab impio mundo audiri, quam veros doctores, & feliciores his esse, hanc objectionem tacitam, satis periculosam, occupat, & monstrat v. 5. & 6. aliter fieri non posse, quin, quum *è mundo* perverso & à diabolo seducto *sint*, nil nisi carnalia & mundana sentiant, ac non percipiant τὰ τῦ πνεύματ☉ τῦ θεῦ, 1. Cor. II. 14. adeoque non mirum, si ea *loquantur è mundo*, & profiteantur, quæ corruptus carnis humanæ sensus suggerit, probat, judicat, vere spiritualia autem ex suis falsis principiis & opinionibus detorqueant ac pervertant, (quæ nota est maxime notanda falsorum doctorum, non enim omnia, quæ loquuntur, è mundo loquuntur, sed quæ in iis falsa sunt, vera autem corrumpunt ex captu judicioque carnali. Vid. Seb. *Schmid.* Comment. h. l. p. 382. s.) *mundus quoque* & mundo dediti, quales plerique sunt, eos libenter *audiant*. Quod vero pauci veros doctores audiant, inde fieri, quia pauci spiritualia spiritualiter dijudicent & Evangelicæ veritati se submittant, quæ obsequium fidei & abnegationem omnis impietatis & mundanarum concupiscentiarum requirit. Eos igitur tantum, qui DEUM cognoscere inci-

piunt

piunt, non ex ratione sed revelatione, & cœlesti veritati prædicatæ inque se efficaci ad fidem locum relinquunt, ut operetur in ipsis fidem, intellectum illuminet, donec tandem ad plenam agnitionem DEI rerumque divinarum perveniant, *audire* libenter Verbum DEI, ab Apostolis Apostolisque doctoribus annunciatum, Joh. VIII. 47. X. 27. Unde Johannes objectionem retorquet in ipsos objicientes, declarans, tantum abesse, ut ex eo, quod multo plures sectentur Pseudodoctores, veros autem pauci sequantur, colligi debeat, istos veros hos autem falsos esse doctores; ut potius inde contrarium concludatur, hincque facile cognoscatur *spiritus veritatis*, qui ex DEO, *& spiritus erroris*, qui ex diabolo sit. Joh. VIII. 44. XIV. 17. XV. 26. Quæ de veris falsisque doctoribus hucusque monuit Apostolus, spectabant cumprimis ad fidem doctrinamque puram sancte servandam, falsam autem figiendam. Post hæc redit ad alterum præceptum de dilectioni proximi, vel mutua, quia hæc est testimonium & effectus, quemadmodum veræ fidei, quæ per charitatem efficax est, ita etiam dilectionis DEI (vid. infra ℣. 20.) Rationes moventes has profert: (1.) a dignitate & origine nobilissima, quia omnis *charitas* creaturarum rationalium, Angelorum & hominum, *ex DEO est*, & imago DEI, & post lapsum ex regeneratione; unde *quicunque* fratrem *diligit*, is *ex DEO natus* est, & vere *cognoscit DEUM*, gustatque ejus dilectionem in corde suo effusam per Spiritus S. quicunque vero à dilectione Christiana alienus est, DEUM nec cognovit, nec ex eo natus est, *quia DEUS est* ipsa *charitas* in se, & formalis, in nobis autem causalis, idque omni genere causæ (vid. *Cornel. à Lapide* h. l.) ℣. 7. 8. (2.) ab exemplo DEI Patris, (non exclusis cœteris personis) cujus *amor* immensus & mere gratuitus *erga nos*, Christianos inprimis in N. T. immetentes & indignos, *manifestatus est per hoc, quod Filium suum unigenitum miserit* in mundum, Joh. III. 16. in carne assumta manifestatum, 1. Tim. 1. Joh. IV.

1. Joh. IV. III. 16. *ut per eum*, dantem se pretium redemtionis pro omnibus, nosque redimentem ex inferno & morte, ac propitiantem, *viveremus* beate, in hac & futura vita. Hunc amorem indebitum & ineffabilem DEI nos ad debitum amorem mutuum testandum ex vero sinceroque corde profectum & ipso opere declarandum impellere debere ac posse, Apostolus valide colligit, ℣. 9. 10. 11. (3.) à fructu mutuæ dilectionis; ex ea enim certi reddimur DEUM invisibilem in nobis esse & manere, *ejusque dilectionem in nobis consummatam*, perfectam factam finemque assecutam esse, ℣. 12. cum sic certi reddamur de fide nostra, quod vera sit, & nos DEUS in CHRISTO ita diligat, ut ab ejus amore nihil nos separare queat, Rom. VIII. 38. ff. *Spiritu S. quem DEVS* in corda nostra *dedit*, Gal. IV. 6. spiritui nostro testimonium perhibente, Rom. VIII. 15. 16. qui Spiritus *Filii* Spiritus est, cum ex eo procedat, eumque acquisiverit & miserit ad certitudinem salutis nostræ, tanquam *Salvator* noster, de quo infallibile testimonium extet Apostolorum, & ipse, si eum vere sincereque confiteamur, habitet & *maneat in nobis*, *nosque in eo*, ut & in Patre, mittente eam ob causam Filium, & suam dilectionem erga nos tam luculento documento demonstrante, ℣. 13. — 17. conf. ℣. 9. 10. Unde ex hac SS. Trinitatis consummata erga se dilectione *fiduciam* capiunt & *habent* fideles *in die judicii*, cum tales *sint*, *qualis ipse* DEUS triunus *est*, nempe diligentes fratres sincere, quia certitudo de tanta DEI in nos dilectione *timorem expellat* iræ & pœnæ, ℣. 17. 18. (4.) à nexu dilectionis proximi cum dilectione DEI; summa argumenti hæc est: quicunque nobis necessario & ex summo debito diligendus est, cum eo simul diligendus est ille, cujus dilectio cum dilectione ejus connexa est. Jam vero DEUS nobis necessario diligendus est, quia prior nos dilexit & gratuito. Ergo & frater; hunc enim qui non diligit, sed odit, ne ipsum quidem DEUM à se diligi veraciter dicere potest, sed mendax est & hypocrita,

pocrita, qui facto negat, quod profitetur verbo, quoniam DEUS eum propter se & loco sui diligendum sistit præsentem & videndum. Ad hunc nexum necessarium & indissolubilem probandum provocat Apostolus ad *præceptum* ipsius *Domini*, quod vel ex Matth. XXII. 38. 39. liquet, ubi Salvator legem utriusque tabulæ decalogi & ejus summam de dilectione DEI & proximi repetit, connectit, inculcat, & dilucide indicat, *ut, qui DEUM diligit*, quod omnes faciendum esse fatebuntur, *ille quoque fratrem suum propter DEUM diligat.* 1. Joh. V.

CAP. V. Continuat Johannes argumentationem, superiore Capite cœptam & probationem inprimis de nexu indissolubili dilectionis DEI & proximi, novumque argumentum nunc subjungit, v. 1. à nexu DEI Patris spiritualis, & fratrum, filiorum Patris spiritualium, desumtum; sicque ad originem & fundamentum ascendit, & ex regeneratione necessitatem cohærentiæ dilectionis DEI & proximi deducit. Nam ex regeneratione est fides, fides autem per charitatem erga DEUM & fratrem est efficax. Unde certissime & manifestissime colligitur, non solum 1. quod *omnis qui* vere *credit JESUM esse CHRISTUM*, eumque cum beneficiis recipit, ac nulla ratione abnegat, (vid. supra II. 24. IV. 2. 3.) *ex DEO natus* divinæque naturæ particeps factus *sit*; sed & 2. quod *omnis*, *qui* vere *diligit* ex fideli corde *eum* benedictum DEUM & Patrem Domini nostri JESU CHRISTI, *qui* pro multa sua misericordia *genuit* & regenuit nos ad spem vivam, (1. Pet. I. 3.) *diligat etiam id* omne *quod ex eodem natum est* (τὸ γεγεννημένον) sive fratres suos spirituales, tam arcto vinculo, quod naturali longe majus est, sibi devinctos, & similes, v. 2. Hinc claudit disputationem vel potius adhortationem ejusque rationes de dilectione DEI & proximi, indicando breviter ac summatim, quo omnia tendant, nimirum, ut inde discamus & cognoscamus, nos filios DEI seu fratres diligere, quando DEUM diligimus: DEUM vero diligere, CAP. V.

1. Joh. V. gere nos, *si præcepta ejus servemus*, cum *charitas erga DEUM* vera à nobis requirat, ut ex fide in Christum, per quem reconciliatus nobis est Pater cœlestis, & diligamus eum, & opere ipso etiam id demonstemus per observationem præceptorum ejus. Ne vero obtendere Christiani possent, impossibilia requiri, occupat Johannes tacitam objectionem v. 3. dicendo, *præcepta* Domini renatis data, ac præcipue illa de fide & dilectione, Cap. III. 23. *gravia non esse*, in oppositione ad legem Mosaicam, Actor. XV. 10. Quod hinc probat v. 4. quia *quicquid ex DEO natum est*, & ex hac regeneratione accepit omnia divinæ potentiæ, quæ ad vitam & pietatem, sive observationem mandatorum DEI requiruntur, collata & donata, (2. Pet. I. 3.) *vincit* in virtute Christi Joh. XVI. 33. Eph. VI. 10. per sanguinem ejus, & verbum testimonii fidelis, (Apoc. XII. 11.) extra & intra se *mundum*, Rom. VIII. 37. Quod omne facit *fides*: quæ jam olim in omnibus credentibus & renatis *mundum vicit*, per victoriam Christi apprehensam, & nunc quoque adhuc, ac semper, vincit. Hinc omnino sequitur, quod non nisi is, qui veram fidem habet, seu *qui credit*, *quod JESUS sit Filius DEI* (supra IV. 15. V. 1.) promissus mundi Salvator, & victor Diaboli atque mundi, *mundum vincat*, per JESUM, v. 5. Ne autem de eo quisquam dubitare queat, pluribus validissimisque testimoniis divinis in sequentibus probat, JESUM esse θεάνθρωπον & verum Messiam, cui tuto inniti & ex cujus plenitudine omnes fideles gratiam pro gratia, robur & victoriam accipere possint. Primo inde, quod sit ὁ ἐρχόμενος & *venerit* ad nos & adhuc veniat (α) *per aquam* Baptismi, quæ præfigurata in V. T. fuit per aquam lustralem, Lev. XIV. 5. ff. Num. XIX. 9. Hebr. IX. 12. 13. 19. & prædicta Ezech. XXXVI. 15. Zach. XIII. 1. qui propterea quoque non tantum ipse baptizari voluit, ut omnem justitiam impleret & aquam ad nostram purificationem consecraret, Matth. III. 15. sed etiam baptismum instituit lavacrum regenera-

generationis & renovationis, Matth. XXVIII. 19. Tit. III. 5. in quo filii DEI simus, Christum ejusque robur induimus, Gal. III. 26. 27. ad superandum mundum cum ejus principe. (β) *per sanguinem*; qualem adventum rursus præfigurarunt omnes V. T. victimæ s. sacrificia, & prædixerunt Vates, (Gen. III. 15. Zach. IX. 11. Hebr. IX. X.) quem effudit pro nobis, & cum quo in S. Cœna etiam ad nos venit, ut purget conscientias nostras ac operibus mortuis, Hebr. IX. 12. nos sanet, 1. Pet. II. 24. & corroboret, ut vincamus Satanam, Apoc. XXII. 11. Hujusque adventus per aquam & sanguinem, sive Baptismum & S. Cœnam, documentum quoque est aqua & sanguis, ex perfosso ejus latere fluens, Joh. XIX. 34. quibus duo Sacramenta, quæ in vita instituit, etiam in morte figurare & obsignare voluit, atque his ipsis Sacramentis divina virtute regenerandi, renovandi & salvandi demonstrat se JESUS Filium DEI in potentia, Rom. I. 4. Quo accedit (γ) testimonium *spiritus*, sive verbum Christi, aut Evangelium, quod est virtus DEI ad salutem omni credenti, Rom. I. 16. spiritus & vita, Joh. VI. 63. 68. Hebr. IV. 12. gladius spiritualis, Eph. VI. 17. hoc enim verbum efficax & salutare, quod propterea *spiritus* dicitur, in ἀντιθέσει ad legem, 2. Cor. III. 6. *testatur* passim per Vetus & N. T. (Act. X. 43.) quod JESUS sit Filius DEI ἀληθινὸς, Salvator, &c. inq; ipso sit ἀλήθεια, Joh. I. 17. Ephes. IV. 21. & *quia spiritus*, sive hoc ipsum verbum Evangelii, *veritas est*, ei merito credi debet, idque fidem accendit, si admittatur & custodiatur in corde bono, & fructus fert multiplices. Hoc testimonium aquæ, sanguinis & spiritus, per quæ JESUS ad nos venit, esse irrefragabile, hinc probat, quoniam in eo non tantum tres testes in terra testentur, sed etiam *tres* summi *in cælo*, de cœlo, & in fidelibus semper, proprie dicti & distincti *testes*, *Pater*, *Verbum & Spiritus S. & hi tres unum sunt*, natura ac essentia, & consequenter etiam voluntate & consensu: quorum testimonium cum tribus illis in 1. Joh. V.

1 Joh. V. terra est conjunctissimum, per illa efficax & operosum, invisibili modo, intus in corde hominum, ea pulsando, convincendo, aperiendo, regenerando & renovando, atque confirmando. Licet igitur tres quoque sint, *qui testantur in terra*, visibili quodam modo, nempe, ut jam dictum, *verbum, aqua, & sanguis, & hi tres in unum illud* (quod ℣. 7. præcessit, τὸ ἓν) *sint* & tendant; non tamen sunt pro se ipsis & per se ipsos singuli integri testes; sed sunt media & instrumenta, per quæ tres testes cœlestes testificantur & operantur; ut adeo unum quoddam cum illo summo testimonium apud homines constituant, v. 7. 8. Vid *Seb. Schmid.* h. l. Hoc testimonium, omni exceptione majus, merito ac reverenter accipi debere fide, si mundum vincere velimus, Apostolus v. 9. præcipit, & argumento à minori ad majus persuadet. Quo tendat testimonium DEI, indicat & toties inculcat, ut ad illud recipiendum omnes inducat. Et quo minus spernatur, dicit esse *testimonium DEI* Patris, cujus divinitatem & veracitatem nemo in dubium vocare possit, vel ausit, *de Filio suo*, de quo etiam nemo melius testari potest, quam Pater, Matth. XI. 27. XVI. 17. Joh. X. 15. & quod fideles *in se ipsis habeant* verissimumque esse sentiant per fidem, & aperte palamque profiteantur, ad salutem suam, & per illud mundum vincant; quod facere nequeant, qui tantum testimonium non admittant, & gravissime peccent in DEUM summum, *quem*, quantum in ipsis est, *mendacem faciant*, & salute æterna excidant; quum victoriam & vitam æternam nonnisi in Filio DEUS promiserit, obtulerit dederitque, & dare velit credentibus, (Joh XVII. 3.) v. 9. 10. Ne vero se, ut fit, multi fallant, quasi recipiant testimonium DEI de Filio, & vitam se habere putent, quando auribus externis audiunt Evangelium, ostendit hoc minime sufficere, eamque ob causam hanc notam ponit v. 12. *Qui habet Filium*, eumque ita apprehendit fide, ut in corde habitet (Eph. III. 17.) & per eum mundum vincat, ejus vestigiis, inficat,

insistat, præcepta observet, *ille habet vitam* spiritualem & æter- 1. Joh. V.
nam: & contra, *qui non habet* dictum in modum *Filium DEI*, *non habet vitam*. Unde ℣. 13. credentes monet, ut hactenus scripta de fide in Christum, recte sibi applicent, se ipsos probe explorent, an in fide sint & JESUS CHRISTUS in ipsis, 2. Cor. XIII. 5. & ut in vera fide perseverent, caveantque ne eam per apostasiam deperdant, vel per peccata contra conscientiam amittant. Mox usum & fructum, quem fideles ex dictis observatisque habeant, breviter ostendit, nempe *fiduciam* erga DEUM certam, *petendi* omnia, quæ juxta voluntatem DEI sunt, eademque impetrandi, Joh. XIV. 13. seqq. XVI. 23. seqq. pro nobis & fratribus, si non peccaverint *peccatum ad mortem*, scientes & volentes, quale non committunt ex DEO nati, (supra III. 9.) sed ex infirmitate carnis proveniens, quod propterea renatis non adscribitur, neque ad mortem seu condemnationem imputatur, quia fide vicerunt & vincunt mundum in carne sua residuum, & præcepta DEI illis non sunt gravia: pro talibus, licet nævos & lapsus ex ignorantia & imbecillitate commissos nondum sentiant ipsi, nec orent, aliorum preces fructuosas esse innuit Apostolus, & fiere ab aliis debere, ut DEUS propter fidem eorum præsentem in Christum, necdum excussam, ipsis remittat, nec illos eo devenire sinat, ut fidem etiam gravius peccando excutiant. Pro iis autem, qui peccant ad mortem, non ita orandum esse, sed aliter, nempe ut DEUS eos ad pœnitentiam reducat, fidem excussam restituat, & ex morte liberet. Vid. D. *Seb. Schmid.* h. l. Hinc ℣. 17. per occupationem occurrit objectione, quæ à sanctulis formari poterat, quod non mereantur dici peccata, quæ à renatis fiant, aut quod nullum sit peccatum, quod non sit ad mortem; respondet autem, *omnem* quidem *injustitiam peccatum* esse, & in se mortem mereri, (vid. supra III. 4.) interim tamen dari peccatum non ad mortem, illud nempe, quod à renatis committatur, quemad-

1. Joh. V. modum in antecedentibus probatum dedit Apostolus, III. 9. quod non peccent peccatum ad mortem, licet peccatum adhuc habeant, & peccent, I. 8. 10. renatos enim *seipsos observare* diligenter & ea vere, ne in peccata contra conscientiam incidant, & studere, ut immaculatos se à mundo retineant, Jac. I. 27. & juvari à Spiritu S. in generatione ipsis dato, ut *malus ille* hostis & seductor, diabolus, eos *tangere* ac vulnerare, inque iis operari *nequeat*, prout solet & potest facere in filiis incredulitatis, sed ipsi potius eum vincant, Ephes. VI. 10. seqq. *Sciunt* enim fideles certo, *se ex DEO* & in DEO *esse*, nec totos in malo seu diabolo jacere, ut *mundus totius in eo jacet*, cujus pro in omne peccatum est ad mortem, sed ex ejus potestate ereptos DEI virtute custodiri ad vitam æternam, ac *Filium DEI indidisse* sibi *mentem* illuminatam & purgatam, ut vere & salutariter cognoscant *verum illum*, DEUM, (Joh. XVII. 3.) sintque *in vero illo, in Filio ejus J. C.* per fidem ei corporique ejus mystico inserti, *qui est verus ille* & æternus *DEUS & vita æterna*. Vid. supra I. 2. V. 11. 12. Huic unico DEO & Salvatori constanti, vera vivaque fide adhærendum serviendumque, omnia autem idola & idololatriam, sive crassam, sive subtilem, fugiendam esse, ad extremum monet Johannes.

§. XLII.

Secunda Ep. Johannis. *Secunda D. Johannis Epistola*, & styli & materiæ ratione cum prima fere per omnia convenit: hincque *Baronius* ad A. C. XCIX. n. 9. haud abs re collegit, ab uno eodemque Autore illas esse profectas, quemadmodum ex collatione cuilibet facile parebit, & nos mox breviter demonstrabimus. Quod enim *Presbyteri* & non Apostoli nomen præfert Epistola, non alium arguit Johannem, quam Apostolum. Sive enim dignitatis sive ætatis significationem exprimat Presbyteri vox, Apostolo Johanni utraque satis convenit, cum & præ aliis Apostolis provectiorem

ctiorem ætatem assecutus & veluti Christianorum Senior habi- 2. Ep. Joh.
tus sit. Unde *Athanasius* in Synopsi ait : *hanc* (Epistolam) *Senior factus Dominæ scribit.* Quid ? quod Presbyter & Episcopus illo ævo pro eodem usurpari consueverint , & haud male *Oecumenius* dixerit : *Johannes Episcopum se esse nomine Presbyteri declarat.* *Si Hammondi* nota in præmonitione ad duas posteriores Epistolas Johannis satis certa est , quod *Senior* in N. T. non modo sit vocabulum honoris & dignitatis , sed significet summum cujusvis Ecclesiæ Rectorem , designabit Apostolum præsidentem Ecclesiæ cuipiam , apud quam habitabat , & nominatim Ephesi fuisse. Qui etiam hoc addit , : *solum Johannem sui mentionem non facere , nisi adhibita circumloquutione*, quod cum in Evangelio , tum in prima Epistola animadvertere liceat. An hæc & tertia Epistolæ *Catholicæ* dici debeant aut recte queant , illa dubitandi causa est , quod neutra ad omnes Judæos , ut Jacobi & Petri , sed secunda ad fœminam , tertia ad virum aliquem singularem scripta sit. Verum ad hoc quoque dubium respondent multi cum generatim , quod καθολικὴ sit Epistola , quæ omnium Ecclesiarum consensu recepta & eo etiam consilio scripta fuerit , ut ad alios quoque mitteretur , velut ἐγκύκλιος. Quidam quoque in ea sunt sententia , ἐκλεκτὴν Κυρίαν , cui inscripta secunda Epistola , non unam personam indicare , sed ad Ecclesiam referri , ut συνεκλεκτὴ , quod *Serarius* octo conjecturis probate contendit. *Calovius* certe scribit , se non videre , cur hic improbari mereantur *Oecumenius* & *Serarius* , quod crediderint , *Ecclesiam Asianam* , in qua degebat Gajus , cui tertia Epistola inscripta est , designari. Adhæc observat , Ecclesiam dici potuisse Κυρίαν , *sive ob loci nobilitatem , sive ob virtutis præstantiam , sive ob fidem dominatricem.* Pluribus rationibus hanc sententiam tuetur *Hammondus* in adnotat. ad h. l. & Hieronymi testimonium addit ex Epist. XI. ad Ageruchiam , ubi prolatis verbis ex Cantico Canticorum : *una est columba mea*

2. Ep. Joh. &c. subjicit : *ad quam scribit Johannes Epistolam* : *Senior electæ Dominæ & filiis ejus.* Imo animadvertit , κυρία apud Athenienses , & *Curia* apud Romanos idem significasse ac ἐκκλησίαν, seu concionem.

Analysis & Exegesis.

Verum missa disputatione ad brevem analysin & exegesin Epistolæ progredimur. In exordio Johannes , ℣. 1. 2. exprimit affectum erga *electam Dominam ejusque filios* singularem, eosque dicit *amare se in veritate* & sinceritate cordis, imo *non se solum* , sed *& omnes* Christianos , *qui veritatem* Evangelicam *cognitum* perspectamque *habent* & vera fide amplexi sunt , ac constanter retinent , *propter illam* ipsam *veritatem* , per quam Dominus JESUS CHRISTUS maxima præstantissimaque bona cœlestia offert & confert omnibus salutem suam in consilio habentibus, quamque in se & veris illius professoribus esse, & permanere constanter significat vel optat , eamque ob causam ℣. 3. in salutatione idem electæ Dominæ ejusque liberis precatur , quemadmodum alii etiam Apostoli , Petrus nominatim & Judas facere consueverunt. Johannes tamen declarat simul adversus hæreses tum grassari incipientes , Christi Domini divinitatem & æqualitatem cum Patre , ut alibi in suis scriptis facit , indicatque non minus à Filio quam à Patre dona illa divina esse exspectanda , & , ut *Coccejus* h. l. observat , addicit fidelibus *gratiam, misericordiam & pacem* , cum non dicat ἔσω, sed ἔσται μεθ' ὑμῶν, & communio tantorum munerum non detur nisi in fide veritatis & in charitate mutua. Veritas mentem illuminat , charitas voluntatem inflammat. Unde ἐν etiam *per* hic valere potest , q. d. per cognitionem veritatis & dilectionem ; *quia per hæc* , ut *H. Grot.* h. l. commentatur, *in nos DEI beneficia provocamus , conservamus , augemus* , vel , ut cum Petro melius loquamur , per cognitionem DEI & JESU Domini nostri practicam , quam Paulus Tit. I. 1. vocat cognitionem veritatis secundum pietatem, ea , aliaque pretiosa promissa donantur , 2. Pet. II. 2. 3. 4.

His

His præmissis veluti sub specie exordii collaudat ỳ. 4. electam, & gaudium suum magnum testatur, quod *invenerit ejus filios in veritate* & fide semel tradita *ambulantes*; vere credendo ac sentiendo de DEO ejusque verbo, & sancte vivendo, fratresque cumprimis diligendo, secundum præceptum à Patre per Christum acceptum, quod prolixius in prima Epistola exposuit, III. 23. ff. Hinc eam hortatur & rogat ỳ. 5. 6. ut pergat in isto charitatis mutuæ cursu demonstrare fidem vivam & operosam, ostendens se non novum inculcare præceptum, sed illud ipsum, quod ab initio prædicationis acceperint à Domino, quodq; non tantũ memori mente servandum, sed & vita exprimendũ, Joh. XIII. 34. 1. Joh. II. 7. f. Mox ỳ. 7. causam reddit, cur in prima illa sinceriſſimáq; doctrina constantissime perseverandum sit, quia *multi seductores*, à Satana excitati & ablegati, *introiverint in mundum*, ad seducendos homines, sicut superiore Epistola C. II. 18 ff. & IV. 1. ff. testatus est. Magnã igitur circumspectionem & diligentem custodiam adhibere vult fideles, ac seipsos & alios fratres *observare*, ne operam laboremque in eos ab Apostolis impensum deperdant, & cum illorum salutis gratia nihil non facientes & patientes, tum se quoque ipsos fructibus privent; sed in id cumprimis sedulo enitantur, ut plenam mercedem ex gratia & liberalitate divina accipiant. Conf. Gal. III. 4. Ebr. X. 35. Eam in rem rationem ab utili & damno subjungit, dicens, neminem, qui *transgrediatur Doctrinam Christi*, & non permaneat in eadem, habere aut DEUM, aut sperare posse ab eo præmium, sed potius iram pœnamque ejus gravissimam in se concitaturum; contra vero eum, qui perstiterit in veritate CHRISTI, & Patrem & Filium habiturum propitium, ỳ. 8. 9. Conf. 1. Joh. II. 24. Doctrinam itaque Apostolicam normæ & regulæ loco haberi, nec illos, qui aliam adferant doctrinam, recipiendos admittendosque in domum suam cum periculo & scandalo, (nam privati eo tempore domos suas præbuêre conventibus fi- 2. Ep. Joh.

delium

3. Ep. Joh. delium & φιλοξενίᾳ) vel etiam ad intimiorem conversationem, aut salutatione fraterna dignos habendos, sed cane pejus & angue fugiendos & probandos prius esse, an sint ex DEO, (1. Joh. IV. 1.) ne cum malis ipsorum operibus communicent fideles, ut taciti approbatores, vel adjutores. Abrumpit tandem hîc Apostolus Epistolam, negatque se velle agere pluribus per chartam & atramentum, & significat, se satis multa & sufficientia ad salutem scripsisse, cum in Evangelio, tum in prima Epistola; quo interea tacite remittat electam Dominam ejusque filios, & spem facit adventus sui, ubi coram loqui expeditius, &, quæ scripserit, uberius explicare & applicare possit atque velit; ut *plenius gaudium* ex conspectu colloquioque mutuo, quam ex commercio literarum hauriant. Vid. Rom. I. 12. 2. Tim. I. 4. Claudit Epistolam salutatione, non civili, sed Christiana, & salutem renunciat electæ sive Dominæ, sive Ecclesiæ, à sorore electa ejusque filiis, id est, Ecclesiæ cujusdam vicinæ fidelibus.

§. XLIII.

Tertia Epistola Johannis.

Tertia Epistola Johannis succedit, ad *Gajum*, vel Cajum (idem enim vocabulum, & Romanum esse, quidam contendunt.) Quis vero ille Gajus fuerit, idemne, qui à Paulo conversus, Rom. XVI. 23. cujusque mentio fit 1. Cor. I. 14. aut Actor. XIX. 29. XX. 4. non satis convenit inter interpretes. Nihil tamen obstare graves autores existimant, quo minus Pauli discipulus & hospes intelligi debeat. Vid. *Calovius* h. l. Id certe ex hac ipsa quoque Epistola liquet, virum honoratum, divitem & hospitalem fuisse, qui fratres laborantes pro Evangelio libenter exceperit & juverit, v. 5. ff. Unde *Flacius* in Glossa bene observavit, *videri* Gajum *non tantum valde pium ac Apostoli Johannis perquam studiosum hominem fuisse, sed etiam aliquanto potentiorem, ditioremque, vel certe in ministerio existentem. Si enim tali quadam ad benefaciendum aliis potentia instructus*

instructus non fuisset, non commendasset certe ei Apostolus alios, ut eos exciperet, juvaret ac foveret. Atque hinc etiam Epistolæ argumentum & summa facile colligitur, quod brevissime complexus est *Athanasius* his verbis: *primum quidem laudat eum* (Johannes) *propter testimonium hospitalitatis, quod habebat ab omnibus, hortaturque eum, ut in proposito persistat, ac fratres recipiat ac deducat. Accusat autem Diotrephem, quod is non solum nihil præbebat pauperibus, sed etiam aliis prohibebat, ac multa nugabatur. Tales alienos esse dicit à veritate, neque cognoscere DEUM: Demetrium vero laudat, optimum illi testimonium impertiens.* His facile acquiescere possemus. Dabimus tamen, ut hactenus facimus, brevem Epistolæ analysin & exegesin. Epigraphe v. 1. similis est fere præcedentis Epistolæ inscriptioni, in qua blanda voce *dilecti* eum compellat, qua Christiani inter se utebatur, eumque se vere ac sincere amare declarat. In voto & salutatione v. 2. est gratulatio, quod *anima* Gaji *bene se habeat*, utque in cœteris omnibus bene habeat, ac inprimis in sanitate corporis prosperetur, ex animo precatur. Hinc gaudium suum maximum testatur de prædicata sibi privatim & publice à fratribus pietate ejus eximia, quod *in veritate ambulet* & charitate, quam erga fratres & hospites exerceat indefesse, v. 3—6. Hortatur autem statim eum, ut in hoc laudabili studii genere pergat, & porro *prosequatur digne DEO* adventantes Christianos & exules, cosque inprimis, qui aliis instituendis operam navarunt gratuitam, & deinceps navabunt, qui relictis rebus omnibus nihil acceperunt à gentibus, exeuntes ad prædicandum Evangelium, & pro DEI nomine ac gloria quibusvis periculis se exponentes; quales omni humanitate & charitate recipere debeant Christiani, ut fiant *cooperarii veritatis*, eamque omnibus modis promoveant, exci- 3. Ep. Joh.

3. Ep. Joh. piendo & deducendo fidos Evangelii præcones, & neceſſaria vitæ ſubſidia illis ſubminiſtrando, ỳ. 6. — 9. Cur talia ad Gajum Johannes ſcripſerit, & non ad Eccleſiam, indicat; quanquam etiam ad eam ſcripſerit ſive primam & ſecundam, ſive hanc ipſam quoque Epiſtolam, quæ per Gajum communicari fidelibus, & ſingulis, & cunctis, potuit; verebatur enim, ne ſua hæc Epiſtola ad Eccleſiam directa, aut directe miſſa, minus haberet efficaciæ propter *Diotrephem*, ut qui ſit homo ambitioſus, primatum effectet, neque Apoſtolos recipiat, neque alios Chriſtianos, nec ab aliis eos recipi ſinat, ſed id facere volentes prohibeat, & ex Eccleſia ejiciat, malitioſis & calumnatoriis verbis traducat veritatis Doctores, cujus alia quamplurima facinora peſſima coram uberius exponere, eumque aperte ac palam in conſpectu Eccleſiæ, ſecundum Domini proceſſum, Matth. XVIII. 15. ſſ. ſevere objurgare & ſolide confutare velit, ỳ. 9. 10. Ejusmodi Papam, hypocritam & perſecutorem bonorum nequaquam imitari, ſed deteſtari & fugere vult Gajum, aliosque, ac contra bonos, & bona quæque, ſequi, addita hac ratione, quia *benefacientes ex DEO ſint*, divinæque indolis, *male autem facientes DEUM non viderint*, nec vere agnoverint, (1. Joh. III. 6. IV. 7.) v. 11. E bonorum numero eſſe *Demetrium* affirmat, eumque commendat, ut *qui teſtimonium habeat ab* omnibus, qui eum norunt, & *ab ipſa veritate* notoriaque experientia: cui ipſe quoque atteſtatur, nec dubitat, quin teſtimonium ſuum fidele eſſe, Gajus & omnes fideles perſpectum habeant. v. 12. Ad extremum excuſat Epiſtolæ brevitarem, partim quod non ſit neceſſe ſcribere per calamum & atramentum, partim quod ſperet ſe venturum ad Gajum propediem. Claudit voto pacis & ſalutatione ab amicis, ac viciſſim mandat, ut ſuo nomine amicis ſalutem nunciet. v. 13. 14. 15.

CAP. XIII.